3.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM LITTERARIAM ANATOMES

Seu

Conſpectus plerorumque, ſi non omnium tam veterum quam recentiorum ſcriptorum, qui a primis artis medicae natalibus ad haec noſtra usque tempora

ANATOMIAM

Operibus ſuis illuſtrarunt

Una cum Indice nominum rerumque locupletisſimo

AUCTORE

ANDREA OTTOMARO GOELICKE,

Med. D. & in Viadrina Regia

Prof. Publ. Ord.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Apud JOH. GODOFREDUM CONRADI, 1738.



PRAEFATIO
AD
LECTOREM.



Annus agitur vigeſimus quintus, ex quo *hiſtoriam anatomes antiquae* pariter ac *novae*, ſive conſpectum plerorumque, ſi non omnium, tam veterum quam recentiorum anatomicorum ſcriptorum, qui a primis artis medicae originibus ad praeſentia usque tempora anatomen pro genio ſeculorum, quibus vixerunt, illuſtrarunt, publicae luci expoſui. Ingenue confiteor, complures, quibus inter ſcriptores anatomicos locus aliquis merito concedendus fuiſſet, a me omiſſos eſſe; Id tamen publice probo mihi dari (quod tamen

a nonnullis factum) ideo non decebat, quod nullibi OMNES, sed PLEROSQUE tantum promiserim; Si enim fidem publicam dedissem, me omnes ac singulos, qui unquam rem anatomicam sive antiquis sive nostris temporibus excolere cordi habuêre, recensiturum, promissum cecidisset utique in debitum. At vero cum *plerosque* tantum, non *omnes*, promiserim, fidem datam me liberasse, omnes ingenui rerum harum aestimatores facile largientur. Accedit, rem litterariam sua natura ita comparatam esse, ut nunquam aliquid perfecti omnibusque numeris absoluti sperari possit, in hoc potissimum studii genere, quod, quia cum taedio & incommodis non paucis inevitabiliter conjunctum est, a plerisque negligitur, illis praecipue, qui, sine anatomes ope praxin clinicam recte ac feliciter exerceri posse, temere sibi persuadent. Quot praeterea scripta irreparabili damno flammis olim periêre? Quot eximii codices in exterorum bibliothecis delitescunt, qui in hunc usque diem nostram ad notitiam nondum pervenerunt? Oporteret studii hujus litterarii fautores ac promotores iter in cultiora Europae regna, Galliam, Italiam, Hispaniam, Angliam, Germaniam Belgiumque foederatum suscipere, scrinia & bibliothecas publicas ibi excutere, &,

quod

quod huc usque ignotum nobis permansit, publicam in lucem protrahere. Ita enim nullum foret dubium, quin res publica litteraria insignia, & quae in hac rerum humanarum imperfectione sperari licet, augmenta esset captura. Neque vero hic reticendum est, quod, quantum mihi quidem constat, pauci admodum fuerint, qui studio huic litterario ex professo sese adplicuerunt. Multa veterum anatomicorum nomina, tanto vero magis illorum scripta, absolute ignoraremus, nisi *Galenus* & nomina & fragmenta quorundam suis in scriptis conservasset posteritatique commendasset. Multum quoque lucis historiae litterariae attulit biga virorum, in antiquitatis studio peritissimorum, OLAUS nempe BORRICHIUS & HERMANNUS CONRINGIUS, qui, licet fervidam inter se mutuo habuerint controversiam de antiquorum, inprimis *Aegyptiorum* monimentis litterariis, non medicinam tantum generatim, sed & *anatomen* speciatim concernentibus, multa tamen in apricum produxerunt, quae aeterno silentio pressa ac tenebris spissisimis obnubilata mansissent, nisi litis hujus occasione in lucem protracta fuissent. Non minus in *introductione in universam artem medicam*, quae studio *Güntheri Christophori Schellhammeri* necessariis additamentis

)(2 aucta

aucta prodiit, idem *Conringius* ad locupletandan artem anatomicam ſymbolam ſuam contulit. Quem inſuper noſtrum latent inſignia merita, quibus univerſum medicorum ordinem ſibi devinxit DANIEL CLERICUS in hiſtoria, quam edidit, medicinae antiqua, in qua certe non pauca veterum monimenta excutiuntur, quae ad illuſtrandam anatomen non parum faciunt. Optandum ſolummodo foret, meliorem tutioremque ipſum viam praemonſtraſſe, qua recentiorum medicorum res geſtae & inventa pari exactitudine enarrari ſicque hiſtoria artis recentior ad haec noſtra usque tempora continuata legi poſſet. Acerbius tamen eſt judicium, quod de hiſce CLERICI conatibus tulit JOHANNES FREIND, in hiſtoria medicinae, a GALENI tempore usque ad initium ſeculi decimi ſexti producta atque continuata, quando ita loquitur: *Ad calcem novae hujus editionis* (quae prodiit) *ſpecimem quoddam ſex & quinquaginta paginis conſtans ſubjicitur, in quo eadem hiſtoria usque ad medium ſeculi decimi ſexti, breviter continuari dicitur. Verum illud temporis ſpatium, utpote annorum mille ac ducentorum, nimis amplum eſt, quam ut in opuſculo tam exili plene deſcribi potuerit; Licet dimidia ejus pars in vanis obſcurisque enarrandis non fuiſſet illiterati hominis ac fanatici iſtius,* PARACELSI, *ſomniis*

ſomniis abſumta. Aeque acris eſt cenſura, qua eosdem illos CLERICI conatus perſtringit. Verba haec ſunt: *Utinam*, inquit, *eſſet eadem* (ſententia) *quam de hiſtoria ipſa jure optimo pronunciavi; ſed, ut vera fatear, ita parum abſoluta aut elaborata mihi res videtur, ut ibidem multa negligenter, multa perperam dicta exiſtimem.* Hujus vero cenſurae, nimium quippe acris ac morſicantis reum me non faciam; Id potius agendum ulterius mihi eſt, ut ſeriei auctorum, qui hiſtoriam anatomes ſolertius excoluêre, *Johannem Douglasſium* adſcribam, qui ſpecimen *bibliographiae anatomicae*, ſive catalogum omnium pene authorum, qui ab *Hippocrate* ad *Harvaeum*, rem anotomicam ex profeſſo vel obiter ſcriptis illuſtrârunt, addidit, cujus novae editioni, quae an. 1734. lucem denuo adſpexit, ſcriptores omisſi acceſſerunt, imo & hiſtoria aliorum quorundam anatomes ſcriptorum, authore Clar. *Albino*, adjuncta cernitur. Denique locum quendam hic ſibi vindicant aliquot *Schultzii* diſſertationes, in academia *Altorffina* publice ventilatae, in quibus veterum anatomicorum profectus & inventa ad examen revocantur.

In tanta itaque auctorum, qui hiſtoriam anatomes tradiderunt, inopia, manum denuo operi

admovi, nullisque ſumtibus, nullis laboribus peperci, ut, qui adhuc deficiebant & in hiſtoria anatomiae olim publici juris facta omiſſi erant, ſcriptores undiquaque mihi compararem, ipſe perlegerem, quaeque in illis vel noviter detecta vel correcta & emendata deprehendebam, fideliter excerperem inque uſus tam privatos quam publicos converterem. Unde hoc opus priori triplo auctius ſimul atque emendatius enatum eſt. Fruere illo, Benevole Lector, mihique favere perge. P. P. Francof. cis Viadrum die XIV. Februar. M DCC LXXXVIII.



PRAE-



PRAEFATIO
HISTORIAE ANATOMIAE
PRAEMISSA.

Qui ad historiam litterariam exornandam animum adjiciunt, rem odii invidiaeque plenissimam adgrediuntur; Nam si qua ulla in re, certe hic duobus extremis utplurimum peccari solet: Nempe aut promiscue & indiscriminatim omnia adprobantur, quod sycophantis & adulatoribus facere solemne est, aut omnia temere

rejiciuntur, quod sciolis & ridicule ambitiosis familiare esse solet, vel denique, quod prudentiorum est, rationalia de scriptoribus, eorundem moribus & operibus, ferenda sunt judicia, quod quam odiosum simulque invidiosum sit, neminem in hodierna morum corruptorum perversitate latere posse arbitror. Antiquissimum enim simulque verissimum est proverbium: VERITAS ODIUM PARIT. Multos philautia ita in transversum egit, ut nihil rectum verumque putent, nisi quod ab ipsis proficiscitur. Alii praejudicatarum opinionum & hypothesium semel receptarum auctoritatibus adeo mordicus inhaerent, ut, quod huic modulo adcommodari non potest, superciliose contemnant, rejiciant & secundum Alexandrum Maſſariam *malint cum* Galeno *errare, quam cum aliis sapere; Alii vero ad exemplum* Stoicorum *patriam potius quam sectam suam proderent, vel, quod de sophistis* Galenus *adseruit, satius esse ducerent, patriam prodere, quam aliquod receptorum dogmatum deserere; Quo hominum genere*

genere nullum novi ſtultius, perniciosſius vel peſtilentius. Quamvis itaque natura non usque adeo ſtupidi vel ab omni ſano ſenſu derelicti ſimus, quin haec qualiacunque incommoda, cum hoc ſcriptionis genere quaſi inevitabiliter conjuncta, facile praevideamus: Non tamen propterea a propoſito ſemel coepto nos deterreri patiemur vel animum timide deſpondebimus, verum potius lectorum judicio nos animo imperterrito exponemus, compoſituri nos ad ſimilitudinem Apellis, qui pone tabulam ſuam callide latebat, & praetereuntium cenſuras, cribrationes & judicia patienter audiebat: Similiter nos prudentiorum judicia, imo & pro re nata, acerbiores cenſuras, ſi tales promeruerimus, non timebimus, multo minus aegro animo feremus, imo potius eo omnes nervos intendemus, ut errores noſtros, ſi quos commiſerimus, ſicuti talibus in rebus nihil a nobis humani alienum eſſe putamus, ſollicite corrigamus. Sciolos vero taliumque rerum, hiſtoriam litterariam medicam concernentium non ſufficienter

peritos, humaniter ſimulque obnixe rogatos volumus, ut a refutatione vel cenſura acriore abſtineant, ne necesſitas nobis incumbat ipſis adclamandi illud Apellis: *NE SUTOR ULTRA CREPIDAM; Vel plane acerbioribus cribrationibus ipſos caſtigandi & in ſemitam rationis reducendi. Calumniarum infenſisſimus ſum hoſtis, omnis contra veritatis amantisſimus; Et ſicuti adulandi artem non didici, nec diſcere unquam volui: Ita contra libertatem ſentiendi tanquam bonum inaeſtimabile ſemper magni aeſtimavi. Qui aura populari regi ſeſe patitur, vel judicia vulgi metuit, ad ſcribendum (in hoc potisſimum genere) prorſus ineptus eſt. Qui laudes non merentur, a me etiam nullas expectabunt; Qui vero talibus digni ſunt, per me debitis ſuis encomiis non privabuntur, quod tamen ſine omni fuco & verborum lenociniis fiet: Quia nullum unquam hominum genus majori mihi abominationi fuit, quam adulatores & paraſitae, quam artem ſi calluiſſem, aut pro more*

ſeculi

ſeculi callere voluiſſem, aliam procul dubio faciem jam dudum habuiſſet fortuna mea: Jam vero ab omni partium ſtudio & foeda adulandi libidine alieniſſimus ſemper fui. Interim, ut ad rem ipſam jam accedam, eo praecipue propoſitum meum tendit, ut, cum multos egregios viros certatim hactenus obſervaverim laboraſſe in excolenda hiſtoria litteraria variae & omnigenae eruditionis: Deprehendi, ſolos fere medicos otio indulgere, paucis quibusdam exceptis, qui tamen vel fragmentis ſuis orbi erudito non ſatisfecerunt, vel alphabetica ſua ſimplici recenſione praeter auctorum nomina & librorum titulos variasque eorundem editionum formas nihil nobis enarrarunt. Nobis proinde aliam plane viam ingredi utile & neceſſarium viſum fuit, totius medicinae & omnium ejus partium adcuratam hiſtoriam tam antiquam quam recentiorem pandere, & quidem non ſolummodo, ut auctorum vitas & ſcripta, prout ſerie naturali temporis nobis occurrent, ſed & potiora illorum inventa, ſingulares hypotheſes, contro-

verſias

versias & alias memorabiles huc pertinentes circumstantias ordine recenseremus. Placuit autem initium facere ab historia ANATOMIAE, tanquam fundamento totius artis medicae, quam brevi historia Chirurgiae, *& suo tempore* Pharmaciae, Botanices &c. *excipiet. Quibus omnibus secundum partes, in quas universum medicinae corpus dispesci consuevit, ita expeditis, ad pandendam totius artis historiam universalem, si DEUS vitam atque sanitatem concesserit, accedemus, hoc unicum duntaxat a celeberrimis quibusvis artis nostrae antistitibus, ubicunque locorum degant, expetentes, ut, quibus otium est, in communem Reipublicae medicae salutem, ad promovendum tam utilem finem, collaborare non dedignentur. Vale hisce, Benevole Lector, nobisque ac proposito nostro fave. Dabam Hal. Magdeb. die 1. dec. 1712.*

INTRO-



INTRODUCTIO
IN
HISTORIAM ANATOMIAE,
A PRIMIS ARTIS ORIGINIBUS AD NOSTRA USQUE TEMPORA CONTINUA SERIE DEDUCTAM.

§. I.



ui artem medicam ſuis Auditoribus digne ac fructuoſe tradere cupiunt, ab Anatomia tractationis exordium faciant neceſſe eſt; Haec enim fundamentum totius artis conſtituit, quo ignorato vel neglecto reliquam aedificii molem labilem fore ac ruinoſam, quilibet facile comprehendit: Hinc relatum legimus, ſolemnem hancce conſuetudinem jam antiquiſſimis temporibus in ſchola usque Aſclepiadea viguiſſe, & tyronibus artis topographiam corporis humani δεικτικῶς demonſtratam & partes

ejusdem

ejusdem tam externas quam internas ſenſibus expoſitas, ut ſic, comprehenſa partium hiſtoria, deinde earum ſtructuram indeque fluentem functionem & uſum eo rectius addiſcere valerent.

§. II.

Equidem moderni Academiarum mores neminem latere poſſunt, qui a priſca illa venerandae antiquitatis conſuetudine in eo recedunt, quod Anatomia ſusque deque habita, in tradenda doctrina medica illotis ſtatim manibus ruant ad Phyſiologiam, quae vi vocis nihil eſt aliud, quam diſcurſus de natura ejusdemque effectibûs in corpore humano. Cum vero, quicquid demum Natura in corpore ſuo agat, per organa corporea illisque convenienter & congrue operetur, manifeſtum utique eſt, partium tam fluidarum quam ſolidarum, quippe quae nil niſi mera organa ſunt, notitiam praerequiri, antequam, quid per talia organa, quo ordine & ſucceſſu temporis organis talibus convenienter operetur natura, tyronibus artis declarari queat. Quomodo vero laeſiones talium partium p. n. intelliget, qui earundem ſtructuram ſ. n. hactenus nondum intellexit? Et quomodo earundem reſtitutionem in integrum ſuſcipiet, cui ordinaria diſpoſitio, a qua in alienam conſtitutionem deſcivit, ignota eſt?

§. III.

Nihil autem hic repugno illis, qui ſerio (a) objiciunt ſimulque dolent, Anatomiam hodie non ſolum mera ἀλλότρια & a

(a) Digitum intendo in Celeb. STAHLIUM, qui haec talia modernis *Anatomes* cultoribus, non certe *jocularıter* ſed *ſerio* objecit, graviter adſerendo: Hodiernae anatomiae, quam operoſa & curioſa quin *ſublimis* etiam nonnullis videatur, nullum vel ſaltem exiguum eſſe uſum in medicina: Ita enim in programmate publico, quo *Anatomiam anatomiae* ſeu *demonſtrationum*

& a medico ſcopo longiſſime recedentia tractare, ſed & meras curioſitates, minutias & ſubtilitates ſupervacuas ingenti ſtudio conſectari, cujus generis ſunt, vaſorum minimorum & vix ſenſibilium reptatus & inextricabiles ramificationes

& inventionum anatomicarum ſeriem & uſum ordiri & proſequi ſignificat, loquitur: *In ſcenam hodie protrahitur ita verſipellis* (anatome) *ut pingi, fingi non deſinat, & ſæpe de fibra ita in diverſum torqueatur, ut inter affirmativam & negatiuam diſcerpenda videatur. Viſu, millies Argo oculatior, guſtu omnem ſimiam ſuperans, infinitorum ſaporum interpres, tactu vero ita exquiſita, ut ſtipes contra ſit aranea, certe trochleas, ſpiras, vectes, helices fibrarum, imo poros palpans, ſecans, ſeparans.* Hic tamen praepoſterus artis optimae uſus vel potius abuſus non impedivit STAHLIUM, quo minus veram illi dignitatem, nobilitatem & praeſtantiam adſereret, dummodo ſuam intra ſphaeram modeſte ſeſe contineret. Ita enim epiſtola, diſputationi de *medicina medicinae curioſae* adnexa, ingenue fatetur: *Phyſica* inquit, qua talis, *anatomia operoſior*, *chymica*, *phytographia* in ſuo ordine atque loco diſciplinae ſunt, a nemine prudente contemnendae; Sed, ut programmate, quo *vindicias theoriae vere medicae ſiſtit*, circa finem prudenter monet, talem deſiderat *anatomen*, quae *phyſiologiae vere medicae* praeluceat; Cum enim *phyſiologia* verſetur circa uſum partium, eoipſo vero ſupponat utique notitiam partium vel praeviam vel conjunctam: Ex his vero partibus ſolidarum numerus, conſiſtentia, figura, ſitus, connexio, ANATOMIA: Craſis autem fluidarum CHYMIA ex parte nitatur: Perſpicuum eſt, demonſtrationes ex *anatomia* & *chymia* ad *phyſiologicam notitiam* maxime utiles eſſe ac neceſſarias. Id ſibi dictum eſſe putent, qui neſcio quam *ſublimiorem* hodie *anatomen* crepant, quae, quo minus res in ſenſus incidentes tractare cordi habet, eo etiam a ſcopo vere medico alienior merito judicanda eſt. Imo idem illud ad animum ſerio revocent, qui contemtoribus artis anatomicae virum Celeberrimum praeter meritum adnumerârunt.

per viſcerum parenchymata, fibrillarum muſculum componentium numerus, ordo, ſeries, figura & magnitudo, glandularum pororumque in glandulis, incernicula veluti aemulantibus figura & conſtructio ſingularis, pro transmittendis, colandis ac ſecernendis certis tantum humoribus, ejusque farinae plura, quae omnia, ſi perita tandem atque circumſpecta cheiragogia dextre evolvere & in apricum deducere liceret aut omni modo poſſibile eſſet, vix tamen luculentior fructus, quam ludibrium aut potius ſpectaculum ſenſuum ſperandum inde foret. Nihil, inquam, talia objicientibus repugno; Quis enim, talia vere ita ſeſe habere, ignorat? Interim tamen cavendum, ne, quod antiquitus jam fecerunt *Methodici*, quorum *Theſſalus* caput erat, in alterum extremum prolapſi, nobis aliisque perſuadeamus, humani corporis ſecundum partes ſuas, qua interiores qua exteriores, contemplationem futuro medico inutilem eſſe; Sciendum potius eſt, nos, Anatomiam hic tanquam fundamentum totius artis commendantes, longe eminentiorem illius uſum praefixum nobis habere, nempe, ut mediante illa adprehendatur hiſtoria partium & organorum humani corporis, ſitus viſcerum eorundemque cum aliis partibus connexio & praecipue conſtructio organico-mechanica & mutua illius ad effectuum determinationem & varietatem proportio agnoſcatur, indeque potiſſimum uſus, in ipſa aliquando medicina & chirurgia deprehendendus, addiſcatur.

§. IV.

Quae omnia ſi recte aeſtimentur & ad animum debite admittantur, facile patebit, Anatomiam *vel* circa ſolas tantum ἐγχειρήσεις ſeu *dexteritatem ſecandi* corpora verſari, quo ſenſu Galenus diſtinctos ſcripſit commentarios de *exercitiis*

ſeu

ſeu *adminiſtrationibus Anatomicis*, vel ſimul intendere, ut peritia tali ſecandi ipſae quoque partes tam externae quam potiſſimum internae innoteſcant & numerus, figura, ſitus, connexio & conſtructio ſeu texturae varia conformatio, pro futuris *uſibus* tam *medicis* quam *chirurgicis* ſenſibus exponantur, *vel* altero ſimul oculo reſpicere ad *uſum* & *functionem* talium organorum declarandum, quod in diſtinctis iterum commentariis de *uſu partium* Galenum feciſſe novimus.

§. V.

Simul vero etiam adparet, ejusmodi ſectionem adminiſtrari vel in *corpore vivo* (animalium nempe viventium) vel in *mortuo*, hominum ſcilicet, vel violenta morte peremptorum, vel certis morbis denatorum; Ex quo ultimo praecipue reſpectu *Anatomia* vere *Practica* exurgit, cujus ope talia ſaepius deteguntur, quae ante ſectionem vix ulli in mentem venerant, quaeque unico ita obtutu innumeras ſpeculationes, quae ante ſectionem ad ravim usque indecoro & moleſto fervore defendebantur, peſſundant & evanidas reddunt. Harum ſectionum beneficio hic deteguntur polypi aliaeque excreſcentiae peregrinae, alibi ulcera vel apoſtemata; hic calculi, alibi vermes &c. Inde tandem enatum eſt egregium illud Theophili Boneti opus, quod *Sepulchretum* ſuum vocat, quodque omnes boni in ſummo habent pretio. Optandum profecto foret, Proceres Imperii Romano-Germanici Profeſſoribus medicinae in Academiis Germaniae ſimilem libertatem indulgere, qualem Rex Chriſtianiſſimus, quisquis tandem alio intuitu fuerit, vel Belgii ſœderati Ordines, ſicuti non ſine grata animi oblectatione, quamdiu inter Belgas verſatus ſum, recordor, ſuis liberaliſſime concedunt, in ſecandis cadaveribus hominum, in noſocomiis publicis

defunctorum. Sed (b) quis vivet, quando ista fient, aut votorum nostrorum participes erimus?

§. VI.

Ast propositum nostrum hac vice non patitur, in haec omnia prolixius diffundi; Nostra enim intentio eo tantum tendit, ut tyronibus artis brevem atque succinctam exhibeamus historiam illorum scriptorum, qui *rem anatomicam* a primis artis incunabulis usque ad praesentia nostra tempora suis operibus & lucubrationibus illustrarunt: Quo ipso obviam procedere laboravi meis meorumque Auditorum desideriis, qui, quotiescunque collegia anatomica aperienda fuerunt, toties defectum illum sufficientis historiae litterariae scriptorum anatomicorum mecum agnoverunt & conquesti sunt. Quo proinde in negotio ut & illis & mihi ipsi satisfacerem, adversaria mea, quae otio litterario indulgens ex lectione Auctorum collegeram, in ordinem redigere & primum in calamum dictitare cœpi, deinde vero laboris hujus pertaesus plane praelo submittere decrevi, sperans, me hoc ipso, si non apud omnes, bonos tamen, aequos & cordatos rerum judices aliquem

(b) Quod tunc temporis, cum haec scriberem, in votis habebam, id hodie munificentia singulari Regis nostri indulgentissimi in terris Prusso-Brandenburgicis, non sine laetitiae sensu adimpletum esse video. Non enim solummodo in sede Regia magnificum exstructum est *theatrum anatomicum*, in quo *cursum* suum facere coguntur, qui ad poliatrorum vel physicorum provincialium officium adspirant, vel praxi medico-clinicae sese adcingunt: Sed & *Collegia medica provincialia* sunt erecta, quibus corpora mortuorum, qui publicis sumtibus in nosocomiis alebantur, cultro anatomico submittere licet. Neque dubium est, quin laudatissimum hoc ac vere regium institutum plures alii Principes suis in ditionibus sint imitaturi.

aliquem adſenſum & gratiam meriturum: Quid enim naſu-tuli quidam clanculum machinentur, ut ipſi ſoli emergant, nullo numero habendum eſſe exiſtimo, praeſertim ubi hujus ſuae in judicando facilitatis ac temeritatis ſemel atque iterum promeritas poenas ſubierunt; Ut mirandum potius ſit: PISCATOREM ICTUM NON SAPERE. Quid vero non audet glorioſa & temeraria Juventus?

§. VII.

Hiſce interim ita conſtitutis, nemo, opinor, fuerit, qui in pejorem partem interpretabitur, quod promiſcue ad hanc claſſem auctorum anatomicorum retulerim, tam, qui in ſolis adminiſtrationibus anatomicis tradendis occupati fuere, quam etiam, qui in hiſtoria partium earundemque uſu evolvendo laborarunt, ſive hanc notitiam adquiſiverint per Zootomiam ſeu animalium tam vivorum quam enectorum ſectionem, ſive demum per cadaverum humanorum, certis morbis denatorum, apertionem. Cum enim omnes aequo jure huc pertineant, nemo propterea aliquem ſibi ſcrupulum injici patietur.

§. VIII.

Quamvis enim non ſim neſcius, anatomiam intra limites ſuos ſtricte ſeſe continentem, praeter numerum partium, tam ſolidarum, nempe oſſearum & cartilaginoſarum, quam ſolideſcentium, nempe membranoſo-muſculoſarum, tendinoſarum, nervearum, ligamentoſarum imo & vaſculoſarum, arteriarum, venarum, lymphaeductuum &c. figuram, ſitum, connexionem mutuam, indeque hauriendam mutuam communicationem ejusmodi partium vix aliud quicquam pro ſcopo ſuo habere: Deſiderant tamen plerique, nimis ſterilem, moleſtam ac taedioſam fore ejusmodi tractationem,

niſi

nisi simul ad texturae organorum indagationem indeque fluentem usus atque officii determinationem digrediendi licentia concederetur. Quo intuitu nemini grave videbitur, si *anatomiam* aliam *physicam*, aliam vero *medicam* nuncupemus.

§. IX.

Quae cum ita, sicuti dictum est, comparata sint, cur tanta cum ἀκρίβεια laboraremus in distinguendis atque a se mutuo secernendis illis scriptoribus, qui vel sola tantum exercitia anatomica, vel una cum illis etiam historiam partium tradiderunt, vel cum omnibus illis etiam simul usum earundem sibi declarandum elegêre. Recenseamus potius illos, prout serie naturali temporis nobis occurrent, parum morantes, in quocunque demum dictorum operam suam collocaverint.

§. X.

Vetustiorem uti totius medicinae, ita potissimum anatomiae scriptorem praeter Hippocratem Coum vix reperiemus; Id quod tamen non ita intelligendum est, quasi ante Hippocratis tempora nemo fuerit, qui vel medicinam vel anatomiam excoluerit: Contrarium enim ex ipsis antiquorum testimoniis satis probavit & proinde altius origines *anatomicas* repetendas esse existimavit *Philippus Jacobus Hartmannus*, Phil. ac Med. D. hujusque olim in *Academia Regiomontana* PP. Ord. qui *exercitatione*, quatuor *disputationibus* eruditorum examini publice expositis, comprehensa, primos & reconditos artis anatomicae natales ex antiquitatis monimentis magna non minus industria quam eruditione evolvit atque conspiciendos exhibuit: Pro quo vere aerumnoso labore eo majores ipsi gratiae habendae sunt, quo pauciores fuere, qui illum in se suscipere sategêre. Jucundum est, *primordia*

artis

artis, quae nondum ulla turpavit ambitio, quaeque *nuda* veluti *conſpicienda ſeſe praebeat, minusque ſuo in habitu varietatis* habeat, ſolertius eruere. Jucundius eſt, *ex ortibus ſucceſſus, ex ſucceſſibus incrementa, ex incrementis decrementa rurſus, atque continua rerum ſucceſſione alias ex aliis vicibus viciſſitudines cognoſcere*, ſicuti *Auctor* ipſe in *praefatione* loqui amat.

§. XI.

Verum, ut praeter jucunditatem ac delectationem etiam utilitati conſulatur, placet ſingulas iſtas exercitationes breviter percurrere, ac praecipua rerum momenta fideliter inde excerpta hic in compendio ſiſtere. Hae igitur exercitationes novem conſtant *capitibus*, in quorum *priore*, indicato ortu, anatomicae cum aliis artibus atque ſcientiis communi, inquiritur in cauſas, quae hoc ſtudium antiquitus negligi fecerint, quae ſunt: *Quod viva quondam mactare plerisque religio, cadavera vero vel contingere nefas, vel lacerare, ſcelus fuerit.* Ex quo vero victimas DIIS offerre, atque adeo animalia mactandi invaluit conſuetudo, abeſſe vix potuit, quin aliqua, licet rudis anatomices forma ſenſim ſubnaſceretur. Quis enim tam ſimplices & ab omni ſanae rationis uſu ita remotos ſibi fingat ejus temporis homines, quin ſacrificia facturi, *ex inſpectione extorum* ea in uſus ſuos tranſtulerint, quae vel ad hiſtoriam vel ad uſum partium pertinebant? Unde & philoſophis & medicis *extiſpicina* fuit citata, ut ex ea *anatomicen* primos ſuos hauſiſſe natales, luculenter conſtaret.

§. XII.

Ut vero diſtinctius pateret, quid potisſimum *extiſpicinae* deberet *anatome*; Hinc *ſecundo capite* ſpecialius indicat, commoda illa non in eo tantum conſiſtere, quod *extiſpices* nomina graeca aeque ac latina partibus variis impoſuerint, ſed

quod partium animalium diſſectione internarum quoque partium cognitioni viam paraverint, imo, quod plus eſt, in ipſis illis partibus etiam adnotaverint, quid *ſecundum* vel *praeter naturam* ſeſe habere, vel plane ceu *inſolitum* judicandum ſit? Ad quod praeſtandum diuturno uſu ac repetita inſpectione attentaque conſideratione viſcerum opus fuiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: Unde apud *Suidam* & *Stephanum* ſplanchnoſcopiae & *ſplanchnoſcopi ac ſplanchnotomi* voces occurrunt; Ut ſatis indicetur, non ſane obiter, ſed ſumma attentione atque ſollicitudine inſpexiſſe extipiſces interanea, non aliam quidem ob cauſam, quam ut ex varia illorum habitudine, ſi vel *ſecundum* vel *praeter naturam* ſeſe haberent, vel praeter conſuetudinem inſoliti quid obferrent, eventura inde praeſagirent.

§. XIII.

Duobus proxime ſequentibus capitibus, *tertio* & *quarto* id potiſſimum agit exercitationis *auctor*, ut membra illa interna commemoret, quae ab *extiſpicibus* fuêre obſervata, ſicq; *uſus haruſpicinae in re anatomica eo evidentior compareat*; Exemplo eſſe poteſt hepar ejusque lobus, veſica fellea, cor, pulmo, lien aliaeque partes, quas variis in animalibus luſtrarunt *extiſpices*, eoque ipſo rudiorem *anatomes* notitiam ſibi adquiſivêre! Et quis dubitet, quod praeter nudam partium hiſtoriam, qualemcunq; quoque manuum promptitudinem atque dexteritatem ſibi adquiſiverint? Erant enim partes quaedam v. g. cor a *victimariis* eximendae, id quod ſingulari ἐγχειρήσει factum eſſe, locis quibusdam ex *Hippocrate* & *Galeno* allegatis ab *auctore* illuſtratur.

§. XIV.

§. XIV.

Progreditur hinc *capite quinto* ad *culinariam* veterum, quidve emolumenti in *rem anatomicam*, ſaltem *rudiorem*, inde redundârit, exacte diſquirit. Probabile enim eſt, coquos, cum tam victimariorum quam lanionum munia expedirent, ab his varias *ἐγχειρήσεις*, animalia mactandi viſceraque eximendi, didiciſſe; Qua etiam de cauſa coquos ab anatomicis citatos eſſe, ex variis *Galeni* locis adſtruitur, manifeſto argumento, illos eo tempore ſecandi artis haud omnino imperitos eſſe judicatos. In gente hebraea ſaltem manifeſtiſſimum eſt, *anatomicen* ad laniones ſuos retuliſſe natales; Non enim licebat ſancto huic populo aliam DEO immolare victimam, quam perfectam omnisque vitii expertem. Imo, quae in domeſticum uſum mactarunt animalia, eorum viſcera ſollicite ſcrutati leguntur; Quem morem in hunc usque diem pertinaciter obſervant Judaei, nullum animal mactantes vel comedentes, quod non omni ex parte purum, perfectum omnique labe deſtitutum fuerit deprehenſum.

§. XV.

Viſis & conſideratis primis *anatomices* incunabulis, pedem promovet auctor *capite ſexto* ad ea tempora, quibus cultiorem induit faciem; Id quod circa tempora *Trojana* factum eſſe, haud contemnendis argumentis adſtruit *noſter*: Vix enim fieri potuiſſe videtur, ut chirurgi ejus temporis in telis extrahendis variisque vulneribus curandis fuiſſent occupati, nec tamen ſimul inſignem in ſeparandis variis partibus C. H. dexteritatem atque peritiam ſibi adquiſiviſſent. Quaerit autem hoc loco admodum adpoſite: Utrum *Aegyptii* prae *Graecis*, an vero *hi* prae *illis* anatomen citius excoluerint? Ac merito reſpondet: *Graecis* ſerius prae

Aegyptiis anatomen esse excultam. Antiquissimus enim apud Aegyptios mos viguit, corpora demortuorum condire; Id quod cum sine lustratione & dissectione fieri non potuerit: Pronum est, inde colligere, peritiam secandi haud vulgarem ipsos sibi adquisivisse; Taceo, *Aegyptiis* potissimum divisionem C. H. in *caput*, *thoracem*, *manus* & *crura* in acceptis referendam esse. Hinc vero demum ad *Graecos* transiit, quorum Philosophi ad Hippocratem usque laudabili studio excoluêre *Anatomen*, inter quos tamen *Democritus* palmam aliis praeripuisse videtur, ut tamen, quod *Abderitis* esset exosa, perficere eandem non potuerit. Huic ordini *capite septimo* adsociavit quoque *Hartmannus* primum *Aristotelem*, per quem *anatomica* adolevit, deinde *Erasistratum*, qui ex eadem arte multum sibi laudis comparavit, tandemque *Herophilum*, cui *Galenus* hoc sincerum perhibet testimonium, quod in *dissectionis disciplina* fuerit consummatus. Nec tamen id, quod de philosophis *anatomes* cultoribus dictum, ea ratione intelligendum est, quasi interea medici otiosi fuerint spectatores eorum, quae a philosophis agebantur, imo hi potius *anatomen* sibi propriam fecere; Unde etiam suas scholas, ceu peculiaris disciplina postmodum nacta est.

§. XVI.

Uti vero *anatomicae disciplinae* initia, incrementa & progressus, ex antiquitatis monimentis eruta hactenus exhibuit Auctor: Ita nunc duobus postremis capitibus, *octavo* ac *nono* ejusdem statum nobis delineat, ex quo ejusdem paullatina decrementa aestimari haud difficulter licet. Atro inprimis carbone notat *empiricos* atque *methodicos*, quorum illi *anatomicen* admodum contemptim habuêre, hi vero, medicinam intra sex mensium spatium addisci posse, impudenter

denter mentiti ſunt. Et licet aevo *Galeni* cura *anatomes* non quidem penitus rejecta fuerit, idem tamen ceu *ſtator fugientis peritiae anatomicae* à *noſtro* ſiſtitur. Quae vero *Galenum* inſequuta fuêre tempora, adeo fuêre ſterilia, ut nihil fere memoratu dignum de rebus anatomicis proditum fuerit. Nec meliora artis optimae fata fuêre *Arabum* aetate, non quod ſocordia ab adornandis *exercitiis anatomicis* abſtinuêrint, ſed religione Mahomedana, quam plerique illorum amplectebantur, prohibiti, a caedibus animalium abſtinuerint.

§. XVII.

Sub finem vero Seculi XV. & initium XVI. ſolertes quidam viri operi anatomico manum denuo admoverunt, quorum numero *Mundinus*, *Jacobus Carpenſis*, *Realdus Columbus*, *Andreas Veſalius*, *Bartholomaeus Euſtachius*, *Gabriel Fallopius*, *Carolus Stephanus*, *Platerus*, *Bauhinus*, *Laurentius* aliique plures a noſtro accenſentur. Paucis ut nos expediamus, nulla hac aetate cultioris & eruditae Europae gens fuit, quae non in *anatomes* cultum quaſi conſpiraverit; *Germani*, *Itali*, *Galli*, *Angli*, *Dani*, *Sueci*, *Belgae* certatim quaſi in augendo atque locupletando ſtudio anatomico laborarunt. Solos inde *Ruſſos* cum *Aethiopibus* & *Sinenſibus* inde excipit; De *Ruſſis* ſpeciatim ex *Olearii* itinerario probat, quod *ab anatomia & ſceletis abhorreant;* Aliter vero abſque dubio ſentiret *Hartmannus*, ſi hodie viveret: PETRI enim Magni Ruſſorum Imperatoris munificentia vere regia factum eſt, ut *theſauri Anatomici Ruyſchiani*, magna pecuniae ſumma cöemti, *Petropolim* fuerint translati; Qua in ſede Imperatoria ejusdem Ruſſicae Majeſtatis auſpiciis hodie pari dexteritate *demonſtrationes anatomicae* inſtituuntur, ſicuti in ulla alia Europae univerſitate hucusque adornari conſueverunt.

§. XVIII.

Erutis hoc modo ex fontibus antiquitatis primis *scientiae anatomicae* originibus, accingit se *auctor* ad confutantandum ac diluendum ea, quae contra *peritiam veterum anatomicam* in genere adferuntur; Cujus generis sunt: *Antiquos non omne animalium genus cultro lustrasse*, speciatim vero in *corpore humano* eiusmodi lustrationes nunquam instituisse; Eos nec *rationem subjecti* nec *elegantiam demonstrationis* attendisse; *Talibus adminiculis* & *instrumentis, quibus hodie instructi sumus, illos fuisse destitutos*, & quae sunt ejus generis plura, ex quibus omnibus tandem sic concludit: *Veterum anatomicas operas neque arte rudes neque ingenio minores his proximorum seculorum in hoc genere studiis aestimandas: Cum constet, nec occasionem nec animum illis defuisse, quin per omnia animalium genera cultro grassarentur anatomico, ut naturam penitius introspiciendam repanderent.*

§. XIX.

Nimium itaque in venerandam antiquitatem eorundemque rem *anatomicam* injurii sunt, qui totam illam epocham *ab orbe condito per integra sex & triginta secula & dimidium ad Alexandri M. imperium usque effluxisse* putant, ut tamen vel nihil vel exiguum saltem anatomico in studio praestitum esse adpareat. Primo enim fidem omnem humanam superat, toto hoc temporis intervallo tanta ignavia atque socordia laborasse homines, ut, cum alias artes atque scientias magna solertia excolerent, solam *anatomen* neglexerint nulloque numero habuerint; Quod vel sola *extispicina*, ad notitiam C. H. partiumque ejusdem tam externarum quam internarum perveniendi, occasionem praebere potuerit imo debuerit: Cum *extispicum* officium praeter alia in eo consisteret, ut, quid *secundum*, quid *praeter naturam* vel plane *insolitum*

litum eſſet, adcurate perpenderent: Id quod praeſtare neutiquam potuiſſent, niſi ſtatum C. H. naturalem & ordinarium probe cognitum atque perſpectum habuiſſent.

§. XX.

Deinde vero, quod (c) *Aegyptios* ſpeciatim attinet, nullum dubium eſt, quin ipſi illi, qui in *phyſiologia*, *pathologia*, *materia medica*, *methodo medendi* imo *therapia* ipſa tam *medica* quam *chirur-*

(c) Plerique de peritia anatomica *veterum Aegyptiorum* tam abjecte ſentiunt, ut, ſi, quae ab illis hac de re traduntur, vera eſſent, vix lanienae comparari mereretur. *Hermannus Conringius*, cui univerſa Aegyptiorum ſapientia vel ſuſpecta vel plane magica ſuperſtitione contaminata videtur, fateri tamen coactus eſt, quod, cum *artem facturo neceſſaria ſit corporis humani notitia*, *non* certe *proletaria*, *ſed quae diſſectione comparetur*, *idem quoque Aegyptiis viſum*; Et argumento id inprimis eſſe *ſtudium illorum*, *quod huic rei ab illis eſt impenſum*. Daniel le Clerc in *hiſtoria medicinae* part. II. Lib. I. Cap. III. p. 298. etiamſi inficias ire vix auſit, ex balſamatione corporum in anatome antiquiſſimam illam gentem proficere aliquid potuiſſe; Negat tamen, quod, cum leges obſtarent, curioſitati ſuae omnino ſatisfacere potuerint. Verba ejus haec ſunt: *Il eſt vray, qu'en Egypte l'on avoit accoutumé des long-temps auparavant d'embaumer les corps morts, ce qui ne pouvoit ſe faire ſans les ouvrir*; *Auſſi* Galien *avoüe-t--il, que cette coutume pouvoit avoir fourni aux medecins de ce pays-la une occaſion favorable de s'inſtruire. Mais*, (Sic enim pergit Clericus,) *comme il n'y a pas d'apparance, que ceux, qui travalloient a ces embaumemens, oſaſſent ſatisfaire entierement leur curioſité, ni fouiller auſſi avant, quils il auroit eté neceſſaire dans les corps humains, que l'on regardoit comme quelque choſe de ſacré: l'anatomie ne put pas s'etre beaucoup avancée, pendant que l'on n'avoit pas d'autres moyens, que celuilà. Il falloit neceſſairement avoir des cadavres, ſur lequels on put tout entreprendre.* Huic congruit alius locus, qui pag. 713. in notula * circa finem reperitur,

chirurgica imo *pollinctura* tam laudabiles fecerant. progressus, *anatomen* solam reliquerint incultam. Ipsi Reges, *Eusebio* teste, antiquissimis hisce temporibus, *rei medicae* operam navasse leguntur, imo secundum *Plinii* irrefragabile testimonium, iidem *Aegyptiorum reges corpora mortuorum*, ad morbos cognoscendos, *consecasse* dicuntur. Memoratur inprimis *Eusebio* Athostis

---

ubi inquit Clericus: *Au reste, on voit par ce passage de* Diodore, *que la pratique des embaumemens, quelque frequente qu' elle fut chez les Egyptiens, ne devoit pas les rendre plus hardis a faire les dissections de corps humains. Si ceux, qui etoint apellez par leur profession à en faire l'ouverture, dans la vuë de les conserver, etoint regalez de coups de pierres par les assistans, à quel peril n' auroint pas eté exposé ceux, qui auroint entrepris de dechiqueter ces mémes corps depuis la tête jusqu' aux pieds, comme il auroit fallu necessairement le faire pour s' instruire à fond de la nature de toutes les parties, de leur situation, connexion etc.* Schultzius histor. Med. Period. I. Sect. I. Cap. III. §. XIII. & sequentibus *simpliciter profitetur, se nondum unicum invenisse argumentum, quo antiquis Aegyptiis, ante Graecorum adventum res suas sibi habentibus, aliquod praeclarum meritum de anatome vindicari possit.* Hujus vestigia premit *Gottlieb Stolle* in introductione in historiam litterariam medicinae, qui quidem concedit, eos, qui circa balsamationem corporum mortuorum versati sunt, qualemcunq; notitiam de situ ventriculi, hepatis, lienis, renum, pulmonis aliorumque viscerum adquirere sibi potuisse, eximie autem falli, qui propterea anatomicam quandam peritiam vindicare ipsis vellet: Quia alias sacrificuli ethnicorum, imo ipsi plane laniones anatomicorum seriei essent adscribendi. Simili plane ritu de anatome Aegyptiorum ratiocinatur *Bruckerus*, qui, quasi rem omnem fundamentaliter exploratam haberet, audacter scribit: Scientiam illorum anatomicam illa lanionum vix perfectiorem vel meliorem fuisse. Hisce omnibus jungimus tandem *Johannem Junckerum*, qui *in conspectu physiologiae medicae* atque *hygieines* in forma

Athoſtis ſive Athoſtas quidam, qui *libros anatomicos* ſcripſerit, additque auctor *antiquitatum anatomicarum*, cujus diſſertationes antea in ſynopſi exhibuimus, quod ex *Jul. Africano* id *deſumſerit*, qui *Manethonis*, ſacerdotis *Aegyptii* libros excerpens, haec reliquerit: Αθωθις - - - ού φερονται βιβλοι ανατομικαι; ιατρος γαρ ην.

§. XXI.

Verum ſunt, qui cum *Conringio*, ſtrenuo illo *antiquitatum Aegyptiacarum* irriſore, ea omnia, quae de libris *Athotis* anatomicis antea retulimus, *fabuloſa* eſſe credunt; Quaſi unius hujus viri auctoritate omnis fides hiſtorica niteretur.

 Non

tabularum haud ita pridem in publicum emiſſo, ingenue quoque faſſus eſt, *exiguam anatomes peritiam fuiſſe* Aegyptiis, imo libros *Athoſtis* regis anatomicos ab antiquitate eſſe confictos, *Plinii narrationem eſſe incertam* & *luculentum inſcitiae illorum anatomicae teſtimonium* adferri ab *Herodoto* Libro II. p. 136. Quae omnia licet hac vice ſuo loco lubens relinquam, non poſſum tamen, quin hiſce omnibus *Olaum Borrichium*, virum in omni antiquitate verſatiſſimum opponam, qui non modo diſertis verbis enunciavit, *primos hominum* Aegyptios *ad diſcendum ex anatome naturam interiorem animalium induſtriam ſuam laudabili auſu contuliſſe & primos hominum humana viſcera ad morbos inveſtigandos aperuiſſe*, ſed & luculentum *Manethonis apud Euſebium* Pamph. in Chron. teſtimonium de *Athoſti*, antiquiſſimo Rege Aegypti, non ex faece, ſed ex archivis depromptum eſſe, adſerere haud dubitavit. Et quamvis hanc *Borrichii* adſertionem vel *fabuloſam* vel riſu dignam eſſe exiſtimaverit *Conringius*: Recte tamen regeſſit *Borrichius*, multos alios libros pro *fabuloſis* habendos vel ridendos eſſe, ſi ad condemnandum ſufficeret, *ab alio non memorari*, quo inprimis argumento uſus eſt *Conringius*, acerrimus *Borrichii* inſectator. Reliqua, quae ab aliis pro imminuenda, quam in anatomicis ſibi adquiſiverunt, fama, adferri in medium ſolent, vix refutatione digna ſunt.

Non autem veritatis ſtudio, ſed ſolo contradicendi pruritu ductum Conringium tam illuſtria veterum teſtimonia ſuſpecta reddidiſſe, ex ipſis ejus verbis, quae de *hermetica medicina* Lib. I. Cap. X. attulit, perſpicuum eſt. Ita enim inquit: *Sed hoc* (quod de *Athoſta* modo retulimus) *FORTASSIS eſt fabuloſum. Certe talis libri nusquam alibi fit mentio: Eoque nec a nobis vel in laudem vel in vituperium ejus dici quicquam poteſt.* Et paucis interjectis, modeſtia fere omni depoſita, ſic pergit: *Quae tanquam ab Aegyptiis accepta narrantur, plane ſtulta ſunt & inepta:* Verum acri, quam optimo jure meruerat, cenſura perſtringitur à *Borrichio*, viro antiquitatum peritiſſimo: *Quaſi vero*, inquit, *gravius quicquam in vituperium ejus* (*Manethonis* apud *Euſebium*) *dici poſſet, quam illud:* Eſſe *fortaſſe* fabuloſum. *Quot libri fabuloſi erunt, ſi ad condemnandum id ſatis ſit*, ab alio non memorari? *Conſtat autem, docente* Euſebio, Manethonem *ex archivis hauſiſſe, non ex face.* Quam indignum vero ſit *Conringiano* nomine hoc judicium, illud FORTASSE ſatis indicat. Ut vehementer miremur, quî fieri potuerit, ut magnum nihilominus pretium in eo nonnulli repoſuerint, ſibi aliisque perſuadentes, *quanto plauſu eruditiſſimus quisque hanc Conringii admonitionem* exceperit; Quam tamen quivis imperitae plebis ſuppeditare potuiſſet. Si enim cum fide hiſtorica ea ratione agi liceat, quid tandem credendum? Annon eodem jure de illis, quae C. *Nepos* de vitis Imperatorum & Q. Curtius de rebus geſtis Alexandri M. retulit, dicere integrum erit; *Eſſe totum hoc FORTASSE fabuloſum;* Non miror autem, *Conringium* usque adeo dubitanter *de Athoſta* locutum eſſe, qui *Hermetem Triſmegiſtum* unquam fuiſſe, dubitavit, aut, ſi extiterit, magum vel daemonem fuiſſe, improvide adſeruit, à *Borrichio* propterea paulo acerbius caſtigatus. His tamen omnibus nullo numero habitis, ſunt, qui, ad abſurditatem

tem teſtimonii adeo luculenti augendam, audacter ſcribunt: Quod ad *Manethonianam fabulam*, ut illi rentur, reprobandam, ſufficiat, audire, hujus *Athotis*, primi ſcil. anatomici ſcriptoris Aegyptii aetatem mille & fere trecentis annis ſuperare mundi creati tempus, quod Moſes *θεόπνευστος* indicaverit; Quam tamen monſtroſam opinionem Chronologis diſcutiendam relinquo.

§. XXII.

Converto me potius ad alterum aeque luculentum teſtimonium *Plinii*, qui, in Aegypto *reges corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecuiſſe*, perhibuit: Quod, cum tanta luce radiet, ut nullum dubium admittere queat, ex eo tamen infringere nonnulli moliuntur, quod ad recentiora pertineat tempora, & de illis *Lagidis* ſive *Ptolomeis*, *qui medicorum induſtriam ampliſſimo favore foverint & excitaverint*, ſit intelligendum; Cum alii longe rectius id de antiquiſſimis temporibus, ante conditam Alexandriam intellexerint.

§. XXIII.

Quid de *pollinctura* Aegyptiis uſitata dicam, quae certe rem eorum anatomicam haud parum juvit atque promovit? Quanquam enim alii aliter de hiſce profectibus ſentiant, ipſe tamen *Conringius*, veritate rei convictus, dicere auſus non eſt, *nihil* prorſus *hujus doctrinae eos* (Aegyptios) *tenuiſſe; Quum enim*, inquit, *laniones continuo uſu aliquid addiſcant eorum, quae ad corpora brutorum attinent, quidni & hi pollinctores quaedam addidicerint?* Nec obſtat, *paraſchiſten*, ſecundum *Diodori* teſtimonium, *quam primum abdomins tantum, quantum lex jubet, diſſecuit, ex templo aufugiſſe, perſequentibus eum, quotquot adſunt, cum lapidum jactu & execrationibus, ac ſi piaculum in ipſum avertant;* Id inquam, nihil obſtat: Cum in hunc usque diem contu-

meliis & probris, &, si per leges liceret, forte etiam lapidum jactu & execrationibus ignara plebs eos adficere soleat, qui in secandis corporibus hominum versantur, qui tamen propterea à tam laudabili studio sese avocari neutiquam patiuntur. Quid? Quod silentium antiquorum scriptorum nullum solidum suppeditet argumentum, ex quo inferri valide liceat, omni scientia anatomica *Aegyptios* fuisse destitutos.

§. XXIV.

Denique (d) meum quoque feci argumentum, quod ab *Ægyptiorum* consuetudine depromptum est, *secundum quam, teste Plutarcho* sept. sap. *convivio p. 148. sceleton mensae convivantium inferre eosdemque hortari solebant, ut meminerint, se non ita multo post tales fore.* Nec ab hac sententia facile me dimovebunt difficultates, quae ex (e) *Plutarcho* & *Herodoto*, quem ille ante oculos habuisse dicitur, ab aliis in medium producuntur.

ille

(d) Vid. not. (e) pag. 116. & 117. Period. II. hist. Med. Universal. & histor. Anat. §. X. p. 9.

(e) Cum sententiae contrariae patroni facile animadvertant, haud exiguum momentum accessurum interpretationi *Xylandri*, si vocabulum *sceleti* sensu technico à *Plutarcho* adhibitum esse, probari posset; Omnem movent lapidem, ut *Xylandri* glossema, quod *intempestivum* vocant, falsitatis convincant. Eum in finem *Plutarchum* committunt primum *Plutarcho*; Quod enim is libello, *septem sapientum convivio* p. 148. Τον Αιγυπτιον σκελετον dixerat: Id eundem *Symposiacor.* VIII. p. 736. de *cadavere, corpore mortuo* exposuisse, volunt, atque adeo locum illum ad *osteologiae* ab *Aegyptiis* excultae probationem nihil prorsus conferre concludunt. At vero, quid vetat, quo minus vocabulum *sceleti* pro termino technico, istis etiam etiam antiquissimis temporibus usitato, habeatur & agnosca-

§. XXV.

Nec multum ſtringunt argumenta, quae in contrarium allegantur, ad ſcientiam *Aegyptiorum* anatomicam quôvis modo extenuandam. Eſto, lege publica prohibitum fuiſſe Aegyptio homini, canem vel aliud tale impurum animal

tur? Nam το σκελος, quod ἀπο τȣ̃ σκελλεειν five σκελλειν, ab arefaciendo, exſiccando nomen habet, os & in pl. σκελη oſſa ſignificat; Unde enatum vocabulum σκέλετος, i. e. compages oſſium aridorum ſive exſiccatorum, ſive, ut idem *Suidas* interpretatur, cadaver aridum, ἄσαρκον. Quae etymologia altero *Plutarchi* loco, quo, quod σκελετον antea vocaverat, nunc *νεκρον, cadaver, corpus mortuum*, ſed ἄσαρκον, aridum, exſiccatum, ſolis oſſibus artificioſe inter ſe mutuo conſtans, nuncupat; Et quid hoc aliud eſt, quam ſenſu technico à *Plutarcho* acceptum eſſe ſceleti vocabulum? Deinde vero, quod clariſſimum, ut putant, teſtimonium ipſius *Herodoti*, quem *Plutarchum* ante oculos, quaſi ipſi teſtes ejus rei oculati fuiſſent, habuiſſe fingunt, attinet, illud eximie pro noſtra militat ſententia. *Circumfert*, inquit, *vir quidam νεκρον εν σορῷ ξυλινον πεποιημενον cadaver* in loculo jacens, *ex ligno fabrefactum, quod & ſculptura & pictura quam exactiſſime aſſimilatum eſt.* Quid quaeſo haec παραδειγματα νεκρων ξυλινα, ſive, τυποι ξυλινοι ανθρωποειδεες, ſimulacra ſive typi hominum mortuorum lignei fuerunt? An forte imagunculae, icunculae ex ligno paratae, homini ſculptura ſimiles, quibus puellulae primis infantiae annis ludere conſueverunt? Neutiquam; Nam de his dicere citra abſurditatem non potuiſſent convivantes: Hominem vita functum talem i. e. imagunculam vel icunculam ligneam fore. Et quis credat, quenquam convivantium, oſtenſo tali ſimulacro ligneo, mortalitatem ad animum ſibi revocaturum fuiſſe? Contra exactiſſime hoc quadrat ſceleto, i. e. compagi ſive oſſeae, ſive ligneae, ex ligno ad illius ſimilitudinem fabrefactae: Nam de hoc vere dici poteſt: *Hominem vita functum talem fore*: Quia, poſtquam

interficere, aut ab alio interfectum dissecare, quid inde? Nitimur in vetitum. Severissimis legibus prohibitum est, ne puella, furtivis amoribus gravida facta, puerum ex se natum interficiat; Et sunt tamen quotannis, quae, rigore legis non obstante, criminis hujus reas sese faciunt. Et licet quam maxime formidine poenae ab animalibus talibus interficiendis ac dissecandis abstinuissent; Nemini tamen prohibitum erat, ea mactare animalia, quae in cibum concessa ipsis erant. Et quidni ipsis licuisset, in talium animalium interaneis perlustrandis sese exercere, ut illorum naturam exquisitius scrutarentur? An vero crebrius vel rariùs id factum fuerit, idoneorum testimoniorum defectu nec adfirmari nec negari potest.

§. XXVI.

Caeteroquin tam misera esse eorum argumenta, qui qualemcunque peritiam Anatomicam *Aegyptiis* vindicare haud erubescunt, ut, referri tantum ea, pigeat, permultis aliter videtur; Saltem Doctiss. & in omni antiquitate versatissimus *Borrichius* id sibi tam facile à *Conringio* persuaderi passus non est.

§. XXVII.

---

putredo vel vermes carnes consumserunt, sceletos talis seu homo osseus relinquitur. Et hic est, qui omnium efficacissimè viventes, potissimum convivantes mortalitatis, & ut praesenti hilaritate modice uterentur, commonefacere potuit. An vero vocabulum hoc technicum σκελετος toti Graeciae usque adeo novum fuerit, ut in nullo scriptore, qui ante Alexandri M. tempora quicquam litteris consignaverit, reperiatur, curiosa quidem, anxia tamen indagine vel ideo non indignum est, quia, si quis contrarium demonstraverit, praemium aeque splendidum est reportaturus, ac si problema quoddam, quod Academia scientiarum Parisiensis proponere solet, solvisset.

§. XXVII.

Aſt mittamus *Aegyptios* & ad rem anatomicam *Sinenſium*, *Japonenſium* & *Malabarum* nos convertamus! Quod *Sinenſes* ac *Japonenſes* attinet, altum ubique ſilentium eſt penes auctores. Ipſe *Cleyerus*, qui ſpecimina quaedam medicinae *Sinicae* in lucem protraxit, pauca vel nulla peritiae anatomiae veſtigia iſta in gente detegere potuit. (f) *Freindius* adſerere haud dubitavit, *Sinenſes*, quibus etiam *Turcas* jungit, *artium mechanicarum cognitione contentos, ſcientias negligere*. Diligenter quoque evolvi ſcientiam omnem Sinenſem, quae ſub inſcriptione: Confucius Sinarum Philoſophus; juſſu Ludovici Magni, Galliarum Regis & opera Patrum quorundam Societatis Jeſu edita fuit; Verum nihil eorum, quae peritiam anatomicam redolerent, prolixo iſto in opere reperire licuit. Ut audaciam (g) *Andreae Cleyeri* aliorumque, qui coecam ipſi fidem adhibuere, ſatis mirari nequeamus, qui adſerere haud veritus eſt, circulationem ſanguinis medicis *Sinenſibus*, ultra 4000. annos, prius, quam Europaeis innotuiſſe. Eſto, excidiſſe illis *circuitus* vocabulum; Nunquam tamen inde probabunt *circulationis ſinicae* adſertores, veras illius leges unquam ipſis perſpectas fuiſſe. Exactius tantum perpendatur ficti circuitus exemplar, ut per duodecim vias ordinarias abſolvi ab illis fingitur, & ex *Cleyero* in Dialogos ſuas trans-

(f) In hiſtoria medicinae pag. 202.

(g) Verba ejus in epiſtola ad Simonem Paulli, quae Actor. Haffn. Vol. IV. Part. 1. Obſ. 1. p. 4. exſtat, haec ſunt: *Unicam rem magnae molis, quam vix mente complecti poſſum, nedum facultate conſequi, narrari licet*, *medicis* Sinenſibus *tot retro ſeculis* (ultra 4000. annorum) *uſum circulationis ſanguinis innotuiſſe prae Europaeis*,

transferri curavit (h) *Barchusen*, & mendaciſſima opinio ſponte ſe prodet. Quod *pulſuum* doctrinam ſubtilius atque curioſius, quam utilitas vel neceſſitas requirebat, excoluerint, nullum quoque argumentum praebet, quod de motu humorum circulari quicquam ipſis innotuerit, quod cum invento Harvaeano comparari nullo modo poſſit.

§. XXVIII.

De *Malabaricae gentis* ſcientia anatomica idem eſto judicium. (i) *Johannes Erneſtus Gründlerus* candide ediſſerit, *anatomes fere ignaram eam eſſe, adeo ut ne viſcerum quidem ſitum ſciant: Medicos tamen ocularios ſcire de hac parte ſatis accurate loqui.* Pulſuum aeque adcurati, ac *Sinenſes*, ſunt obſervatores.

§. XXIX.

Praeterea ſatis conſtat, ante Hippocratis tempora jam dudum in *ſchola Aeſculapiadea* floruiſſe anatomen ſeu artem ſecandorum corporum; Id quod ab ipſo Galeno ſolerter adnotatum legitur. Nempe patres in adminiſtrationibus Anatomicis ſuos inſtituiſſe infantes, eosque à prima ſtatim infantia diſſectionibus brutorum animantium adſueviſſe; Adeo ut orali veluti traditione haec ars à patre tranſierit in filium; Hinc & ea tempeſtate methodum tractandarum adminiſtrationum Anatomicarum deſcribere ſupervacuum erat, quia aeque impoſſibile erat, in familia Aeſculapiadea anatomiam dediſcere, quam literas alphabethi, cum utrumque eodem tempore addiſcerent. Ad ſummum vero perfectionis faſtigium tempore Aſclepiadarum evectam fuiſſe anatomen, quis praeter Galenum

(h) In hiſtor. Medic. dialog. XIV. p. 378. 379. & 380.

(i) In *medico malabarico* ſeu brevi relatione de ſtatu artis medicae inter gentes *Malabaricas*. Recenſio ſcripti hujus Volum. I. Actor. N. C. in appendice p. 106. & ſeqq. exhibita eſt.

Galenum adfirmabit? Interea tamen ſine qualicunque ſcientia anatomica nec vulnerum, nec ulcerum, nec luxationum, nec fracturarum &c. chirurgiam tractare potuiſſe veteres, evidentiſſimum eſt, quia praeſupponit cognitionem ſitus naturalis partium, articulationis oſſium, tendinum, nervorum, ligamentorum, vaſorumque ſanguineorum reptatum & communicationem, ſine quorum omnium exquiſita notitia praxis chirurgica exerceri nequit, cujus tamen peritos aeque ac intelligentes fuiſſe Aſclepiades, conſtat inter omnes.

§. XXX.

Interea extra dubium eſt, Hippocratem primum fuiſſe, qui libros quosdam anatomici, ut prima fronte videtur, argumenti conſignavit. Nemo autem miretur, anatomica Hippocratis partim cruda eſſe ac rudia, partim falſa, aliena & confuſa, partim vero titulos libris praefixos argumento in illis tractato rariſſime, imo vix quidem reſpondere. Sunt autem hujus generis libri Hippocrati paſſim adſcripti, *de natura oſſium*, in quo tamen nihil minus, quam de oſſibus tractatur, de *glandulis*, de *carnibus*, de *genitura*, de *natura hominis*, de *natura pueri*, de anatome ſeu *corporum reſectione. &c.*

§. XXXI.

Equidem, ſi ſecundum paraſitarum quorundam & adulatorum placita rem anatomicam Hippocratis dimetiendam atque dijudicandam eſſe ſentiamus, nihil erit, quod eidem in ſolidum vindicare non ſuſceperint, quorum tamen pleraque ita comparata ſunt, ut citra omnem contradictionem pro recentioris aevi inventis reputari mereantur: Cujus generis ſunt negotium circulationis ſanguinis, quod diſertis verbis Hippocrati adſcribere non dubitat *Theodorus Janſſonius ab Almelooven*, in alienum quippe ſenſum detorquens loca quae-

dam textus Hippocratici, in quibus tamen quidvis aliud potius, quam ſanguinis motus circularis, de quo hic ſolummodo quaeſtio eſt, evinci poteſt. Iisdem plane difficultatibus laborant, quae de ovariis mulierum vel vaſculis lymphaticis vel plane vaſis lacteis ad mammas mulierum tendentibus & lac ſincerum iisdem ſubminiſtrantibus, quae tamen in hanc usque diem anatomicorum lyncaei demonſtrare neſciunt, Hippocrati tanquam primo inventori incongrue & praeter meritum tribuuntur; Sed haec omnia prolixius recenſere piget, quia talium narratiuncularum nullum, ne minimum quidem veſtigium in ſcriptis Hippocratis reperitur.

§. XXXII.

Equidem dubitari adhuc poſſet, an anatomen ad medicinam feliciter faciendam tam neceſſariam eſſe judicaverit, ac permulti hodieque ſibi perſuadent. Dubitandi rationem ipſe ſuppeditavit *Hippocrates*, ſophiſtis comparando, qui de natura aliter ſentiant, quam medicae arti conveniat.

§. XXXIII.

Quicquid vero ſit, ut tamen quodammodo noſtro ſatisfaciamus officio, pauca tantum quaedam *anatomiae Hippocraticae* ſpecimina producemus. (k) Obſcura (l) confuſa & jeju-

(k) Quod anatomia *Hippocratis* tanta obſcuritate laboret, non modo ſponte D. *le Clerq.* in hiſtoria medicinae Part. I. Lib. III. Cap. III. p. 118. fatetur, ſed & tres ejus rei rationes allegavit, quarum *prima* eſt; Quod in ejus ſcriptis ſive vere ſive falſo ipſi adſcriptis permulta contradictoria occurrant. *Altera* eſt: Quod, etiamſi omnia, quae ſingulis de partibus praedicavit, congererentur, nihil tamen perfecti, quorumque alterum ex altero juſta connexione ſequeretur, oriturum inde foret. *Tertia* denique eſt; Quod numeroſi in textum irrepſerint errores, ſtylus ejus ſit conciſior & multis locis ob-

& jejuna admodum sunt, quae circa originem arteriarum aeque atque venarum protulit: Licet enim alicubi per

---

scurior, ut difficulter ab iis plane intelligatur, qui alias idiomatis graeci non sunt imperiti. Ut taceam, ipsa quoque MSCTA originaria admodum inter se mutuo discrepare. Quae tamen difficultates, eodem *Clerico* judice, facilius superari sese paterentur, si *Galeni* liber, quem de anatome *Hippocratis* inscripsit, aetatem tulisset; Quamvis non sine solidis rationibus idem suspicetur, *Galenum* quandoque passionibus seductum, de meritis antiquissimi hujus medici abjectius, quam par erat, sensisse.

(l) Miram esse in scriptis *Hippocrati* attributis confusionem circa arteriarum & venarum originem, ex libro de *alimentis* & de *principiis* aut *carnibus*, si inter se mutuo conferantur, liquido adparet. Libro enim de *alimento* §. VII. p. 596. ita disserit: *Radicatio venarum hepar; Radicatio arteriarum cor; Ex his aberrant in omnia sanguis & spiritus, & calor per haec meat.* His contraria sunt, quae libro de *principiis* aut *carnibus* §. VI. p. 115. leguntur: *Duae sunt cavae venae a corde, alteri nomen est arteria, alteri vena cava, juxta quam cor situm habet. Et plus habet calidi arteria, quam vena cava, & spiritum condit ac conservat.* Evidentior evadit contradictio, si tria alia loca ex libris de *natura ossium*, de *natura humana* & de *locis in homine* cum duobus prioribus comparentur: Quo ex labyrintho felicius non extricabitur *Hippocrates*, quam ingenue agnoscendo atque confitendo cum *Clerico*, non omnes, quos citavimus, libros, *Hippocratis* genuinos, sed spurios atque suppositios esse. Quia vix probabile est, virum tam gravem usque adeo sui immemorem fuisse, ut, quod uno loco adfirmaverat, altero iterum negaret. Omnis adulatio sedulo hic est cavenda; *Macrobium* dixisse, Hippocratem tam falli quam fallere nescium, adulatorium est. Nec ab hoc vitio plane alienus est *Heurnius*, qui nullius rei hucusque ingeniose detectae ignarum eum fuisse, improvide adseruit. Anatomica ejus, si non omnia, certe pleraque, rudia sunt & jejuna. Proinde *Duglassio*, in

transſennam veluti agnoſcere videatur, ſanguinis omnis fontem univerſalem eſſe cor, ſicuti pituitae, aquae in liene, bilisq; in jecore quaerit: Alibi tamen iterum adſerit, venarum originem tanquam radicem eſſe hepar, & arteriarum cor, atque ex his per omnia ſanguinem & ſpiritus pervagari, caloremq; per haec permeare; Mox vero iterum aperte ſibi ipſi obloqui videtur, dum adſtruit, venas pariter atque arterias originem ſuam aequaliter ex corde derivare: Quis enim haec omnia Hippocratem tanta contradictione proferre potuiſſe exiſtimet, ſi circulationem ſanguinis, ut (*) nonnullis viſum eſt, cognoviſſet.

§. XXXIV.

Bibliographiae anatomicae ſpecimine, adſtipulari neutiquam poſſum, quando is pag. 2. tanta fiducia de ſcientia anatomes Hippocratica praedicat: Primum illum divino afflatum numine, & ſua fretum μεγαλοψυχία plura, ad artem anatomicam ſpectantia publicis conſignaſſe monimentis, quae licet huc & illuc ſparſa reperiantur, ex iis tamen ſimul ſumtis integrum anatomiae corpus condi & erigi poſſit. At vero, ſi Hippocratica haec cum modernorum ſyſtematibus comparentur, heu! Quantum eſt, quod ignoravit Hippocrates. Reliquas vero ſummi hujus & incomparabilis medici laudes ac merita in univerſam rem medicam, lubens agnoſco.

(*) Non miror, praeter *Lindenium*, qui Hippocratem de circuitu ſanguinis edidit, etiam *Almelowenium* fuiſſe, qui *Hippocrati* notitiam *motus ſanguinis circularis* adſcripſit, qui quippe ultimus in eo totus eſt, ut recentiſſima inventa antiquis promiſcue vindicet: Verum id potius miror, non paucos recentiorum eadem cum illis chorda oberrare. *Jacobus Douglas* in *Bibliographiae* ſpecimine p. 3. diſertis verbis id tribuit *Hippocrati*, quod multa ſparſim de ſanguine tradiderit, quae *motum ejus circularem* ut & *ſecretiones* humorum ipſi ſatis innotuiſſe, commonſtrare videantur; Allegat etiam loca quaedam, ex

§. XXXIV.

Rectius differit de ſtructura & *ſubſtantia cordis*, eam nempe *muſculoſam* eſſe, ut fundamentum totius ſui tractatus inde

D 3 mutua-

---

quibus idem illud probare contendit. Ex multis pauca tantum, quae reliquis luculentiora videntur, teſtimonia adducere mihi liceat. Primum libro II. de *diaeta* textu XLV. 15. ita legitur: *Calefacto ſanguine & attracto, celerem circuitum* (περίοδον) *faciunt ea, quae in corpore ſunt, & tum reliquum corpus prae ſpiritu purgatur, tum quod compactum eſt, caleſcens attenuatur & ſimul ex carne foras ſub cutem extruditur, atque hoc ſudor calidus vocatur. Hoc autem excreto & ſanguis in naturalem ſtatum reſtituitur & febris remittit.* Alter locorum a *Douglaſſio* citatorum Libro de *inſomniis* textu XII. occurrit his verbis: *Haec omnia ſic viſa ſanitatem homini deſignant, & corpus recte habere, omnesque circuitus* (περιόδες) *& exhibitiones ciborum ac ſecretiones* (ἀποκρίσεις) *integras eſſe.* Tertius eodem libro textu XIII. ſic ſe habet: *Flumina non ſolito more fluentia, ſanguinis circuitum* (περίοδον) *ſignificant, & auctiora quidem fluentia, exceſſum, imminuta vero defectum.* Addimus hiſce alium, qui libro I. de *diaeta* textu XXXII. hoc modo legitur: *Tardiore exiſtente circuitu,* (περιόδε) *ſenſus paulatim allabuntur, &, qui acuti exiſtunt, parum commiſcentur. propter circuitus* (περιόδε) *tarditatem.* Agmen claudat locus, qui libro de *morbo ſacro* textu II. de ſubſiſtentia ſanguinis, motui contraria, teſtimonium tale ſubminiſtrat: *Sed ſpiritus quieſcit & cerebrum compingitur, & ſanguis ſtat vel ſubſiſtit.* Verum enim vero, licet ſingula haec loca de *periodo ſanguinis* loquantur, atque adeo motum ſanguinis ſeu fluxum & refluxum ejusdem *Hippocrati* non omnino ignotum fuiſſe, ſatis clare evincant: Nondum tamen ab adſertoribus circulationis *Hippocraticae* evictum eſt, imo nunquam forte evincetur, talem eidem perſpectam fuiſſe ſanguinis περίοδον, qua arteria magna omnem ex ventriculo ſiniſtro ſanguinem excipit & per varias ſuas ramificationes tam ſupernas quam infernas undiquaq; toto in corpore diſpenſat, deinde vero, poſtquam officio

mutuatus esse videatur *Lowerus*, medicus anglus, in eleganti suo

suo perfunctus est sanguis, in venas ingressus, per cavam tam superiorem quam inferiorem omnis ejus moles in ventriculum cordis dextrum exoneretur, qui ab arteria pulmonali exceptus per totum pulmonum corpus distribuatur, ac novo ibi calore aëreque per respirationem hausto impraegnatus recipiatur in venam pulmonalem, ejusq; beneficio in sinistrum cordis ventriculum infundatur, sicque verum circulum suo motu perficiat. Talem vero ideam de eodem sibi formasse *Hippocratem*, ex nullo locorum antea allegatorum liquet. Eodem vero modo cum testimoniis, quae pro circuitu sanguinis eidem adserendo in disputatione medico-historica *de vestigiis circuli sanguinis apud Hippocratem* in scenam produxit *Stentzelius*, Professor *Wittebergensis*, comparatum est. Loca enim ex libro *de corde* text. V. IX. ac X. adducta obscuriora sunt, quam ut ex illis motus sanguinis periodicus, sicuti antea à nobis est delineatus, itus nempe sanguinis ex corde per arterias ad peripheriam partium & ex his reditus ejusdem per venas ad cor probari possit, nisi coacta quadam interpretatione illis succurratur. Proinde *Pittcarnio*, &, qui paria cum illo fecere, *du Hamel* & *de Stair* adsensum potius praebemus, qui quippe in eo consentiunt omnes, conceduntque, *Hippocrati* fluxum ac refluxum quidem sanguinis, sed per easdem semper vias fieri solitum, Euripi in modum, perspectum fuisse, motum vero à corde per arterias ad partes, & ab his per venas ad eundem sanguinis fontem, nempe cor, profunde ignorasse. Et quamvis inficias ire nolimus, structuram cordis motumque ejusdem generatim *Hippocrati* quadantenus innotuisse: Inde tamen non consequitur, totam instrumentalem cordis rationem, quae potissimum in motu ejusdem systaltico ac diastaltico consistit, plane ipsi perspectam fuisse. Reliqua, quae tum à statu corporis humani sano & naturali, tum etiam à morboso & praeternaturali petuntur, testimonia, nisi hic & illic commoda interpretatione interpolentur, ad circulationem sanguinis *Hippocrati* adserendam parum vel nihil conferunt.

ſuo *tractatu de corde.* Si genuinus eſſet (de quo tamen *Galenus* aeque ac *Erotianus* dubitant) libellus de *corde*, dubio vix locus eſſet, praeclare reliquam ejus ſtructuram cognitam ipſi fuiſſe. Praeter pyramidalem cordis figuram, recte agnoſcit *tunicam laevem* (*pericardium* hodie dicitur) circumdatam habere, in qua *modicus* humor (liquor *pericardii*) contineatur velut urina, ut putare poſſis, in veſica cor diverſari. Quod vero, hunc humorem cor emingere, credat, erroneum eſt aliterque a recentioribus probatum. Admittit inſuper libelli auctor, cor duos habere ventriculos, uno in amiculo diſcretos, nempe ab utraque parte unum, nihil autem inter ſe ſimiles, ſed alterum in dextris ad oſculum, alterum in ſiniſtris ſitum eſſe. *Illum* amplioris omnino ventris & magis inanem quam alterum eſſe, neque extremitatem cordis attingere, ſed caudam ejus ambire, ſolidum item & velut extrinſecus aſſutum: *Hunc* autem ſubter ſiniſtram mammam maxime in directum ſitum eſſe, ubi etiam ſaltus (pulſus) ipſius ſignificationem ſui praebeat. Ambos ventriculos denſos ac aſperos interna ſui parte & velut ſubcorroſos eſſe, magis tamen ſiniſtrum quam dextrum. Hos fontes naturae humanae & hic flumina eſſe, quibus totum corpus irrigetur. Deſcribuntur porro auriculae cordis tanquam corpuſcula mollia atq; cavernoſa, prope exortum venarum circa ventriculos conſurgentia, quibus tamen longe alienus vindicatur uſus, nempe quod organa ſint, quibus natura aërem rapiat. Id tamen recte iterum adſeritur, auriculas haſce privatim tum inflari tum conſidere ac contrahi, i. e. motu tam *diaſtaltico* quam *ſyſtaltico* gaudere. Denique valvulas vaſorum ſangvineorum non omnino ignoraſſe videtur libelli auctor; Oſculis enim ſingulis tres pelliculas ſubornatas eſſe, rotundas in ſummo, velut circulum ſemiſectum, agnoſcit additque, admiratu-

miraturos, qui rei intelligentes ſunt, quomodo oſcula & aörtarum fines claudant. Quod ſi quis (ita enim pergit auctor) veteris, eximendi cor mortui, moris gnarus, aliam auferat, aliam reclinet, neque aquam neq; flatum immiſſum in cor penetraturum opinatur. De cerebro judicat, illud totum, quantum eſt, glanduloſum exiſtere ac proinde ſuperfluas corporis humiditates inſtar ſpongiae reſorbere; Cui hypotheſi in tantum ſubſcribunt nonnulli recentiorum, qui ſubſtantiam cerebri corticalem glanduloſam eſſe ſupponunt, ſupponunt, inquam, non probant: Aliter vero rem ſeſe habere, ex ſcriptis *Ruyſchianis* clare conſtat. Duplex in homine, quemadmodum in aliis animalibus eſſe, & medium ipſius tenuem dividere membranam adſeruit. De ſpinali medulla recte quidem ſentit, *eam a cerebro deſcendere*, diſſentit vero in eo, quod medullae nomen injuſte obtinere exiſtimet, cum nulli alii medullae, quae aliis oſſibus ineſt, ſimilis ſit, ſola etiam membranas habeat, quibus alia medulla deſtituitur. Quae de auditus organo diſſerit, aliquam quidem ejus notitiam produnt, ſed cum iis, quae de aurium tam externa quam interna ſtructura *du Vernay*, *Schelhammerus*, & nuper adhuc *Caſſebohmius* in medium protulerunt, comparari nequaquam merentur, Ita enim inquit *Cous:* (m) *Foramina aurium ad os durum & ſiccum, lapidi ſimile pertingunt. Jam vero ad ipſum os eſt cavitas antroſa; Strepitus autem ad durum formantur, os autem cavum reſonat per durum. Pellicula vero in aure juxta os durum tenuis eſt, velut aranearum tela, & omnium pelliculariun ſicciſſima.* Aurium meatum intortum & anguſtum, aurisque externae ſtructuram *cartilagineam* eſſe, recte

(m) Libro de principiis aut carnibus textu 16.

recte agnovit. Ingenti vero obſcuritate laborant, quae de (n) *organo viſus* modoque *viſionis* diſputavit; niſi forte excipere inde placeat, quae in craſſos ſenſus incidunt. Mentionem enim facit pupillae & membranarum oculum conſtituentium. Humorem vero cryſtallinum, quem glutinoſum eſſe ſtatuit inſtar thuris tranſparentem, aliter non videri, niſi ubi oculo rupto exiit. Vitio etiam laborat deſcriptio (o) organi loquelae. (p) Pulmonis ſtructuram aeq; ac poſitionem obſcure pariter deſcribit, quinque tamen apices, quos lobos & ſummitates vocant, habere dicit, cinereo colore alioquin praeditum & notis cavernoſis compunctum, (q) natura inſuper ſua ſiccum eſſe & gracileſcere, ubi amplius quid, quam pro natura ſiccatus fuerit. (r) Frigidum quoq; natura & reſpiratione refrigerari. (s) Arteriam, nempe aſperam, circulis compoſitam conſimilibus rotundis, in ſuperficie ſe mutuo contingentibus, in ſummitatem pulmonis deſinere. (t) Mammas mulicbres glandulis adnumerat. (u) Glandulas in articulis, ſub alis, in inguine & juxta venas jugulares reperiri adſeruit, ad quam claſſem etiam (w) tonſillas refert. Venarum nomen promiſcue transfert ad deſignanda quaecunque vaſa ſanguinea tam venoſa & arterioſa, quam alios quoſcunque ductus, v. g. ureteres & nervos. Similiter

(n) Locus, qui de principiis inſcribitur, occurrit Text. XVIII. qui tamen prolixior eſt, quam ut hic locum invenire queat.
(o) Conferatur eodem libro textus XIX.
(p) Libro de anatome ſeu reſectione Textu I.
(q) L. de Locis in homine Text. XXXVII.
(r) L. de corde Textu V.
(s) Libr. de anatome ſeu reſectione ſtatim in initio.
(t) Libr. de *glandulis* textu XI.
(u) Libr. de glandulis text. III.
(w) Loco allegato textu V.

militer indifferenter utitur vocabulis nervorum, tendinum atque ligamentorum, inter quae tamen omnia, nemine negante, magna intercedit differentia, ceu in disputatione nostra de *structura & usu nervorum*, nec non in ea, quae de *structura & usu tendinum* agit, prolixius deduximus. Recte tamen animadvertit: Nulla nervos cavitate gaudere. De musculis tanquam instrumentis motus, praeter solum nomen in scriptis Hippocratis nihil occurrit.

§. XXXV.

Quod viscera abdominis attinet, ubique desideratur requisita exactitudo. In descriptione primarum viarum nihil occurrit, quod vel nomina vel situm vel connexionem vel officium intestinorum ulla methodo, anatomicis solemni, nobis describat, sed mira ubique reperitur confusio. Illud vero simplicem oculorum observationem effugere non poterat, canalem intestinorum esse unam atque continuam fistulam, quae à summo oesophago ad extremum usque podicem protendatur; Sicuti & illud longa inquisitione non indigebat, hepar adjacere ventriculo, eique tanquam viscus multo sanguine repletum, gratum conciliare calorem sicque ad πέψιν seu ciborum concoctionem non parum conferre. Differentiam inter intestina *tenuia* & *crassa* perspectam habuisse videtur; Mentionem enim facit crassorum, eaque comparative majora esse quam illa pronunciat, & dependere, ait, ex (x) mesenterii membrana, quae *mesocolon* hac parte vocatur. Ipsum autem *mesocolon* ex nervis de spina dependere putat. (y) Longi

(x) Libro de venis textu I.
(y) Libro de structura hominis ad Perdiccam, Regem Macedonum text. VII.

Longitudinem cubitorum tredecim inteſtinis vindicat: (z) Speciatim vero deſcribit *colon*, &, quod à *colo* ſitum eſt, *rectum*, quod princeps vocat, carnem copioſam habens & in ſummum anum deſinens. (aa) Praeterea glandulas inteſtinis ineſſe, easque majores, quam alibi in corpore. Subſtantiam vero ventriculi eſſe mere nervoſam, autopſiae repugnat. (bb) De reliquo, quicquid de hepate & liene profert, â vero longe alieniſſimum eſt: Ignota enim eſt arteria iſta cartilaginoſa, quae oblique deorſum ad renes protensa inducitur. Falſum eſt, venas originem ſuam ex hepate deducere; Falſum eſt, ſubſtantiam lienis mollem quidem & ſpongioſam, reſorbere partem humidi ventriculo infuſi, reliquum attrahere veſicam & in urinam convertere: Sciunt enim hodie tyrones artis, talia pleraque inſpectioni oculari repugnare. (cc) Ejusdem farinae eſt adſertum: Hepar ſimilitudinem quidem cum omnibus aliis habere, verum ſanguinolentius quam alia exiſtere. Admittit inſuper, (dd) idem illud duos habere apices, quos *portas* appellant, in dextris *locis* ſitas. Ab hoc vero obliquam venam inferne ad renes tendere. (ee) Alibi, & merito quidem accuſavi *Hippocratem*, quod verum hepatis ſitum ignoraverit.

(z) Libro de Anatome text. III.
(aa) Libr. de glandulis text. III.
(bb) Superſedeo, haec omnia per partes probare, prolixitatem vitaturus.
(cc) Libr. de reſectione text. II.
(dd) ibidem eodem textu.
(ee) Hiſtor. Med. Univ. p. 526. Male vero id habet *Stollium*, quod *Hippocrati* imputaverim, quaſi *ipſum plane hepatis ſitum ignoraverit, cum jecur in thorace ita dicto concludi adſeruit*. Verum nulla mihi ratio eſt, cur ab hac ſententia recedam, quicquid etiam miretur *Stollius*. Non certe ignoravit *Hippocrates* poſitionem *ſepti tranſverſi*

§. XXXVI.

Quamvis autem haec omnia sic sese habeant: Nihilominus tamen inter multas falsitates hinc inde mica veritatis emicat; Quorsum pertinet, quod renes inter corpora glandulosa retulerit, licet in eo iterum suum patiatur deliquium hypothesis, quod singulari renes pollere efficacia vel facultate attractiva, serum ad sese alliciendi, sibi persuaserit. Caeteroquin de partibus genitalibus utriusque sexus nihil adfert consideratione dignum. Uterum foemineum distinguit in partem dextram & sinistram; Dextram calidiorem solidioremque esse, hincque in eadem mares concipi

---

seu *diaphragmatis*, ceu ex Libro de *resectione* textu III. & popularium II. textu IV. satis liquet, unde potuisset, imo debuisset liquido agnoscere, parietem hunc intergerinum thoracem seu medium ventrem ab infimo sive abdomine, crasso plane & in oculos incurrente testimonio ita distingvere, ut impossibile prorsus fuerit, hepar in thorace collocare; Id quod cum nihilo secius fecerit, crassissimae ignorantiae reum sese fecit. Excusatio quorundam tam antiquorum, *Aristotelis* & *Ruffi Ephesii*, quam recentiorum, *Bartbolini* & *Theodori Janssonii ab Almelooven*, qua *thoracis nomine totum illud a claviculis ad pudenda usque, h. e. & medium & infimum ventrem complexi* dicuntur, calva est: Quia, qui inter *thoracem* & *abdomen* septum transversum interjectum esse fatetur, crassam & vix excusandam prodit ignorantiam, si contra omnem oculorum fidem jecoris situm in thorace quaerat, quem in dextro hypochondrio infra diaphragma in abdomine quaerere potius debuisset. Mirari igitur desinat *Stollius*, quod inscitiae eo ex capite coarguerim *Hippocratem*, cui propterea nulla a me injuria infertur, quod adsertio mea veritati & autopsiae omnino consentanea est. Vid. *Stollii* introduct. in histor. litter. medicinae p. 392. not. (e).

concipi dicit. Sperma virile non in peculiari quadam officina elaborari adſerit, ſed ex toto corpore, & ex ſolidis ac mollibus partibus & ex univerſo totius corporis humido ſecerni adſeverat: Maximam tamen ſeminis partem ê capite ſecundum aures in medullam ſpinalem ferri. Neque ſecundum *Hippocratis* hypotheſin viri tantum, ſed & foeminae ſemen emittunt, &, quod paradoxon videbitur, in viro utrumque, tam foemineum quam maſculinum ſemen ineſt, ſimiliterque in muliere res ſeſe habet. *Sceletopoeiam* tamen, *Hippocratis* tempore non amplius ignotam fuiſſe, documento eſſe poteſt *ſceleton*, ex aere fabrefactum, quod *Apollini Delphico* conſecraſſe dicitur.

§. XXXVII.

Atque ex hiſce paucis documentis aeſtimari facile poteſt, quae & qualis *anatomiae Hippocraticae* facies fuerit? Ut hinc a vero tantopere abludere non videatur, quod *oratione de uſu medicinae* Wittebergae habita inſinuat *Johannes Hermannus*, ejusdem artis in dicta Academia P.P. hiſce verbis: Hippocrates *cum in Graeciam diſceſſiſſet, ſcholae curam tradidit* Polybo, *genero ſuo, quem in ejusdem adminiſtratione excepit* Diocles Caryſtius, *qui primus* anatomica *ex profeſſo peculiaribus ſcriptis tradidit & auctor putatur libri* de morbis mulierum, *inter* Hippocraticos *reperiundi*. Quae ſi vera ſunt, ex ſcriptis *Hippocratis* multum ſolertiae profectuumque in anatomicis expectare integrum non erit. Floruit A. M. 3538. Obiit vero apud Lariſſaeos anno aetatis ſuae 109. juxta alios 104. vel denique, prout alii volunt, anno aetatis nonageſimo; Quam tamen litem biographis diſcutiendam relinquo.

§. XXXVIII.

Ex lumbis *Hippocratis*, teſte *Galeno*, duo ejus filii, *Theſſalus* una cum *Dracone* prodiere. De *priore* diſertis verbis

 enuncia-

enunciavit *Galenus:* Nihil illum dogmatum, quae a patre acceperat, immutasse; Unde pronum est colligere, profectus ejus in re anatomica non valde praeclaros fuisse. De *Dracone* tanto minus occurrit, quod memoratu dignum sit.

§. XXXIX.

At vero de *Polybo*, quem *Lindenius* medicum illustrem, discipulum & in schola successorem *Hippocratis*, alii ejusdem *generum* vocant, favorabilius alii, citra solidam tamen rationem, sentiunt. Quos enim de natura *feminis humani* scripsisse fertur libros, non tam *anatomici*, quam *physiologici* sunt argumenti.

§. XL.

Nec a *Diocle*, quem a patria *Carystium* communiter vocant, multa praeclara hac in arte sunt expectanda (gg). *Plinius* secundum aetate ac fama ab *Hippocrate* eundem vocat, medicisque dogmaticis adnumerat; *Justus* vero in *chronologia medica* sub *Dario Hystaspe*, Persarum Rege, vel, ut aliis placet, sub *Antigono*, ad quem libellum de *tuenda sanitate* itidemque epistolam de *morborum praesagiis* & *extemporaneis eorum remediis* perscripsit, vixisse eundem memorat. Quantacunque vero ejus fama in arte medica fuerit: Pauca tamen excultae anatomes extant monimenta. *Plutarchus* quidem citavit ejusdem *ἀνατομάς*, verum ex scriptis *Empedoclis* ipsum profecisse putat. (hh) *Galenus* hoc quidem elogio exornat *Dioclem*, quod de administrationibus anatomicis aliquid memoriae prodiderit, sed (ii) alio loco eundem insimulat, quod *multa in corpore ignoraverit, imo leviori tantum brachio & minus*

(gg) Hist. nat. Libr. XXVI. Cap. 2.
(hh) Administrationum anatomicarum Libr. II.
(ii) de dissectione matricis.

nus accurate res anatomicas tractaverit, usque adeo ut ejus ne rationem quidem habendam esse censuerit.

§. XLI.

Jungimus huic *Praxagoram*, (kk) *Nicharchi* filium, pariter *Coum*, ob anatomes culturam memorabilem; Verum, cum scripta ejus perierint, de profectibus ejus anatomicis nihil certi enunciare possumus, sed testimonio (ll) *Galeni* qualitercunque contenti esse debemus, qui & *Dioclem* & *Praxagoram* & *Philotimum* multa, quae sunt in corpore, ignorasse perhibet. Eidem tamen debemus, quod, quid antiqui *cotyledonum* nomine intellexerint, declaraverit. Nervos a corde originem trahere, adseruit; Et (mm) venae cavae nomen tribuit ductui, qui ab hepate ad renes tendit. Caeteroquin praeceptor fuit *Herophili*, qui, ut suo loco patebit, insignem scientiae anatomicae famam laudemque sibi comparavit. De *Philotimo* jam antea ex *Galeni* testimonio percepimus, quod illis fuerit adnumeratus, qui non nisi rudem & valde superficiariam de re anatomica notitiam sibi compararunt.

§. XLII.

Ejusdem *Praxagorae* discipulis accensetur quoque *Plistonicus*; An vero & quid in *anatomicis* praestiterit, non constat; Imo nomen ejus ignoraremus hodie, nisi memoria illius a *Galeno*, cui permulta *historiam litterariam* concernentia debemus, conservata nobis esset. *Clericus* citat quidem aliquos ejus libros, v. g. de *humoribus*, & de *usu aquae ad conservandam corporis sanitatem*; Qualia tamen argumenta non *anatomen*, sed *physiologiam* atque *diaeteticen* illustrant.

§. XLIII.

(kk) eodem libro pag. 213.
(ll) eodem libro p. 212.
(mm) Discimus hoc ex *Ruffo Ephesio* in de appell. corp. hum. libr. I. cap. 33. & 36.

§. XLIII.

Porro *Galeni* ſtudio in acceptis referendum eſt, quod aliorum quorundam veterum medicorum nomina, licet non aeque illorum dogmata omnia, nobis conſervata ſint. Hos inter *Eudemus* quidam memorandus eſt, quem, ut (nn) *Clericus* loquitur, *Galenus* ubique jungit *Herophilo*, eidemque ob ſtudium anatomes exactius excultum comparat, laudatque, quod originem nervorum rectius anteceſſoribus ſuis cognoverit. An vero *ductus pancreaticus*, cujus inventionem *Wirſungio* debemus, ipſi innotuerit, ex loco (oo) *Galeni* minime dilucefcit. *Glandulae inteſtinales*, quas *Peyerus* detexit, & fluidum quoddam inteſtinis, ad chylum crudiorem diluendum, inferre docuit, non ſunt confundendae cum glandulis pancreaticis, ex quarum ſingulis ſubtiles ductus excretorii prodeuntes coëunt tandem, unumque majorem *pancreaticum* ſive *Wirſungianum* hodie dictum efformant, qui oſculo ſuo in duodenum hians humorem ſuum, ſalivali analogum effundit. Rectius, mea ſententia, ductum choledochum *Eudemo* perſpectum fuiſſe, diceretur, qui quippe inventu eo facilior

(nn) Hiſtoire de la medicine ſeconde partie Liv. I. Chap. VIII.

(oo) Locus integer Libr. II. de ſemine p. m. 683. ex interpretatione *Johannis Leonhardi Feliciani* ſic legitur: *Ex glandulis, quae ad radicem linguae ſunt, ſaliva eodem fertur. Jam vero in inteſtina reliquiae ex ventriculo, bilioſus vero humor ex jecore, ex glandulis item quibusdam aliis, quae hic quoque ſitae ſunt, lenta humiditas, ſalivae per quam ſimilis deſcendit; de quibus quidem glandulis non parva quaedam inter disſectionis Profesſores quaeſtio eſt, ab* Herophilo *&* Eudemo *exorta.* Et paucis interjectis ſic pergit: *Quod, quae ſalivam gignunt, glandulae ipſam in os evidentibus venulis ſtillatim effundant, quodque totae etiam fauces a glandulis ejusdem utilitatis cauſa humectentur, nemo eſt amplius, qui neſciat; Jam enim inter omnes diſſectionis Profesſores maxime conſtat.*

facilior eſt, quo certius humor bilioſus, compreſſa cyſtide fellea, eundem manifeſtat.

§. XLIV.

Meminit quoque Galenus *Antigenis* cujusdam, eumque anatomicis rudioribus adnumerat; Cumq; nulla alia, quantum mihi conſtat, peritiae ejus anatomicae documenta exſtent, hoc *Galeni* teſtimonio merito adquieſcimus.

§. XLV.

Cum itaque, ut ex hactenus dictis liquido ſatis conſtat, tam pauca, tamque obſcura imo ſuperficiaria anatomes ſolidius excultae inter medicos veſtigia occurrant: Diſpiciendum nuncnobis erit, an plura, clariora ac ſolidiora inter philoſophos reperiantur? Prodeat igitur primum inter Graeciae philoſophos *Democritus*, Abderita, *Pythagorae* non quidem diſcipulus, attamen imitator, quem, licet philoſophi potisſimum ſibi vindicent, ſuo tamen jure ad noſtrum quoque cenſum pertinet. Quamvis enim medicinae ſtudio ex profeſſo ſeſe non adplicuerit, ſed ad contemplandas rerum naturas animum ſuum adjecerit, quem ob finem etiam praecipuam orbis partem, Aegyptum, Perſiam, Chaldaeam ipſasque Indias permigravit: Anatomiam tamen ipſum diligenter coluiſſe, ipſe *Hippocrates* teſtis eſt. Hic enim, cum ad eum ſanandum ab Abderitanis evocaretur, in ſectionibus diverſorum animalium eundem occupatum deprehendit; Cumq; ex ipſo quaereret, quare id faceret, nihil aliud reſponſi loco tulit, quam indagandae inſaniae cauſa, quam tanquam effectum bilis conſiderabat, id fieri: Ex quo mox cognovit Hippocrates, *Democritum* non eſſe fatuum, ſicuti populares ejus credebant, ſed hominem ſapientisſimum, ſuaque opera, nempe medica, non indigere. Equidem non ignoro, quod

de epistolae hujus, ex qua tota haec narratio est deprompta, ingenuitate dubitaverint viri celeberrimi & adhuc nonnulli illorum dubitent: At vero, quamdiu clariora magisq; convincentia argumenta non adducuntur, fabellis totam hanc narrationem adscribere non ausim. Atque hoc potissimum intuitu *Johannes Georgius Volckamerus*, celebris medicus Norimbergensis, sub nomine ac titulo *Zootomiae Democriteae* librum evulgavit, qui evolvi meretur. Caeterum, ipso *Cicerone* teste, tantum tribuit extorum in animalibus inspectioni, ut ex solo extorum habitu & colore rerum, quas terra procreat, ubertatem tenuitatemque, aëris item salubritatem ac pestilentiam significaret.

§. XLVI.

Quod ad *Pythagoram* attinet, videtur quidem philosophiam cum medicina conjunxisse, ejus tamen profectus ultra theoriam vix sese extenderunt. Sectioni animalium, ut interiora eorum pernosceret, ipsum sese adplicuisse, non constat. Ex ejus tamen discipulis inclaruit *Alcmaeon*, Crotoniensis, qui, referente (pp) *Chalcidio*, corpora animalium dissecuit, ut partes eorum interiores perspectas sibi redderet. Opiniones ejus, quas de *odoratu* & *gustu*, de *semine*, *nutritione foetus in utero*, de *sanitate* ac *morbis* recensuit (qq) *Clericus*, non tam *anatomen* quam *physiologiam* respiciunt. An vero, *quod capras per aures spirare* crediderit, cognitum habuerit ductum, ex palato ad aurem internam ducentem, quem hodie *tubam Eustachianam* adpellamus, in medio merito relinquimus, cum *Bartholomaeum Eustachium* primum ejus inventorem fuisse, inter omnes satis constet.

§. XLVII.

(pp) Commentar. in Timaeum Platonis.
(qq) Histoire de la medicine premiere part. L. II. Chap. VI.

§. XLVII.

Ejus discipulus, *Empedocles*, Agrigentinus, a quibusdam etiam anatomicorum ordini adscribitur; Quo jure, nunc dispiciemus. Equidem, quod peculiares ejus opiniones attinet, quas de *formatione animalium*, itidemque de *respiratione foetus in utero*, *Galeno* id referente, fovit, illae sane non *anatomen*, sed *physiologiam* respectant. Cumque libri ejus injuria temporum perierint, ignotae nobis mansissent reliquae ejus opiniones, quas de C. H. partibus earundemq; officio habuit, nisi earum memoriam *Plutarchus* nobis conservasset. Is enim libro de *placitis philosophorum* de *Empedocle* refert: Quod *auditum fieri docuerit, quando aër allabitur cochleiformi fabricae illi, quam interiori auris parte exacte elaboratam instar tintinnabuli suspensam esse & pulsari dicit.* Ubi perpendendum relinquitur, annon cochlearis illa cavitas, ossi petroso auris insculpta, sit illa ipsa, quam a *Fallopii* tempore cochleae nomine anatomici indigitarunt.

§. XLVIII.

Transitum potius facio ad *Platonem* Atheniensem, de quo non tam quantus philosophus, sed quantus fuerit anatomicus, disquiremus. Quod si autem peritiam secandi *Platonicam* ex *Macrobii* judicio aestimare deberemus, summa potius ruditas eidem imputanda foret; Ab hoc enim accusatur, quod statuerit, *divisas esse vias devorandis cibatui & potui; & cibum quidem per stomachum trahi, potum vero per arteriam, quae trachaea dicitur, fibris pulmonis illabi.* Cum vero difficulter alii persuadere sibi potuerint, tantum philosophum usque adeo crassum & in sensus plane incurrentem committere potuisse errorem: Hinc *Galenus* suo jam tempore imputatione tam gravi eundem absolvere aut saltem mitiori interpretatione *Platonis* dicto succurrere adlaboravit. Quantacun-

tacunque vero impendatur opera, ad eundem ab hac *Macrobii* accuſatione liberandum, non melior tamen lectori conceptus ingenerabitur, ſi univerſum ejus ſyſtema ad rigoroſius examen vocare ſuſceperit, in quo quippe nihil ipſi occurret, quod anatomen cultiorem ſapiat; Quae enim de *medulla* ſive *cerebro*, de *corde* & *pulmonibus*, de *jecinore*, de *generatione* & *ſemine virili* aliisque talibus rebus disſeruit, ne *phyſiologiam* quidem illuſtrant, tantum abeſt, ut *anatomes* incrementis promovendis ſymbolam conferre potuerint.

§. XLIX.

Inter diſcipulos & auditores *Platonis* tanquam ſol inter ſtellas minores emicuit potiſſimum *Ariſtoteles*, Stagirita, ex familia Aſclediadum oriundus: Pater enim ejusdem *Nicomachus*, qui fuit Amyntae, Macedonum Regis medicus, a Machäone, Aeſculapii filio genus ſuum ducebat. (rr) *Galenus* non vulgaribus mactat illum elogiis, ipſi *Herophilo* atque *Eudemo* eundem comparando; Verum *Galenum* in laudandis vel vituperandis aliis ſubinde adfectibus ſuis nimium tribuisſe, exemplis variis probari facile poſſet, niſi ex ipſis Ariſtotelis opinionibus, quas de variis partibus corporum animalium

(rr) Adſcribam locum integrum, prout libro de *diſſectione uteri* Cap. 9. p. 217. legitur, ubi nempe de teſtibus & vaſis ſeminariis foeminarum ſermonem inſtituit. *Atque hanc vaſorum conjunctionem*, inquit, *neque* Ariſtoteles, *neque* Herophilus, *neque* Eudemus *agnovit*; *Qui quidem viri a me in praeſentia commemorati ſunt, non quod ſoli hoc ignorarint, ſed quod, cum optime diſſectionem tractarint, hoc non adverterint. Nam* Dioclem, Praxagoram, Philotimum *ac reliquos fere omnes veteres, ſicut pleraque alia, ita hoc quoque in corpore noſtro ignoraſſe, mirum non eſt: Quippe qui rudem quandam, non exactam diſſectionis cognitionem habuerunt; Unde neque ullam mihi illorum rationem habendam cenſeo.*

lium habuit, ſatis compareret, ut ſuis locis indicabitur. Hunc vero in finem non ſolummodo immenſam pecuniae ſummam (ss) octingentorum talentorum) ab Alexandro M. Macedonum Rege accepit, ſed & in mutuam ac veluti ſociam

 ope-

(ss) Fabuloſa nonnullis videtur tota haec de plus quam regia Alexandri M. liberalitate, narratio, licet luculentis *Aeliani* & *Athenaei* teſtimoniis nitatur. Incerta quidem eo ex capite videri poſſet, quod *ille* regiam hanc munificentiam *Philippo* Macedonum Regi, *hic* vero *Alexandro* ejus filio eandem tribuat. Verum haec contradictio non vera, ſed apparens tantum eſt; Quod enim *Philippus* affecit, *Alexander* perfecit. Neque vero putandum eſt, tantam pecuniae vim una & indiviſa ſumma *Ariſtoteli* ſolutam eſſe, ſed, uti ille plurimos conſecutive annos ſcribendae animalium hiſtoriae, qualem optabat *Alexander*, impendit: Ita probabile eſt, quotannis aliqua talenta *Ariſtoteli* eſſe perſoluta, idque tamdiu continuatum, donec ingens illud & aerumnoſum opus, quod moliebatur, ad colophonem perductum eſſet. Quo ſolo admiſſo, caput rumpendum non eſt, *an tantam pecuniae ſummam totius Macedonici Regni cenſus, ſi multorum annorum reditus* Alexander *in unum* Ariſtotelem contuliſſet, efficere potuerit? Vel, an ante Aſiam devictam tam prodigioſam ſummam dederit *Ariſtoteli*, an eadem armis ſubacta? Vel an totum aerarium militare tunc temporis non ultra LXX. talenta paratae pecuniae recondiderit? Imo in apparatum ad tam arduam expeditionem ab *Alexandro* ſuſcipiendam ducenta talenta inſumi & mutuo accipienda fuerint? Quae omnia *Ariſtobulus* apud *Plutarchum* tanta fiducia teſtatur, ac ſi ipſe aerario regio adſtitiſſet pecuniamque ipſe numeraſſet. Quantacunq; vero haec ſit credulitas, eidem tamen pleniſſimam fidem quidam adhibere non dubitant; Quo jure id faciant, ipſi viderint. An igitur multum gloriae inde ſit aucupaturus, qui *primus* incertitudinis hanc poſtulavit narrationem, ut *Stollius* ſibi perſuadere videtur, in medio merito relinquo.

operam ipsi adjuncti sunt innumeri alii totius Graeciae & Asiae homines, venatores, piscatores, agricolae, opiliones ejusque sortis alii. Credidisses autem, *Aristotelem* hisce adminiculis adjutum in concinnanda animalium historia mirabilia praestiturum: Aliter tamen rem sese habere, norunt ii, qui innumeros errores in dicta illa animalium historia detexerunt: Cum enim omnibus anicularum narratiunculis crederet & fabulosis plebis traditionibus imponi sibi pateretur, quomodo possibile fuisset, errores praecavere? Accedit, *Aristotelem* in sola tantum brutorum animantium sectione substitisse & ad corporum (tt) humanorum anatomen nunquam descendisse: Unde partium internarum notitiam non aeque

(tt) Famosa haec est quaestio ab aliis dudum agitata, *an* Aristoteles *hominum corpora unquam inciderit & incisa inspexerit?* Mihi negativam ideo defendere placuit; Quia alias tam palpabiles & oculari inspectioni repugnantes errores committere vix potuisset, uti sunt: *Occiput vacuum esse; Cerebrum nullas intrare venas;* In *mulierum craniis unam tantum suturam eamq; circularem esse insculptam; In viris vero tres adesse, quae tamen in unam plerumque coëant. Sub thoracis appellatione etiam abdomen comprehendi,* nulla diaphragmatis facta mentione, & quae sunt ejus furfuris plura, quae tanta audacia edisserere vix potuisset, si humana corpora dissecuisset dissectaq; inspexisset. Et quid pluribus opus est testimoniis, cum *Aristotelem* ipsum habeamus confitentem, dicentemque: *Corporis humani partes esse ignotas, ac proinde de illis non aliter, quam ex analogia vel similitudine, quam habent cum aliorum animalium partibus, judicandum esse.* Et quamvis locus hic alibi a nobis allegatus tanta luce radiet, ut nihil habeant contrarium sentientes, quod regerant: Fingunt tamen nonnulli, quos inter suum quoque nomen profitetur *Stollius* (not. z. loc. superius citato) politicas quasdam rationes subtus latuisse, quae commoverint *Aristotelem*, ut, tempori prudenter serviendo, sectiones corporum humanorum a se factas occultaret, & insidias, pericula & perse-

aeque adquisivisse Aristotelem, mirandum non est. Id quod & ipsemet *Histor. Animal. Lib. 1. Cap XVI.* non diffitetur, dicens: Partes internas corporis humani esse ignotas, ac proinde

---

cutiones aliorum caute evitaret. Sed artificiis talibus tam callide invigilare, non erat necesse *Aristoteli*, qui quippe in summa Principis sui gratia erat, ac proinde furorem plebis, quod metueret, non habebat. Accedit, quod non Athenis cum Principe suo, sed in villa quadam regia commoratus sit, ubi a plebis consortio & frequentia remotior libere, si voluisset, sectioni corporum humanorum invigilare potuisset. Adfirmantium rationes tanti ponderis non sunt, ut a sententia nostra nos dimoveant. *Stollius* p. 391. l. c. ex *Joh. Conradi Barchusen* libro de medic. orig. & progr. dissert. IX. p. 126. & seqq. has profert: *Homo*, inquit, *plurimum cerebri proportione magnitudinis, ac humidissimum habet, continent id membranae duae &c.* Id vero, constare non potuisse Aristoteli, infert, nisi caput hominis aperuisset. Verum si hoc ita se habeat, cur *occiput vacuum esse*, temere pronunciavit? Taceo, de *cerebro hominis portione longe majori & mole sua omnium reliquorum animalium cerebra superante* aliunde *Aristoteli* constare potuisse. Quod ulterius scribat idem, *cor tantum in sinistram partem vergere*, solo sensu tactus, ut quivis alius, explorare poterat, nec apertione thoracis ideo opus erat. Quod idem porro adjiciat: *Lienem humanum suillo similem esse*, iterumque, *jecur hominis rotundum ac bubulo simile esse*; Id partim autopsiae non ubique respondet, partim aliunde ipsi constare potuit &c. Ut minus rationis habuerit *Barchusen*, ex hisce praemissis hanc deducere conclusionem: *Haec & similia, quomodocunque fuerint, abunde* (mea sententia parum vel nihil) *probant, anatomen quoque in hominibus* aevo Aristotelis *institutam, neque* Herophilum *neque* Erasistratum *primos fuisse, qui cadaveris humani sectionem instituerunt. Aevo* inquam, *Aristotelis*: Aliud enim est, *aevo Aristotelis*, aliud, ab *Aristotele* sectionem corporum humanorum esse institutam.

inde de illis non aliter, quam ex analogia & similitudine, quam habent cum aliorum animalium partibus, judicandum esse. Qua propter parasitarum rursus artificium redolet elogium illorum, qui dicunt, nihil ignorare tantum virum potuisse; Quales turpissimorum adulatorum laudes, quibus ad prostitutionem usque patronos suos prosequuntur, boni viri tacite subinde rident.

§. L.

Quemadmodum vero analogica illa partium ex corporibus brutorum in humana translatio, multiplicium in anatomia errorum caussa fuit: Ita similia plane fata expertus est *Aristoteles*, qui, ut antea dictum est, corpora humana nunquam dissecuit. Imo non pauca quoque experientiae contraria sunt, quae in brutornm dissectione sibi detexisse visus est, quae tamen, *Galeni* judicio, optimo viro condonanda sunt, quia illi quoque, qui totam suam vitam speculationibus anatomicis consecrarunt, in plurimis tamen, exemplo *Marini*, hallucinati sunt. Hujus autem generis sunt: Omnia animalia collum habere flexile, ex vertebris quippe sibi mutuo contiguis compositum, solo lupo & leone exceptis; Horum enim animalium collum ex uno & continuo osse compositum esse; Ossa leonum carere medulla, unde fortassis ingens & mirandum eorum robur deducendum. Cor consideravit tanquam principium omnium venarum & ipsius quoque sanguinis, quo sensu idem illud etiam dixit primum vivens & ultimum moriens; Arteriam magnam primus vocavit *aörtam*, sicuti *Galenus de venarum & arteriarum dissectione* observat. Primus quoque *Aristoteles* de partibus humani corporis earundemque adpellationibus aliquid litteris prodi-

prodidit. (uu) Distinxit illas in *caput*, *collum*, *thoracem*, *brachium* & *crus duplex*, abdomine omisso. In corde tres statuebat cavitates, quas ventriculos vocabat, sicuti in hunc usque diem hoc nominis cavitatibus istis imponere consueverunt anatomici; Medium omnium minimum esse statuit, sed sanguinem temperatum, dextrum calidiorem, sinistrum frigi-

(uu) Divisio haec partium C. H. constare potuit *Aristoteli*, ut tamen corpora humana dissecare non fuerit necesse. Id enim si fecisset, crassum illum & sensus plane ferientem vitare potuisset errorem, quo *thoracis* adpellatione omne id comprehendisse dicitur, quod a collo ad os pubis usque se extenderet. Vidisset enim sine dubio, septum transversum sive diaphragma cavitatem *thoracis* ab illa *abdominis*, tanquam parietem quendam intergerinum tam manifeste discriminare, ut impossibile prorsus fuerit, pro uno eodemque ventre thoracem aeque atque abdomen habere: Id quod ipse *Aristoteles* innuere satis videtur, dum alio historiae animalium loco disertis verbis hoc indicat, dum inquit: *Post thoracem venter est.* Id vero licet longe evidentissimum sit, audent tamen nonnulli hunc errorem, quem cum *Hippocrate* communem habuit, excusare; Id quod inter alios *Bartholinus* in *anatomia* sua *reformata* fecit, dum *praefatione* libro II. *de media cavitate* praemissa sic scribit: *Antiqui vero, ut* Hippocrates & Aristoteles *totum illud a clavibus ad pudenda usque*, h. e. *& medium & imum ventrem sub nomine thoracis complexi sunt: Itaque hac significatione* Hippocrates *recte scripsit*: Epar in thorace locatum esse: *Quod alii imperiti non intelligentes, putarunt,* Hippocratem *anatomes ignarum fuisse.* Imo vero; Atque adeo male *Bartholinus* imperitiae eos coarguit, qui palpabilem hunc errorem *Hippocrati* aeque ac *Aristoteli* imputarunt, cum boni atque cordati viri officium sit, omni conatu impedire, ne errores semel commissi in seram usque posteritatem quasi per traducem propagentur. Malunt proinde alii errorem describentium hic suspicari.

frigidiorem continere, ſed reliquis ampliorem eſſe ac capaciorem, omnes vero habere communicationem cum pulmonibus ſuſtinuit; Sicuti autem venas, ita & nervos ex corde ſuam habere originem adſeruit: Unde commune tam ſenſus quam motus principium juxta *Ariſtotelem* eſt cor. De cerebro eo abjectius ſenſit, quo magnificentius de uſu & officio cordis locutus eſt: Illud enim dixit eſſe tantummodo maſſam ex phlegmate & terra compoſitam, nullum ſanguinem continentem, omnisq; ſenſus expertem, cujus tanquam maſſae frigidae officium ſit, calorem cordis nimium temperare vel refrigerare. Adſeruit enim, *cerebrum nullas intrare venas.* Et quamvis ſimplicem ſenſum fallere non poſſet, medullam oblongatam & ſpinalem cum cerebello & cerebro immediatam habere continuitatem: Non dubitavit tamen adſerere, illam differentis plane naturae, nempe calidae eſſe. Frigidum inſuper & inſpectioni oculari contrarium eſt, viri cerebrum illud foemellarum quantitate longe ſuperare. Occiput plane vacuum eſſe, opinatus eſt; Unde ſtatim liquet, quam adcurate interiora capitis humani perluſtraverit. In mulieribus cranium unam tantum eamque circularem habere ſuturam; Virorum vero calvariae tres ineſſe, quae plerumque in unam coëant, ſtatuit. Coſtas in thorace utrinque octo numeravit. Pulmonem tamen hominis non tam multifidum eſſe ac aliorum animalium, recte agnovit. Hepar, ſplen & renes vix alium effatu dignum uſum habere, quam ut firmitudini vaſorum ex illis egredientium ſubſerviant. Renes tantum *ad melius eſſe* factos, jecur juvare coctionem ciborum in ventriculo & inteſtinis, & lienem ſpongiae inſtar reſorbere humiditates vaporoſas ex ventre inferione exhalantes; Teſticulos maſculis non *ad abſolute*, ſed *ad bene eſſe* a natura conceſſos, & quae ſunt ejus farinae plura, in quibus prolixius recenſendis nunc non occupabor. §.LI.

§. LI.

Scripta hujus generis, quae posteritati reliquit, sunt inprimis historia animalium, tractatus de partibus animalium, item libri ἀνατομῶν & ἐκλογη ἀνατομῶν, quae omnia anatomici argumenti sunt: Non enim dubium est, quin in illis libris comprehensum fuerit, quicquid cadavera secando in subjectis variis deprehenderat. An vero libris (ww) hisce figurae, quibus hodie anatomicorum scripta exornantur & illustrantur, fuerint adjectae, admodum dubito. Denique, quae articulationes ossium respiciunt, non neglexit. Natus est Stagyrae A. M. 3670. Obiit vero anno aetatis suae sexagesimo tertio, illo nempe, quem climactericum magnum vulgo adpellant medici.

§. LII.

Sicuti vero prisci medici & anatomici nimia timiditate peccarunt, & solis tantum brutorum sectionibus contenti,

 cada-

(ww) Libros *anatomicorum* Aristoteli adscriptos figuris pictis exornatos fuisse, difficile fuerit aliis persuadere, tanto vero minus idoneis argumentis probare. Crebrae remissiones ad τα παραδειγματα, την διαγραφην & τα σχηματα difficultatem non tollent. Idemque hoc dubium non sine sontica ratione movit *Stollius* Introd. in hist. med. Cap. I. de anatomia & physiologia not. t. qui insuper p. 403. & 404. dum de anatome *Mundini* ipsi sermo est, tanquam errorem mihi exprobrat; quod illam cum figuris prodiisse scripserim: Si enim tales figurae tempore *Mundini* nondum in usu fuerunt, tanto minus credibile est, tempore *Aristotelis* illas fuisse usitatas. Eandem tamen sententiam de *figuris, eum in finem depictis, ut lectoris oculo ea subjicerent, quae sermone describentis vel edisserentis nunquam satis perspicue proponi mentibusq; lectorum imprimi possunt*, fovit quoque *Casparus Hoffmannus* instit. med. Lib. II. cap. 22. Et probabile est, hunc sufficienti fundamento destitutum seduxisse alios, ut figuras tales *libris anatomicorum Aristotelicis* adjectas fuisse, sibi aliisq; persuaderent.

cadavera humana cultro anatomico ſubjicere religioni ſibi duxerunt: Ita contra alii, ejurata omni humanitatis lege, nimia ſaevitia & crudelitate delinquere coeperunt, quia plane corpora humana *viva* ſecare non erubuerunt: Quo nomine infames ſeſe reddiderunt *Herophilus* atque *Eraſiſtratus*, quippe qui primi corporum humanorum ſecandorum curam, ſpreta omni invidia, ſuſceperunt, ſi verum eſt, quod *Cornelius Celſus* de ipſis refert.

§. LIII.

Herophilus Chalcedonius, vel, ut vult alio loco *Galenus*, (ww) Carthaginienſis, qui Ptolomaeo Sotere ſceptra Aegypti tenente vixit, tali hominum ſceleratorum, morti a Regibus dicatorum *viviſectione* magnam ſed infamem ſibi famam comparavit. *Tertullianus* libro: *unum eſſe ſpiritum & animam*, ſexcentos ipſum ſecuiſſe adſtruit, quod procul dubio ſecundum figuram rhetoricam intelligendum eſt. *Herophilus ille*, inquit Tertullianus, *medicus aut lanius, qui ſexcentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur, qui hominem odit, ut noſſet, neſcio an omnia interna ejus liquido explorârit, ipſa morte mutante, quae vixerant, & morte non ſimplici, ſed ipſa inter artificia exſectionis.* Non eſt autem mirandum, *Herophilum* hominem ethnicum, miſſa omni humanitate, homines vivos, utut nocentes, ſecuiſſe: *Id potius vehementer miror, Chriſtianiſſimum Galliarum Regem,* Ludo-

(ww) Schultzius hiſt. med. period. II. Cap. III. ominatur, ſcribarum errore factum eſſe, ut in *Galeni* codicibus ſpeciatim lib. I. de uſu partium καρχηδονιος ſcriberetur; Quod quippe ex unius litterulae permutatione fieri facile potuerit. Quam conjecturam ſuo loco relinquo.

Ludovicum II. (*) medicis Parisiensibus permisisse, ut milites capite damnatos simulque calculo laborantes, in perinaeo vivos inciderent, sicque calculi vesicae extrahendi modum

 perqui-

(*) Dum de *Herophilo* ejusque peritia anatomica in *historia Anatomes* §. XXIV. p. 22. & 23. sermonem feci, incidenter data hac occasione monui, barbarum esse facinus, permittere medicis vel chirurgis, ut milites vel alios facinorosos homines capite damnatos simulque calculo laborantes vivos incidant sicque calculi vesicae extrahendi modum perquirant; Addidi, barbaros, non christianos tale facinus decere. Invenit hic, ut passim alibi, quod carperet, auctor observationis VIII. Sect. II. bibliothec. novisf. p. 67. qui proinde hanc sibi quaestionem discutiendam ac decidendam sumpsit: *Sitne barbarum facinus, in capite damnatorum vivis corporibus experimenta curationum novarum & periculosarum instituere, jubente vel permittente magistratu?* Non dubitat quidem is, affirmativam tueri eoque fine speciosa quaedam argumenta undique conquirere, quibus adsertum suum suffulcire conatur, quae tamen, si verum fateri liceat, a contraria, quam ego defendi, sententia me hucusque dimovere non potuere. Difficulter persuadebitur facinoroso, certam licet mortem promerito, eximium nedum *laudatissimum & omnibus numeris & momentis tam justitiae quam clementiae & prudentiae absolutissimum consilium*, in se statuisse principem, vel quemvis alium legitimum magistratum, si, qui ad gladii vel laquei poenam per leges ob commissa delicta & constitutiones criminales jure condemnatus erat, nunc potius, ex mero quasi judicis arbitrio, & ut medici *novarum curationum experimenta*, auctoritate publica muniti, instituere possent, ad vivi sectionem damnaret. Vel enim sceleratus talis *moritur*, vel *salvus evadit*; Si moriatur, quid inde? *Debebat mori*; Recte utique, debebat mori; Sed non quovis mortis genere, quod a mero judicis arbitrio penderet, sed quod per leges & constitutiones cujusvis imperii determinatum esset. Sic v. g. in imperio Romano-Germanico in infligendis poenis normae ac regulae instar habetur

perquirerent. Barbaros, non Christianos, talia exercuisse decet. Interim hac secandi frequentia non vulgarem sibi dexteritatem & peritiam practicam adquisivisse chirurgos gallos, in

constitutio criminalis CAROLI V. a qua, qui jus vitae ac necis habent, rarissime recedere solent, nisi forte sontica quaedam caussa subsit. Si vero evadat, quid quaeso lucrabitur inde Respublica? An spes est, furem v. g. qui furando, &, quod crimini huic plerumque conjunctum est, latrocinia ac caedes committendo tranquillitatem publicam turbavit, sicq; vel suspendii vel cruri fragii poenam sibi conscivit, ad meliorem indolem ac frugem reversurum, si praedicto modo aggratiaret princeps talem sceleratum hominem? Metus potius est, ne delictis novis delicta vetera talis sit aucturus sicque ipso opere probaturus, quam eximium justitiae vel clementiae consilium in se statutum sit.

Quod exempla adlata attinet, tantum abest, ut fidem, quae illis jure debetur, ipsis denegem, ut potius ceu testem oculatum me ipsum sistam, qui quippe ante complures jam annos hisce meis oculis vidi, quod circulator quidam, ad vim antidoti sui, quod *orvietanum* vocabat, comprobandam, cuidam servorum suorum fortissimum venenum, magistratu id permittente, exhibuit, qui non modo ingentia ventris tormina, sed & ejusdem enormem intumescentiam cum convulsionibus & sudoribus frigidis circa frontem erumpentibus, instantis mortis indiciis, inde expertus est. Si mortuus inde fuisset homo de reliquo innocens, nemo dubitasset, quin pro homicida circulator iste habendus fuisset, tantum abest, ut laudem mereretur. Denique non est hic quaestio, quid factum sit? Sed, an jure factum fuerit? Frustra igitur me accusavit observationis auctor, quod *Ludovicum* II. Galliae Regem (de quo solo hic sermo est) *indigne exagitaverim*, dum barbarum & christiano indignum facinus sum interpretatus, quod is medicis Parisiensibus ejus temporis permiserit, milites capite damnatos simulque calculo laborantes vivos incidere, sicque ejus extrahendi modum

in propatulo est. Homines aeque ac bruta ipsum cultro anatomico subjecisse, (xx) Galenus testis est.

§. LIV.

Huic debetur exquisitior pulsuum discretio & differentiae, quamvis ad futiles usq; subtilitates easdem prosequutus sit & hinc aliorum censuram non immerito incurrat. Huic debemus, quod nervorum ex cerebro & medulla spinali prodeuntium structuram & usum primus demonstraverit. Nec reliquam cerebri structuram illi ignotam fuisse, id inter alia documento est; quod trium superiorum sinuum durae meningis concursum *torcular* vocaverit. Herophilus est, qui primum intestinum, immediate ventriculo continuum vocavit *Δωδεκαδακτυλον* seu duodenum; Ipsemet est, qui duabus oculorum tunicis nomen dedit *retinae* & *arachnoideae*; Primus quoq; *nervos* ita dictos *opticos* foramine pervios esse dixit, sed unicam tantum glandulam esse adseruit. A nonnullis quoque inventor *vesicularum seminalium* esse creditur. Quae ab aliis traduntur, quasi duplex genus *venarum meseraicarum*, aliarum nempe, quae ad glandulas liquorem quendam devehant, aliarum vero,

---

exactius perquirere. Idem plane de Friderico III. Danorum Rege, nonnulli referunt, qui eandem *Thomae Bartholino* licentiam indulserit; Fides tamen sit penes Authorem.

(xx) Uti frequentior *Herophili* in hoc *Galeni* scripto de *dissectione matricis* injicitur mentio: Ita disertis verbis, dum Cap. V. p. 216. de venis & arteriis ejusdem sermonem facit, de illo testatur, quod in hominibus quoque dissectionis periculum fecerit; Ita enim inquit: *Nec diffido, tamen, quin* Herophilus, *saepe haec in foeminis etiam invenerit: Qui cum in aliis omnibus, quae ad artem spectant, eruditus sane fuit, tum vero ad dissectionis exquisitissimam exercitationem pervenit, ac majori ex parte non in brutis, ut plerique solent, sed in hominibus ipsis periculum fecit.*

vero, quae chylum ad hepar referant, indeque ſuſpicantur, quod huic fundamento innixus *Aſellius* inventum ſuum de *venis lacteis* ſuperſtruxerit, majori obſcuritate laborat, quam ut conjecturae huic tam facile locus relinqui poſſit. Hic eſt, qui membranae, ventriculos cerebri inveſtienti, nomen *Choroides* dedit; Hic eſt, qui paraſtatis virilibus denominationem ſuam impoſuit; Idem denique eſt, qui vas ſanguinem ex dextro cordis ventriculo ad pulmones tendens, primus *venam arterioſam* adpellavit, quod venae ſimilius quam arteriae ipſi adpareret, & contra vaſi ſanguineo ex pulmonibus ad ventriculum cordis ſiniſtrum deproperanti, *arteriae venoſae* nomen tribuit, quod magis ad indolem arteriae accedere ipſi videretur. Ex quibus omnibus, quales in arte anatomica progreſſus fecerit, haud difficulter colligi poteſt: Unde hiſce rationibus commotus *Gabriel Fallopius*, non dubitavit Herophilum adpellare *Evangeliſtam Anatomicorum* & *Galenus* ipſe perhonorificum ipſi praebet teſtimonium, quod longe exquiſitiſſimam in adminiſtrationibus anatomicis peritiam poſſederit. Artem anatomicam, teſte *Galeno*, profeſſus eſt Alexandriae, verum ſcripta ejus dudum periere; *Galenus*, parcus caeteroquin aliorum laudator, ingentibus ipſum encomiis exornavit, addiditque, non in brutorum tantum, ſed & hominum corporibus ſecandis occupatum ipſum fuiſſe. *Fallopius* non minores ipſi laudes tribuit. *Praxagoram* habuit praeceptorem, unde ipſius aetas haud difficulter colligi poteſt.

§. LV.

Pari cum *Herophilo* infamia notatus eſt *Eraſiſtratus*, quod exuta omni humanitate, homines vivos anatomiae ſubjecerit. Vixit, Euſebii teſtimonio, ſub Ptolomaeo Philadelpho, vel ſecundum alios, ſub Seleuco Nicanore A. M. 3714. & praeceptorem

ptorem habuit Chrysippum. De patria ejus inter se non conveniunt auctores, cum alii *Coum*, alii *Sicyonium* illum fuisse credant. Quanta ejus fama fuerit, non solummodo ex curationibus ejus aestimari potest, sed & elogiis, quae ipsi tribuuntur. *Macrobius* enim *Saturnal. Libr. ult.* ipsum vocat *veterum medicorum famosissimum* & *nobilissimum.* Quoad peritiam anatomicam, qua omnes praecedentium temporum artifices, *Galeni* ipsius, qui tamen in multis ipsi contrarius est, testimonio, superavit, illius pauca quaedam fragmenta in scriptis *Galeni* hinc inde occurrunt: Propria enim *Erasistrati* scripta ad nostram usque aetatem non pervenere. Memoratu dignum est, quod vasa lactea per mesenterium decurrentia, jam suo tempore observaverit *Erasistratus*; Sed simul notandum, quod primo vasa ista habuerit pro arteriis, lactis copia repletis, deinde quod tantum in hoedis nuperrime lactatis eadem observaverit, quamvis absurdum non sit statuere, in hominibus quoque eundem vasa ista observare potuisse, si verum est, quod communiter dicitur, eum nempe eodem modo, uti *Herophilus*, vivorum hominum suppliciis destinatorum corpora dissecuisse. Credidit tamen etiam, vasa ista lactea primum solo aëre repleta esse, deinde vero lacte demum repleri; Quod non aeque in malam partem accipiendum est, quia ignoravit, vasa lymphatica a lacteis non differre substantia, sed omnem differentiam in eo tantum consistere, quod ordinarie & primario lympham, secundario chylum vehant. Usum cerebri & nervorum inde prodeuntium rectius agnovit cum *Herophilo*, quam omnes praecedentium temporum medici; Alios tamen nervos sensui, (yy) alios

 motui

(yy) Communiter quidem creditur, *cogitationes posteriores sapientiores esse prioribus*; Unde forte inferret aliquis, sententiam *Erasistrati*, quam de origine nervorum senex fovit, quamq;

motui inservientes & priores ex membranis cerebri, posteriores vero ex cerebro & cerebello suam habere originem agnovit, licet *Galenus* moneat, *Erasistratum* seniorem factum hanc suam hypothesin immutasse, & omnes aequaliter, sive sensui

cerebrum & spinalem medullam esse credidit, priori illi, quam juvenis habuit atque ex dura meninge repetiit, anteponendam esse; Verum oculatiorem & in investiganda nervorum origine adcuratiorem fuisse *Erasistratum*, dum juvenis fuit, quam senex factus, uti quisquis facile concedit: Ita errorem sponte eundem & agnovisse & revocasse, nulla veritatis specie dici potest. Quamdiu enim solidiora, quam hucusque factum fuit, argumenta pro destruenda hac sententia, quae ortum nervorum ex meningibus derivat, non adducuntur, salvum manet B. *Goblii* adsertum in nuperrimo ejus scripto, in quo *insufficientia cerebri ad sensum & motum animalis expenditur, meningumq; ad illos indispensabilior usus adsertus, adversus vagas intentationes* Joh. Philippi Burggravii, Jun. *ulterius argumentis ex scriptis adversarii depromptis stabilitur.* Confer etiam, quae a me contra eundem in controversia, quam mihi de *spiritibus animalibus e foro medico relegandis* movit, disputata sunt. Nec frustra, ad sententiam suam tuendam, hoc argumento usus est, quod vulnerata dura matre statim motus animalium pereat; Quem tamen effectum a longe alia caussa derivat *Galenus* libro VII. de Hippoc. & Platon. decretis Cap. III. p. 54. his verbis: *Qua maxime in parte, si crassa membrana vulneretur, meatus totus una cum extremitate ventriculi cerebri posterioris aperitur. Id quod praecipue fuit in causa, ut* Erasistratus *deciperetur existimaretque, ex membranae vulneratione immobile continuo animal reddi; Inspiciebat quippe in bobus, qui in prima vertebra ferirentur, statim, ubi membrana divisa confractaque esset, motum interire; Id tamen non ex laesione,* ut putat Galenus, *sed ex posterioris ventriculi nudatione contingebat; Quod vel inde perspicuum omnibus esse potest, quod, licet aliis omnibus in partibus disrupta fuerit membrana, animal nullum hujusmodi nocumentum patitur.*

ſenſui ſive motui ſubſerviant, ex cerebro originem deducere, tandem conceſſiſſe. Statuit quoque in cerebro ventriculos, eosque omnes inter ſeſe mutuo habere communionem. Ortum vaſorum ſanguineorum ex corde recte repetiit. Valvulas quoque vaſorum cordis diverſamq; eorum ſtructuram, quatenus vel intro-foras vel foras-intro ſpectant, vidit & vel ipſe vel diſcipuli ejus nomina *tricuſpidalium* & *ſigmoidearum* ipſis impoſuêre,ſimiliterq; duplicem cordis motum,ſyſtalticum aeq; ac diaſtalticum perſpectum habuit: Credidit tamen, venam cavam tantum ſanguine, arteriam vero aörtam ſpiritu repletam eſſe: Quod idem ferebat judicium de omnibus reliquis arteriis, nempe ſolo ſpiritu ſeu aëre ſecundum naturam repletas eſſe, uti ipſe quoque ſiniſter ventriculus. Judicabat autem, hunc ſpiritum naturaliter in arteriis contentum, eſſe vitalem & procreari ex aëre, intra corpus adſumpto, & primo quidem in pulmonem, deinde vero in cor, ortasq; ab eo arterias irruere; Hinc vero arterias & muſculorum cavitates extendi neceſſe eſſet: Quam tamen opinionem refutavit *Galenus peculiari libello*, & quidem hoc argumento: *Si vulnere arteriis illato ſanguinem egredi conſpicimus, vel in arteriis ſanguis continetur, vel in ipſas aliunde confluit; ſed vulnere arteriis illato ſanguinem ſtatim exire conſpicimus; Igitur in arteriis ſanguis continetur, non ſpiritus vel aër.* Interim huic errori anſam ſubminiſtravit, quod comprehendere non poſſet neceſſitatem duplicis generis vaſorum, ſanguini vehendo dicatorum; Ex quo tamen dubio extricare ſeſe facile potuiſſet, ſi myſterium circulationis ſanguinis cognoviſſet. Ita enim mox ſimul comprehendiſſet, arterias eſſe, quae ex corde ſanguinem excipiant & ad periphericas partes advehant; Venas vero eſſe, quae eundem, poſteaquam ſuo officio perfunctus eſt, ad communem fontem revehant. Cutem dixit eſſe

contextum arteriarum, venarum, nervorumque, in quo refutatur a *Galeno.* Subſtantiam hepatis mollem dixit parenchyma, ſeu maſſam venis hepatis, ex quarum coalitu conſtat, circumjectam. Splen eſſe viſcus in corpore humano prorſus inutile, credidit *Eraſiſtratus*, qua in re communem habuit ſententiam cum *Ruffo Epheſio*: Unde poſtea pullulavit traditio, ſplen hominibus ſalva vita exſcindi poſſe, imo & curſoribus actu exſcindi.

§. LVI.

Poſt horum duorum in anatomicis heroum tempora usque ad *Galenum* pauciſſimi fuere, qui peritia ſecandi, potiſſimum corpora humana, innotuere, *Ruffo Epheſio*, medico graeco inſigni, excepto, qui una cum *Critone* ſub Imperatore Trajano vixit, anno poſt N. C. 112. Reliquit fragmentum de appellationibus partium humani corporis & tractatum de utero, in quo vaſa quaedam ſpermatica, a reliquis praetervifa, adnotaſſe videtur. Reliqua vero ejusdem non ſunt magni admodum momenti. *Tubam* tamen uteri, quam hodie *Fallopianam* dicimus, ſub nomine *paraſtatae varicoſae* primus deſcripſit.

§. LVII.

Meminit quoque *Galenus* cujusdam *Marini*, anatomici graeci, quod ex ſtudio potiſſimum anatomico non levem ſibi famam comparaverit. Jungit eidem *Numiſianum*, & de utroque praedicat, quod hanc artem novis inventis amplificaverint. Dicitur vero *Marinus* ſcripſiſſe commentaria anatomica, quae a Galeno citantur *Libro II. adminiſtrationum anatomicarum*, ſimulque obſcuritatis & imperfectionis ab ipſo coarguuntur, quod ſuo loco relinquendum, cum ſcripta *Marini* ad nos integra non pervenerint. Sed adnotarunt jam alii, *Galenum* in ſua

ſua juventute magna laboraſſe prurigine & inſolentia viris doctis inſultandi. Quis fidem nobis faciet, *Marino* ſubinde injuriam non fuiſſe factam, cum libri ejus hodie deſiderentur? Scripſit libros XX. de ignoratis in anatomia a *Lyco*; Adcuratius tamen, notante *Douglaſſio*, muſculos aliis deſcripſit. *Clericus* adnotavit, *Marinum* fortaſſis primum fuiſſe, qui inter antiquos glandularum ad ſecretiones peragendas uſum indicaverit.

§. LVIII.

Similiter haud infrequens in ſcriptis Galenicis mentio injicitur *Lyci* cujusdam, quem latini *Lupum* dicerent, qui ſectae empiricae alioquin addictus erat. Dicitur commentarium admodum prolixum ſcripſiſſe de muſculis, ut propemodum quinque millia verſuum continuerit, de quo tamen *Galenus* animadvertit, non ſolummodo multos muſculos eſſe omiſſos, verum etiam permultis eundem ſcatere erroribus. Oculo quinque tantum muſculos tribuiſſe fertur.

§. LIX.

Memorat quoque *Dioclem*, a patria *Caryſthium* dictum, cujus poſt Hippocratem maxima fuit exiſtimatio, unde *alterum Hippocratem* Athenienſes ipſum adpellabant & cujus ſupra facta eſt mentio. Eundem hunc *Galenus* laudat, quod primus fuerit, qui libros anatomicarum adminiſtrationum poſteritati reliquerit: Exiſtimat enim, anatomiam in ſchola Aſclepiadea perfectiſſime excultam & orali traditione propagatam, monimentis litterariis non indiguiſſe, proinde vitio ipſis non vertendum, quod de adminiſtrandis conſectionibus nemo illorum aliquid memoriae prodiderit. Quia enim domi apud parentes pueri exercebantur, uti lectione & ſcriptura, ita etiam cadaverum ſectionibus,

quid libris anatomicis fuisset opus? Quare etiam, ne incidendi rationes cuiquam sic edocto memoria exciderent, non magis erat metuendum, quam lingvae elementa scribere obliviscerentur ii, qui ab ineunte aetate ipsa didicere. Posteaquam vero, narrante sic *Galeno*, temporis progressu non modo liberis, verum etiam alienis artem communicare honestum censuerunt, sicque factum fuit, ut non amplius in corporum confectionibus exercerentur pueri: Hinc protenus necessario accidit, ut eam infelicius condiscerent, exercitatione, quam in pueritia auspicari solebant, abolita, quae, quantum ad omnia valeat, omnes prisci palam videntur ostendisse, non solum vocantes eos humanos, qui in artibus excellunt, sed breviter universos, qui tota vita probitatis titulo inclaruerunt, quemadmodum & his contrarios inhumanos ac rudes. Cum igitur ars (& potissimum pueros in anatomia exercendi) Asclepiadum familia excidisset, deinde multis successionibus in deterius vergeret, opus fuit commentariis, quibus speculatio ipsius integra conservaretur. Verum de *Diocle* jam §. XL. a nobis actum est, sicuti & (zz) *Eudemi* §. XLIII. jam facta fuit mentio.

§. XL.

(zz) Non sine caussa miratur *Stollius* introduct. in hist. litt. medicinae Cap. I. de *anatome* & *physiologia*, id quod superius §. XLIII. commemorandum fuisset, *Eudemi*, famosi licet anatomici sui temporis, neque in introductione *Conringiana*, neque in historia anatomiae *Goelickiana*, neque in Bibliographia anatomica *Douglassi* ullam factam esse mentionem; Merito, inquam, miratur; Equidem me quod attinet, vix probro id dari mihi potuisse existimo, idque ideo, quod in privatum tantum usum auditorum meorum theses istas, ex quibus deinde *historia anatomiae* est enata, conscripseram; Unde fieri facile potuit, ut unus vel alter, commemoratione licet dignissimus,

§. LX.

Aelianum Meccium introducit *Galenus* in prooemio de dissectione musculorum, tanquam suum praeceptorem, eique tribuit librum de anatomia musculorum, addito elogio, quod adcurate conscriptus sit. Citat etiam *Martianum*, eumque invidum & vitilitigatorem vocat: Fuit tamen in honore propter duos libros de re anatomica conscriptos.

§. LXI.

Similiter commeminit Galenus *Pelopis* cujusdam, tanquam praeceptoris sui, qui pariter de dissectione musculorum scripserit, in defectu vero subjectorum humanorum suas demonstrationes in corporibus brutorum tantum modo instituerit, v. g. in demonstratione musculorum linguae usus fuerit lingua bovina, quam tamen methodum tanquam incongruam multorumque errorum matrem, jam superius consideravimus. In eo insuper paria faciebat cum *Hippocrate*, quod originem venarum quaereret in capite, ac cerebrum praecipue tanquam fontem non solummodo venarum, sed & omnium reliquorum vasorum totius corporis consi-

---

silentio praetermitteretur. Hunc igitur defectum monitus nunc emendaturus, locum quendam inter subtiliores anatomes cultores eidem relinquere eo minus dubitavi, quo magis honorifica sunt elogia, quae ipsi a *Galeno* tribuuntur. Primus locus libro VIII. Cap. I. p. m. 547. ubi contra illos disputat, qui nervorum originem ex corde repetunt, his verbis occurrit: *Illi igitur primi hujusce prolixitatis auctores extitere, qui contra evidentia mentiri non erubuerunt: Non* Hippocrates, *neque* Erasistratus, *neque* Eudemus, *neque* Herophilus, *neque* Marinus, *qui omnes post veterum memoriam dissectoriam speculationem, negligentia posteritatis interlapsam pro se quisque restituerunt.* Reliqua silentio praetermitto.

consideraret. Artem anatomicam publice professus est, certo testimonio, non vulgares ipsum in ea progressus fecisse.

§. LXII.

Praeter hos alii quidem adhuc occurrunt in scriptis *Galeni*, quos tanquam praeceptores suos veneratur, uti sunt *Heraclianus*, de quo memorat, quod eidem alexandriae docenti non perfunctoriam operam ipse dederit, deinde *Phecianus*, *Satyrus*, *Stratonicus* & forte alii plures; An vero in anatomicis quicquam peaestiterint, altum penes ipsum est silentium, nisi quod de *Stratonico* disertis verbis indicet, quod anatomiam non intellexerit. In cujus rei confirmationem adducit, quod crediderit, ex semine viri praevalente generari masculos, sicuti ex praedominio spermatis foeminini generentur foemellae; Quam quidem sententiam in pretio suo relinquit, imo suam facere non dubitat *Galenus*, in eo interim enormiter hallucinatum esse monet, quod magnam crediderit esse differentiam inter masculos & foemellas, intuitu arteriarum & venarum, ad partes spermaticas utriusq; sexus pertinentium.

§. LXIII.

Discussa tandem ac superata ista barbarie, tanquam ex novo orbe in scenam prodiit *Galenus*, de quo, priusquam loquendi faciamus initium, paucis mentio injicienda est *Aurelii Cornelii Celsi*, qui ultra centum & quinquaginta annos ante *Galenum* vixit. Medicis propter purissimam simul atque elegantissimam latinitatem in deliciis est, unde & vulgo *medicorum Cicero* & *latinus Hippocrates* dici consvevit. Praeter libros de re medica, scripsit etiam de positu & figura ossium totius corporis humani; Quae potissimum ratio est, quare hic penitus omittendus non fuerit.

§. LXIV.

§. LXIV.

Ordine nunc ſequitur *Claudius Galenus*, quem a patria *Pergamenum* vocant, omnium poſt Hippocratem medicorum veterum facile princeps, qui ſub Trajano Imperatore primum eminuit, ſub Antonino autem Philoſopho, Commodo & Aelio Pertinaci demum floruit. Hic, quid in re anatomica praeſtiterit, & in quo praecipue laudem praedeceſſoribus ſuis dubiam fecerit, ex libris ejus anatomici argumenti haud dubie aeſtimabitur, de quibus tamen priusquam loquamur, commune removendum eſt praejudicium, Galenum nempe in ſolis tantum brutorum corporibus ſecandis operam ſuam collocaſſe, humana vero cadavera ab ipſo unquam ſecta fuiſſe, primus in dubium vocavit *Andreas Veſalius*, qui inſuper adjecit, omnia, quae homini propria ſunt, fide Herophili a Galeno tradita eſſe: Huic enim adſerto repugnare videtur, quod ipſemet ſubinde graviſſime invehatur in illos, qui cor vel linguam bubulam incidunt, neſcientes, quod plurimum hae brutorum partes ab humanis diſcrepent. Praeterea plus uno loco indicavit, naturam hominis ab aliis animantibus diverſam eſſe. Abſurdum autem fuerit talia protuliſſe, niſi ipſemet differentiam illam cognoviſſet. Et omne tandem dubium ceſpitantibus eximit locus, qui *Libr. VI. Cap. IV. de uſu partium* humani corporis occurrit: *De numero*, inquit Galenus, *loborum aliorum cujusque animalis definire non eſt propoſitum: Neque enim alterius cujusquam inſtrumenti ipſorum conſtructionem attigimus, niſi forte in homine explicando eo inviti fuerimus traducti. Quod ſi morte intercepti non erimus, illorum etiam conſtructionem membratim, quomodo nunc hominum, diſſecantes, aliquo tempore explicabimus.* Neque obſtat, Galenum interdum partes *brutorum* cum *partibus*

 corporis

poris humani confudisse, quia aeque in *illis* atque in *his* occupatus fuit, & post ingens illud intervallum forte primus, qui utrumque suscipere ausus est. Imo author est suasorq; ut, qui in dissectione corporum humanorum felices facere cupit progressus, in anatome brutorum, potissimum simiarum sese prius diligenter exerceat; quae quippe animalia omnium maximam cum homine convenientiam habeant.

§. LXV.

Equidem non contemnendas profert rationes *Riolanus*, quibus probare intendit, antiquis medicis cadavera humana secare non licuisse, nempe penuriam fuisse cadaverum humanorum priscis seculis, eo quod rogo imposita quam primum cremabantur, quod lege Mosaica cruci vel patibulo suffixa intra biduum vel triduum humabantur vel cremabantur, quae deinde consuetudo apud Romanos quoque introducta fuit; Quod horrendum olim fuit, morticina tractare, eamque ob causam vespillones urbe summotos, & carnificem urbis domicilio privatum, quod Judaeis tactus corporum mortuorum prohibitus & Graeci infames atque invisi fuerunt, qui cadaver tetigerant &c. Neglectis tamen omnibus hisce rationibus concludit, injuste Galenum accusari, quod nunquam hominem inciderit, & anatomen non hominis, sed simiae tradiderit.

§. LXVI.

Verum ut tanto clarius dilucescat, quantos qualesve prae omnibus aliis, qui aetate ipsum antecesserunt, in *anatomicis* fecerit progressus, operae pretium esse duxi, universum *anatomiae Galenicae* systema in compendio hic sistere. Auspicabor a generalioribus, ad specialiora sensim transiturus.

Quanto

Quanto anatomes ſtudio is flagraverit, quantumve in eo pretium repoſuerit, ex ejus commendatione, regulisque generalibus, anatomen concernentibus, ſatis liquet, quales v. g. ſunt: (a) *Anatomen ſaepius & adcurate celebrandam;* (b) *Solis libris anatomicis non oportere eum credere, quicunque operum naturae velit eſſe contemplator, ſed propriis oculis accedere, aut cum aliquo eorum, qui* cum anatomicis *verſati ſunt, verſari, aut ipſum per ſe diligenter exercitari anatomis manu obeundis. Quamdiu autem legerit ſolum, omnibus* (Galeno) *prioribus anatomicis credet*

(a) De compoſ. med. per genera Lib. III. p. 465. ita inquit: *Si frequenter in ſimiis ejusque tendinis & nervi poſitum ac magnitudinem contempleris, exacte poteris etiam, ſi humani corporis incidendi copia tibi undecunque ſuppetet, ſingula, ut vidiſti, celeriter invenire. Quodſi inexercitatus omnino facias, nihil inde promovebis. Quemadmodum nec medici bello germanico, barbarorum corporum inſectionis poteſtatem habentes, amplius quippiam didicerunt iis, quae coqui intelligunt; Etenim empiricorum anatome caſu contingens prolixum nugamentum eſt.*

(b) Libr. II. de uſu partium C. H. Cap. 3. p. 241. *Quicunque* ait, *vult operum naturae eſſe contemplator, non oportet eum libris anatomicis credere, ſed propriis oculis; aut ad nos accedere, aut cum aliquo eorum, qui nobiſcum verſati ſunt, verſari; Aut ipſum per ſe diligenter exercitari, anatomis manu obeundis. Quamdiu autem legerit ſolum, omnibus me prioribus anatomicis credet, eo magis quo plures ſunt.* Confer locum eximium, qui Libr. III. de compos. medic. ſecund. gener. p. 465. his verbis occurrit: *Hac* (empiricorum anatome) *nugacior eſt, ex libris anatomicis inſtitutio, non abſimilis iis, qui ſecundum paroemiam ex libro gubernare dicuntur. Quandoquidem enim contemplati palam a praeceptore oſtenſos nervos & tendines ipſorum, niſi denuo eos videant, & tertium & ſaepius deinceps loci accurate, in quo poſiti ſunt, non meminêre, multo minus ex lectione poterunt addiſcere.*

eo magis, quo plures erunt. Optandum foret, utramque hanc regulam diligenter commendatam ſibi habere tyrones artis: Nullum enim dubium eſt, quin & ſaepius ſeſe exercitando, & manum operi admovendo, breviori temporis intervallo majorem ſibi dexteritatem & peritiam in hac arte ſibi ſint adquiſituri, quam ſi in ſola librorum anatomicorum lectione plurimorum annorum decurſu fuerint occupati.

§. LXVII.

Deinde, ne quis *Galenum*, nullum ſe in ſecando ordinem ſervaſſe, injuſte criminetur, ſciendum eſt, ſuaſiſſe ipſum anatomes cultoribus, ut primum omnium naturam (c) oſſium perdiſcerent, deinde ad muſculorum conſectionem ſeſe converterent, hinc ad arterias, venas & nervos progrederentur, tandemque viſcerum, ad haec inteſtinorum, adipis & glandularum inſpectionem ſibi commendatam haberent: Unde patet, in omnibus anatomes partibus, hodie recenſeri ſolitis, *oſteologia, myologia, angiologia, nevrologia, ſplanchnologia* & *adenologia* ſeſe *noſtrum* exercuiſſe.

§. LXVIII.

Quod vero prae ceteris *anatomes* partibus oſſium notitiam commendaverit, ideo factum eſt; Quia, (d) quod in

(c) Locus integer adminiſtr. anat. Libr. I. cap. 2. p. 127. ſic legitur: *Oſſium omnium natura perdiſcenda eſt, ſive in humano ſive in ſimiae corpore, modo poſſis. Poſt illa mox ad muſculorum inciſionem properandum. Nam hae duae corporis partes reliquis omnibus veluti fundamenta ſubjecta ſunt. Deinde licebit quodvis diſcere primum, ſive arterias, ſive venas, ſive nervos. Atque in horum conſectionibus verſato, viſcerum natura, ad haec inteſtinorum, adipis & glandularum innoteſcet. Quae ipſa rurſus per ſe penitius inſpicere convenit.*

(d) Libr. I. adminiſtr. anat. cap. 2. p. 126. ſtatim in principio.

in tentoriis praeſtant pali (χαμακας Graeci dicunt) & in aedibus parietes, id in animalibus oſſium ſubſtantia; Quippe ad (e) hujus imitationem caetera in animante ſolent effingi mutarique.

(e) Sic enim loco modo allegato porro ſcribit *Galenus: Quoniam*, inquit, *corporis forma oſſa repraeſentat, & his aliarum partium natura reſpondet; Velim te inprimis exactam humanorum oſſium cognitionem peritiamque indipiſci, non obiter ea ſpectare, neque etiam ex libris ſolum diſcere, quos Graecorum quidam* ὀςεαλογιας i. e. *oſſium interpretationes vocant, alii* σκελετȣς, *quaſi dicas, cadavera aſſiccata.* Et paucis interjectis ita pergit: *Hoc autem ſit opus tuum, hoc ſtudium, ut non librorum modo lectura, verum ſedula etiam inſpectione fideque oculata cujusque oſſis humani ſpeciem accurate perdiſcas. Quod quidem in Alexandria multo facilius facies, ubi medici oſſium diſciplinam auditoribus ante oculos exponunt. Enitendum itaque tibi cenſeo, ut in Alexandria commoreris, ſi non alterius, at hujus certe rei ſolius gratia. Quod ſi non aſſequaris, licebit vel in hunc modum hominum oſſa contemplari, quo ego quoque uſus ſum. Siquidem inſpexi ſubinde admodum vel ſepulchris quibusdam vel monimentis disſolutis. Atque etiam fluvius aliquando ſepulchrum pauculis menſibus negligentius exſtructum ſuperans, ipſum ex facili diſſolvit, totumque cadaver agminis impetu tractim ductum, carnibus quidem jam putrefactis, caeterum oſſibus adhuc inter ſe ſtrictim cohaerentibus, usque ad ſtadium pronum detulit. At cum ipſum locus portuoſus margine altus excepiſſet, eodem cadaver appulit. Atque hoc tale nobis occurrit, quale medicus ipſum ad adoleſcentis diſciplinam de induſtria praeparaſſet. Ceterum mihi viſum eſt, etiam latronis quandoque cadaver aſſiccatum, paululum extra viam in monte procumbens . . vulturibus devorari; Qui carnibus illius biduo abſumtis, cadaver exſiccatum, tanquam ad doctrinam, quicunque inſpicere voluiſſet, reliquerunt.* Locum tam prolixum me excerpsiſſe & huc tranſtuliſſe, vel ideo me non poenitet, quia inde addiſco 1.) σκελετον *Galeni* aetate dictum fuiſſe hominem exſiccatum. 2.) Aeque facile in cadaver tale aſiccatum incidere potuiſſe

§. LXIX.

Suntque oſſa *Galeno* generatim (f) corpora duriſſima & aridiſſima maximeque terreſtria, quae tanquam fundamenta ad univerſam corporis ſubſtantiam ſuſtentandam ſubjiciantur iisque omnia adnaſcantur ſtabilianturque. Deinde humani corporis oſſium invicem cohaerentium univerſam (g) compagem adpellat ſceleton; Unde etiam nonnulli, qui de oſſibus diſſeruerunt, libros ſuos περι σκελετȣ̃ inſcripſerunt. Diſtingvit praeterea inter *apophyſin* & *epiphyſin* omniumque articulationum modos ſollicite deſcribit. Ad ſpecialia deinde deſcendens, enarrat primum (i) oſſa capitis una cum oſſe jugali oſſibusque maxillarum & naſi ac dentibus. Hinc ad ſpinam progreditur ordineque vertebras colli, dorſi & lumborum nec non oſſis ſacri & coccygis ſubjungit, univerſamq; tractationem oſſibus, quae ſacro committuntur, claudit, tandemque de oſſibus thoracis, de ſcapulis, claviculis & humero agit. Et, ne quid in hiſtoria osſium deſideretur, oſſa quoque, artus tam ſuperiores quam inferiores componentes, ſubjungit.

§. LXX.

---

antiquiſſimas gentes, v. g. Aegyptias, indeque ſtructuram & connexionem oſſium addiſcere, ſi vel maxime lege publica prohibitum fuiſſet, cadavera humana diſſecare & ſceleta ſibi parare. Velim proinde haec cum iis conferri, quae ſuperius de Aegyptiorum peritia anatomica a nobis diſputata ſunt.

(f) Libro de oſſibus ad tyrones p. 78. & 79.

(g) loco modo citato.

(h) eodem mox allegato loco.

(i) Libro toto de oſſibus ad tyrones.

§. LXX.

Non vero ossium tantum historiam digne prosecutus est; Sed & in vasorum sanguineorum, arteriarum venarumque anatome laudabilem omnino comprobavit industriam: Ubi tamen ante omnia notat errorem veterum, qui (k) arterias interdum etiam venas adpellarunt; Id quod vel ideo mirandum non est, quod motum sanguinis circularem & consequenter etiam arteriarum venarumque usum ignoraverint. Et licet forte dici posset, (l) arterias ceu vasa pulsantia considerandas ac proinde ex illarum pulsu melius illos edoceri debuisse, notum tamen est, quod *Erasistratus* cum asseclis suis non crediderit, sanguinem excitare pulsum, sed aërem in arterias irruentem. Atque hoc sensu (m) *arterias pulmonis venosas*, *venas* vero *arteriosas* esse docet, eaque occasione *Epicureos* notat, dicens: *Mentem esse, quae omnia designet, disponat, ornet, non corpusculorum concursu quodam fortuito inter se cohaerentium vim:* (n) Arteriis duas peculiares adserit tunicas, alteram exteriorem, venae similem, alteram interiorem, hujus fere quintuplam, quae insuper durior, in transversas fibras dissoluta, exterior vero rectis fibris & quibusdam mediocriter obliquis, transversis nullis contexta sit. Interiorem (o) tunicam crassam duramque esse debuisse, inde colligit, quia propter motum perpetuum robore quodam opus erat; Quod, si tenuis fuisset tunica, sustinere non potuisset.

§. LXXI.

(k) Libr. III. prorrheticor. p. 366.
(l) Libr. VII. administr. anat. cap. 4. p. 188.
(m) Libr. VI. de usu partium C. H. cap. 13. p. 305.
(n) L. VII. administr. anat. cap. 5. p. 189.
(o) L. VII. de usu partium C. H. p. 309.

§. LXXI.

Originem omnium arteriarum a (p) corde, ſpeciatim ab aörta, ex ſiniſtro cordis ſinu enata, merito repetit: Unde ſummae eos (q) imprudentiae reos agit, qui principium earundem aliud, quam cor conſtituerunt. Diviſionem arteriae in (r) duas partes itidem agnoſcit, quarum altera ad ſpinam deflectatur, partibus omnibus inferioribus arterias immiſſura; Altera vero ſurſum ad caput feratur, quae & ipſa omnibus, quae ſunt ſupra cor, vaſorum propagines eſt praebitura. Addit inſuper; Diviſionem (s) duorum horum ramorum ideo inaequalem fuiſſe, quod in animali plures ſub corde, quam ſupra cor, ſunt partes. Notat praeterea, (t) nullam arteriam in corpore ſine conjuge ſua vena reperiri; Licet venae quaedam ſine arteriis reperiantur (u). Arterias a venis diſcrepare non modo craſſitie

(p) Lib. XVI. de uſu part. C. H. p. 428.
(q) Lib. VI. de Hipp. & Plat. decret. cap. 3. p. 526.
(r) Lib. XVI. de uſu part. C. H. cap. 9. p. 437.
(s) ibidem.
(t) Libr. XVI. de uſu part. H. C. cap. 13. p. 441.
(u) ibidem libr. VI. c. 13. p. 304. & 305. Qua occaſione graviter invehitur *Galenus* in *Aſclepiadem*, ironice quidem ipſum vocando hominem ſapientiſſimum, ſed ſimul tamen variis imputationibus ipſum onerando, ipſumque dicendo virum jactabundum atque inſolentem, cujus errores partim ex contemtu & imperitia anatomes, partim ex logicae ſpeculationis ignoratione promanaverint, & cujus proinde ſcriptorum flagitia proſequi nolit. Quod, quae nunquam ab ipſo percepta fuêre neque cognita, ſine ulla dubitatione, de illis ut exploratiſſimis auſus ſit pronunciare; Quod *Herophili* diſſectiones reſpuerit; Quod *Eraſiſtratum* condemnaverit; Cui denique ſordeat *Hippocrates*. Graves profecto accuſationes, quas hodie nemo facile ſine bile audiret, nedum concoqueret!

ſitie, ſed & numero & qualitate tunicarum; Interiorem enim tunicam, quae craſſa eſt ac dura, quaeque fibras habet tranſverſas, venae ipſae, judice *Galeno*, non omnino habent. Cur (w) *arteriam venoſam* adpellaverit, quae ex ſiniſtro cordis ventriculo, *venam* vero *arterioſam*, quae ex dextro procedit, ejus rei rationem jam ſuperius attulimus. Denique duplicem in arteriis motum, ſyſtolem nempe atque diaſtolen agnovit.

§. LXXII.

Deſcriptis arteriis, veniamus nunc ad venarum anatomen *Galenicam*; (x) His toto in corpore unicam tantum peculiaremque concedit tunicam, & eam quidem valde tenuem; Exterior namque membrana ipſis nonnunquam obhaereſcens, ſecundum *Galeni* ſententiam, accedit tantum, ubi colligari quibusdam vel fulciri vel contegi deſiderat. (y) Principium & originem omnium venarum jecur eſſe ſtatuit; Quia, inquit, ſi a corde originem traherent, pulſum editurae forent; Et quod omnes venae cum ipſo continuatae conſpiciuntur; Id quod nullius niſi principii indicium eſſe posſit. Quo fundamento ſuffultus, ſtolidum eſſe judicat adſertum illorum, qui putarunt, venarum paria quatuor a capite in corpus deſcendere.

§. LXXIII.

De *nervis* generatim praedicat: (z) Quod, licet in omnes corporis partes ferantur, illorum tamen nullus neque in oſſa, neque in cartilagines, neque in ligamenta neque in

(w) Libr. VII. adminiſtr. anat. cap. 4. p. 188.
(x) Ibidem cap. 9. p. 189.
(y) Libr. VI. de Hippoc. & Plat. decretis cap. 6. p. 531.
(z) Libr. XVI. de uſu part. H. C. cap. 2. p. 429.

quasvis glandulas inferatur. Habet vero pro (aa) nervis eos tantum funiculos albicantes, qui a cerebro & ſpinali medulla ortum ſuum derivant, nulla gaudent cavitate, & ſua natura neque dilatantur neque contrahuntur. (bb) Adcuratius *Hippocrate* illos diſtingvit a *tendinibus* ac *ligamentis*; Quae enim ex muſculis enaſcuntur corpora nervoſa, nomine tendinum ipſi veniunt; Per *ligamenta* vero intelligit nervos colligantes; De omnibus vero praedicat, quod cavitatis ſint expertes. (cc) Uniuscujusque nervi naturam triplici, ait, conſtare ſubſtantia, media quadam & intima, arborum medullae quam ſimillima, quam haud dubie a cerebro ſuam trahere originem exiſtimat, & duabus exterioribus, prima, quam e tenui membrana, altera vero, quam e dura craſſaque exoriri exiſtimat; Unde refert, *Eraſiſtratum*, cum exteriorem nervi partem ſolam conſpexiſſet, quae ex craſſiore membrana progrederetur, ab ea totum nervum oriri, opinatum eſſe; Additque: Hac ſua ſententia pleraque ſuorum commentariorum referſiſſe, dum ubique inculcavit: *Ab operiente cerebrum membrana nervis originem eſſe.* Verum, ubi jam conſenuiſſet, ſolisque artis ſpeculationibus vacans, diligentiores diſſectiones feciſſet, tandem, judice Galeno, animadvertiſſe *Eraſiſtratus* dicitur, nervorum intimam partem quaſi medullam e cerebro naſci. Quid vero de hoc *Galeni* judicio ſentiendum ſit, alibi jam diſcuſſimus. Denique diſtingvit nervos in (dd) *molles* ac *duros*, impoſſibile eſſe exiſtimans, ut duri ex cerebro, molles vero ſpinali medulla procedant, cum, ad exactiorem ſenſum, productione cerebri

(aa) ibid. Libr. XV. cap. I. p. 420. (bb) ibid.
(cc) Libr. VII. de Hipp. & Plat. decretis.
(dd) Libr. IX de uſu part. C. H. cap. II. p. 348.

cerebri molliore, ad motionis vero robur duriore nervo opus ſit.

§. LXXIV.

In *muſculorum* quoque *conſectione* haud perfunctorie verſatum fuiſſe *Galenum*, imo potius omnes ſuos anteceſſores hac in parte anatomes ſuperaſſe, libri, quos de *anatome* itemque de *motu muſculorum* conſcripſit, evincere ſatis poſſunt. In *prooemio* de *muſculorum disſectione ad tyrones* ingenue confitetur, plures quidem ante ipſum hanc anatomes partem adgreſſos eſſe, neminem tamen ſine reprehenſione, *Marino* excepto, qui multo adcuratius, quam alii, hocce argumentum tractaverit. Meminit praeterea & *Pelopis* & *Lyci* & *Aeliani*, quorum labores in *diſſectione muſculorum* in pretio merito habendi ſint. Et quanquam *Lycus* clariſſime omnium & optime muſculos diſſecuiſſe credatur; Se tamen non inutilem laborem ſuſcepturum confidit, ſi, quae a ſuperioribus medicis praetermiſſa vel minus diligenter ſcripta, aut etiam a ſe ipſo inventa ſint, manifeſtaverit.

§. LXXV.

In genere muſculos habet pro partibus carnoſo-tendinoſis motuumque voluntariorum inſtrumentis. Tradit praeterea non tantum modum artemque muſculos conſecandi, ſed & eorundem hiſtoriam prolixe proſequitur, a capitis ejusdemque partium muſculorum deſcriptione exorſus, indeq; ad muſculos gutturis, colli, thoracis & adnexorum progreſſus, quos tandem ventris, epigaſtrii, ſedis, ani & adnexorum musculi conſequuntur. Nec reticuit muſculos, qui ejus tempore (ee) incogniti erant, a ſe vero inventi ac demonſtrati ſint,

(ee) Adminiſtr. anat. libr. II. cap. 9. p. 143. Confer etiam *Douglaſſi* bibliographiam anatomicam.

quorſum pertinet *platyſma moyoides*, deinde muſculi *interoſſei* ac *lumbricales*, necnon muſculus in capite exiguus, quem hodie *rectum minorem anteriorem* vocant, aliique plures veteribus prorſus ignoti.

§. LXXVI.

Hoc itaque modo *arteriarum*, *venarum*, *nervorum*, *musculorum* aliarumque partium *ſimilarium*, veteribus ita dictarum anatomen perfecit *Galenus*; Nec tamen propterea *modum conſecandi* neglexit: Abunde enim in eo proſpexit quoque tyronibus artis, dum integros novem libros de *adminiſtrationibus anatomicis* reliquit, qui à *Johanne Andernaco*, non modo latinitate donati, ſed & poſt diligentiſſimas *Andreae Veſalii* & aliorum caſtigationes plurimis in locis correcti ſunt. In his enim affatim inſtruitur artis anatomicae tyro, qua nempe ratione non modo ſceleton artificioſe parare, ſed & docta atq; perita manu cultrum aliaque inſtrumenta anatomica dirigere debeat, ut molliores omnes partes rite ac ſcientifice conſecentur. Proinde excuſat veteres, quod de *conſectionibus adminiſtrandis* nihil litteris mandaverint; Quod quippe eo tempore minus neceſſarium erat; quia illis tam frequens fuit tamq; familiaris & in communi uſu anatomica adminiſtratio, ut domi apud parentes etiam ab ipſa pueritia olim exercerentur. Poſtea vero tam praeclaro exercitio intermiſſo, opus fuit commentariis, quae anatomicam diſciplinam integram conſervarent.

§. LXXVII.

Et, licet ad *anatomen* proprie nihil ſpectet, uſum partium tradere, ſed hoc muneris *Phyſiologi* inprimis ſibi impoſitum eſſe putent: Per ſe tamen patet, nihil ſolidi ab his praeſtari poſſe, niſi facem accendat anatome. Imo, quamvis libri

Galeni,

Galeni, quos de *uſu partium* C. H. conſcripſit, ad guſtum praeſentis, in quo vivimus, ſeculi adcommodati non ſint: Tantis tamen laudibus (ff) a nonnullis depraedicantur, ut pro perfectis omnique numero abſolutiſſimis habere illos non dubitent.

§. LXXVIII.

Nec denique uſum anatomes indicare neglexit, qui non in eo tantum conſiſtit, ut proprietatem (gg) eſſentiae uniuscusque partis, intuitu inprimis actionis & uſus, quem praeſtat, nos edoceat: Sed &, quod (hh) chirurgicae medendi

 rationi

(ff) In horum numero eſt *Clericus*; Ita enim ſermonem hiſce de libris inſtituens, inquit: Si les adminiſtrations anatomiques ne ſont pas entieres, les autres livres & ſur tout ceux de l' uſage des parties, ſupplent ce, qui manque aux premiers. Ces mêmes livres ſont un chef-d'oevre, qui a eté admiré de tout temps, & qui fait le mieux voir l' etendue du genie de ſon auteur. Verum hoc elogium ſine dubio de genio ſeculi, quo vixit *Galenus*, intelligendum eſt. Interea huic judicio propemodum par eſt, quod de libris hiſce *Hermannus Conringius* introduct. in art. med. cap. IV. §. 17. p. 155. tulit hunc in modum: Concedit is quidem, maxime inter omnia (*Galeni ſcripta*) excellere libros de *uſu partium*, quod quippe opus incredibili ἀκριβεία & ſingulari plane ingenio ſit conſcriptum, & in quo auctor vim judicii ſui potiſſimum declaraverit; Merito tamen adjicit: Fatendum eſſe, multa apud *Galenum*, etiam in ipſo de *uſu partium* opere occurrere, quae cum veritate non usque quaque imo non raro neutiquam conveniant, utut identidem de corporum humanorum ſectione glorietur.

(gg) Libr. I. de locis affectis.

(hh) Libr. I. adminiſtr. anat: *Quum per chirurgiam*, inquit Galenus, *muſculos ipſos propter abſceſſus altiores, incidere interdum cogamur, actionis ipſorum cognitio maxime ex uſu eſt, ut tum perdiſcere*

rationi abſolute illa ſit neceſſaria. Imo nec (ii) praerogativam, quam *mortuorum* prae *vivis* anatome ſibi vindicat, neglexit.

§. LXXIX.

De anatome, quam Graeci κατα περιπτωσιν, quod caſu accidat, veteribus admodum decantata, quamque medici magna celebritate profiteantur, hoc tulit judicium: Quod (kk) ſpectatorum naturam edocere non poſſit; Eo quod prius conveniat, multo otio quamque particulam inſpicere, ut ſtatim viſa cognoſcatur, praeſertim in hominibus ipſis, ſin minus, certe in animalibus, homini ſimilibus, quorſum inprimis ſimias retulit.

§. LXXX.

Corpus univerſum diſtinxit in tres *ventres* & *extremitates*, ad *illos* abdomen, thoracem & caput, ad *has* vero artus tam ſuperiores quam inferiores revocando, quae diſtinctio in hunc usque diem inter anatomicos adhuc uſitata eſt. Nec abhorret *Galenus* a diſtinctione partium in *continentes* & *contentas*

---

poſſis, omnem abigendo calumniam, functionem in magnis vulneribus, ubi muſculus totus transverſim diſſectus fuerit, abolituram. Taceo, qui muſculorum actiones novit, eum chirurgum alios quidem muſculos caute, alios autem inciſurum audacius. Praeſtat tamen, conſilio Galeni, pro fibrarum ductu ipſorum deciſionem moliri.

(i) De hac praerogativa adminiſtr. anat. Libr. IX. cap. I. ſic loquitur: In cadavere *anatome celebrata cujusque particulæ ſitum, numerum, ſubſtantiae proprietatem, mangnitudinem, figuram & compoſitionem edocet: In* vivo *autem confectio interim functionem ipſam manifeſto oſtendit, interim ad hujus inventionem ratiocinationes exhibet. Nulli igitur obſcurum eſt, oportere*, ut mortui animantis *confectio* eam *præcedat, quæ* in vivo *adminiſtratur.*

(kk) Libr. I. cap. 2. adminiſtr. anat.

tentas: Ad *illas* refert cutem, quam commune artuum omnium velamentum vocat, quamque cuticula (*επιδερμιδα* Graeci dicunt) tegit. Habet eam pro parte (ll) ſimilari atque (mm) ex venis, arteriis & nervis conſtare adſerit, diſputans eum in finem contra *Eraſiſtratum*, qui quippe eam trium horum vaſorum complicationem eſſe negavit. Cuti (nn) membranam immediate, vult, eſſe ſubſtratam; Quam tamen ſententiam confutat *Veſalius* indeque infert, *Galenum* non humana, ſed brutorum tantum corpora conſecuiſſe. Ulterius docet, huic membranae cutim tam firmiter adnatam eſſe, ut ſeparari inde nequeat.

§. LXXXI.

Ad partium continentium cenſum reducit quoque muſculos abdominis, quibus remotis in conſpectum prodit *peritoneum*, (oo) corpus tenue & aranearum telae conſimile, quod ceſſantibus muſculis ttanſverſis oboritur. Nomen ſuum inde traxiſſe, opinatur *Galenus*, quod praetendatur omnibus tum viſceribus, tum inteſtinis, tum vaſis, quae inter ſeptum tranſverſum & crura habentur, imo & aliis, quae his interjacent, omnibus obduci, ex quorum grege ſit etiam uterus & veſica. Caeterum refert de eodem, quod, ſi quis ſeorſim peritoneum abſque omnibus iis, quae id contingunt, inſpicere poſſit, circulum quendam referre ſit obſervaturus, qui in quibusdam ejus partibus laxos proceſſus, in quibusdam foramina tantum obtineat. Neutiqnam vero ſimplex & unicum, ſed ex duobus corporibus compoſitum eſſe corpus credit, & quidem, ut alibi docet, pure nerveum.

§. LXXXII.

(ll) Libr. de inaequali intemperie p. 83.
(mm) Libro: An ſanguis natura in arteriis contineatur? cap. 4.
(nn) Libr. II. de locis affectis p. 22.
(oo) Libr. VI, cap, 4, adminiſtr, anat,

§. LXXXII.

Tradita peritonei descriptione, ad (pp) omentum, Graecis ἐπίπλοον dictum, progreditur. Id inter reliqua animantia maximum homines obtinere, ait, quod nulli intestinorum sit connatum, nisi quod quibusdam pauculis ligamentis in dextra parte laxiori intestino, quod *colon* adpellant, connectatur. Agit dehinc de *mesenterio* ejusque arteriis & venis, porro de ventriculi & intestinorum tunicis, de jecoris differentia in homine ac caeteris animalibus, de intestinis in specie, de liene & ejus vasis, de hepate ejusque vasis & meatu fellis, deque renibus & meatibus urinariis, quam universam tractationem musculorum, qui retinendis & propellendis excrementis praesunt, descriptione obsignat.

§. LXXXIII.

Verum de hisce omnibus & reliquorum ventrium contentis distinctius nunc agendum est. Non enim sine sontica ratione *Galenus*, a sectione abdominis, viscerumq; in eo contentorum, anatomen est exorsus; Cujus quippe instituti sui hanc reddit rationem; Ne videlicet diutius asservata computrescerent; Quae etiam ratio ejus est momenti, ut in hunc usque diem anatomicis adprobetur.

§. LXXXIV.

Sub diaphragmate itaque situm suum habet ventriculus una cum intestinis, de quorum positione, structura & officio sic sentit *Galenus*: Fundum ventriculi ad dextram se extendere, eumque recipiendorum ac digerendorum alimentorum gratia factum esse, medium inter hepar ac splenem occupare locum, ut ab hisce visceribus tanquam fomitibus caloris blande

(pp) Libr. VI. administr. anat. a cap. 4. ad 14.

blande adficiatur, ſicque ciborum concoctio melius promoveatur. Figuram oblongo-rotundam ideo ipſi adſcribit, quod ea omnium minimum laeſioni obnoxia ac inſuper capaciſſima ſit. Ex duabus tunicis, interiore membranoſa, quae villos rectos ſuperne deorſum tendentes, externa vero carnoſiore, quae tranſverſos habeat villos, contextum eſſe ventriculum idque merito ita factum, ſiquidem ventriculus ad ſeipſum per ſtomachum eſculenta admittat & quaſi alliciat, & quidem rectis iſtis villis, propellat vero tranſverſis. Externam membranam, qua muſculoſa exterius tegitur, a peritoneo oriri, & cum aliis viſceribus infimi ventris communem habere. Paucas ad ventriculi fundum, paucas ad ejus oris partes & omnino obſcuras quasdam ad oeſophagum ferri venas; Siquidem hic via ſolum ciborum erat, ventriculus vero coctionis officina, ſicuti inteſtina diſtributionis inſtrumentum ſunt. Cumque nulla animalis particula ex ſe ipſa ſenſum habeat innatum, ſed ex nervis illum mutuetur: Hinc ejus rei gratia par nervorum haud mediocre deferri ac diſſeminari contendit, maxime vero os ejus ſuperius & partes ipſi continuas nervis contextas eſſe; Unde exquiſitus ejus ſenſus dependeat. Deniqve duplex os ſive orificium, alterum ſupernum, alterum infernum eidem adſcribit, per quorum illud cibi ingrediantur, per hoc vero quomodocunqve praeparati denuo egrediantur, cui inſuper peculiare *pylori* nomen tribuit.

§. LXXXV.

Pyloro continua ſunt inteſtina, qvae in *tenuia* & *craſſa* diſtingvuntur; Ad priora pertinent *duodenum*, ab *Herophilo* ſic dictum, qvod *Galenus* ἐκφυσιν i. e. adpendicem vocat. Alterum *jejunum* ac tertium *ileon* dicitur. Eorundem (qq) ſubſtantia

L non

(qq) Libr. IV. cap. 17. 18. 19. & 20. de uſu partium C. H.

non eſt a ventriculo diverſa, niſi quod hic concoctionis, illa vero diſtributionis chyli ſint inſtrumenta; Quam etiam ob cauſſam canalis inteſtinorum non extenditur ſimplex usque ad anum, ſed quam plurimis circumvolutionibus & ſpiris orbiculatis in medio intercipitur, idque ideo, ne alimentum ex animali citius elabatur, factum eſſe contendit. Duas illi tunicas ſeu membranas vindicat, interiorem & exteriorem quarum quidem fibrae tranſverſae ſint, ita tamen, ut in nonnullis inteſtinorum villi quoque recti ſecundum longitudinem protendantur, ad tranſverſorum tutelam. Extimae tunicae ſuperinducta eſt alia tenuiſſima, quae peritoneo ſuos debet natales, ſicuti easdem quoque origines tunica ventriculi extima agnoſcit. Craſſorum inteſtinorum principium eſt *coecum*, deinde *colon* tandemque *rectum*, quod in anum deſinit, & muſculo quodam ſphinctere munitum eſt, quo minus invitis elabantur excrementa. Et ne ſine praeſidio vaſa ſanguinea incederent, (rr) meſeraeo inteſtina eſſe alligata, ſimiliterque per illud corpora carniformia, quae glandulae vocantur, diſperſa, *Galenus* author eſt.

§. LXXXVI.

Veniamus nunc ad duo viſcera hypochondriaca, hepar nempe & lienem, quorum illud in dextro, hoc vero in ſiniſtro hypochondrio ſitum ſuum naturalem habet. Subſtantiam hepatis *Galenus* pro peculiari carne habet, quam *Eraſiſtratus* ejusque ſectatores uno *parenchymatis* nomine enunciarunt. Credit praeterea, hepar eſſe primum (ss) ſanguificationis organon & venarum omnium principium. Superficiem ejus diſtingvit in *concavam* & *convexam*; *Illa* excipit venas

(rr) ibid. cap. 20. p. 282.
(ss) Libr. IV. cap. 12. p. 276. de uſu partium.

venas, ex meſenterio ad eam pertinentes, quem locum, ubi omnes colliguntur, *portas hepatis* vocant. Circumdatum eſt hepar tenui membrana, quae more reliquorum abdominis viſcerum a peritoneo ſuam derivat originem. (tt) Minimum nervum ipſi dediſſe naturam, ideoque neque ad motum aliquem, neque ad ſenſum hoc viſcus animali conceſſum, opinatur *noſter*. Quem enim motum habet, ex vicinia phrenis nanciſcitur. Partes, in quas diffinditur hepar, lobos vocat. Concavae parti cyſtidem felleam eſſe implantatam eamque bilem in hepate ſeparatam excipere, ſimplicem ſenſum fallere non poterat.

§. LXXXVII.

In ſiniſtro hypochondrio ſitum eſt ſplen, quod habet pro (uu) inſtrumento, quo limoſi, craſſi & melancholici humores in hepate geniti purgentur, quosq; per vas venoſum tanquam per ſtomachum attrahat. Vehementer proinde indignatur *Eraſiſtrato*, quem quippe adſerere non puduit, viſcus hoc a natura, nihil licet temere,nihil fruſtra agente, conditum totumq; inutile eſſe. Subſtantiam ejus parenchymaticam eſſe credit, raram nempe ac laxam, inſtar ſpongiae cujusdam, ut ſuccos craſſos facile attrahat & excipiat. Quanquam autem lienis caro laxa ſit atque fungoſa, magno tamen intervallo a pulmonis carne, judice *Galeno*, relinquitur, utpote quae laxiſſima ſit & leviſſima & paulo minus alba, ex ſpuma quippe quadam veluti coagulata. Multas viſceri huic tribuit arterias, & tres potiſſimum rationes allegavit, cur leve, rarum & arterioſum factum ſit lienis corpus, quod inſuper membrana tenui, ex peritoneo ortum ſuum trahente, tectum eſt.

L 2 §. LXXXVIII.

(tt) Libr. IV. cap. 13. p. 277. de uſu partium C. H.
(uu) Eodem libro cap. 15. & 16. p. 279. & 280.

§. LXXXVIII.

Lumborum regionem occupant renes, de quibus ita sentit *Galenus*: (ww) Esse nempe instrumenta concava, stomachis instructa, aliis quidem attrahentibus, aliis vero tenue hoc & aquosum excrementum emittentibus. Adjacere illos utrinque venae cavae paululum sub hepate, ideo factum esse putat, ut, quicquid in sanguinem assumatur, confestim purgetur, solusque postea is purus per totum corpus eat, pauco omnino ipsi admisto aquoso humore. Idem porro observat, (xx) renem dextrum in omnibus animantibus eminere elatiorem & a spinae vasis haud exiguae magnitudinis vasa, arteriam nempe atque venam in eos inseri. De pelvi renali & ureteribus, urinam ad vesicam deportantibus, obscure quidem loquitur, rem ipsam tamen agnovisse videtur; Quia (yy) *sinus* corpore quodam membranaceo circumdati, & vasis *concavi* & *oblongi*, illi continui mentionem facit; Quod an meatus, an arteria, an vena adpellari mereatur, ipse ambigit; Alibi tamen distinctius hisce de partibus loquitur, & (zz) *ureteris* commeminit. Urethrae vero disertis verbis mentionem injicit, quam unica tunica, peritoneo tamen tecta & vesicae substantiae haud absimili constare existimat. Ejusdem vesicae musculum, quem σφιγκτῆρα dicunt, ideo adpositum esse putat, ut eam constringat sicque impediatur, ne invitis urina excernatur. (aaa) Figuram renibus simam, qua parte vena & arteria inseruntur, adscribit,

(ww) Libr. eodem cap. 8. p. 271.
(xx) Libro VI. cap. 13. p. 185. administr. anat.
(yy) Eodem libro cap. 13. & 14.
(zz) Libro V. de usu partium C. H. cap. 5. p. 287.
(aaa) ibidem.

bit, illi vero oppositam rotundam adpellat. Nervus reni insertus, judicio *Galeni*, est usque adeo exilis, ut sensum fallat: Arteriae vero ac venae eo ampliores concessae illis sunt; Cujus rei rationem reddit eoque ipso *Erasistratum* redarguit, qui quippe, cum solum spiritum in arteriis contineri crediderit, rationem dare non potuerit, cur tantae magnitudinis arteriae renibus sint insertae.

§. LXXXIX.

Exposita renum structura & officio, ad vesicam, quae est urinae receptaculum, veniendum est; Huic *Galenus* (bbb) simplicem tantum tunicam adserit; Nam secunda, quam nonnulli eidem vindicant, peritoneo exterius eidem obtenso ortum suum debet. Distingvit eam, more recentiorum anatomicorum, in *cervicem* & *fundum*, quarum partium illa musculo sphinctere est munita, ne invitis urina egrediatur, sed tamdiu retineatur, donec eam excernendi necessitas incumbat animali. Vesicam (ccc) foeminarum breviorem, sed latiorem virili cervicem obtinere, recte notavit.

§. XC.

Restant partes genitales utriusque sexus; Cum que uterus foeminarum praecipuum sit organon, in quo foetus gestatur atque enutritur: Peculiarem tractatum de ejusdem dissectione reliquit *Galenus*. Sita est matrix inter vesicam urinariam & intestinum rectum. Magnitudo in omnibus non est eadem; In iis enim, quae nondum conceperunt, multo est minor, quam in iis, quae aliquoties peperêre. Figuram

 habet

(bbb) Libro VI. administr. anat. cap. 7. p. 183.
(ccc) Libro de dissectione matricis cap. 1. p. 215.

habet vesicae similem. Tenuibus quibusdam fibris intestino recto & vesicae, sed huic tamen pluribus adnectitur. Alligatur tamen etiam ossi sacro. Corpus ejus duabus constat tunicis opposito modo inter se adplicatis, quarum exterior nervosa, ea tamen natura utraeque, ut distendi & contrahi possint. Haec, nempe venosa, ab interiori parte satis aspera est, praecipue ad fundum; Altera vero, quae huic adjacet, nervosa vesicae tunica longe crassior, multisque venis & arteriis intercepta est. Arterias nanciscitur ab arteria magna, venas vero a vena cava. Praeterea distingvit eam in *cervicem* & *fundum*; Illi adscribit substantiam musculosam, carne dura & *cartilaginea* constantem, eique foramen inesse credidit, per quod foemina & menstrua sua expurget & maris genituram excipiat. Testes mulierum a lateribus matricis siti sunt, utrinque alter juxta cornua, magnitudine tamen virilibus longe minores, forma itidem & habitu multum diversi. Verum haec omnia ad eam ἀκρίβειαν, quam in anatome partium genitalium muliebrium conspiciendam praebuêre recentiores, non accedunt.

§. XCI.

Idem plane judicium de partium genitalium virilium anatome ferendum est. Quae exterius in conspectum prodeunt, sunt membrum virile & scrotum una cum testiculis vasisque intus conclusis. (ddd) Testiculi virorum propria membrana sunt circumdati, quam *darton* appellat, deinde etiam *elytbroide*, i. e. vaginali ac denique scroto, quibus omnibus testes foeminarum destituuntur. (eee) Paucissimi nervi, secundum *Galeni* placitum, per testiculos aeque ac scrotum

(ddd) Ibidem cap. 9. p. 217.
(eee) Libro XIV. cap. 13. p. 418. de usu partium C. H.

ſcrotum diſtribuuntur; Quia neque ad ſenſum exactiorem neque ad motum voluntarium exercendum pluribus opus fuit; Cum contra virga maris atque aliae ad pudendum virile pertinentes partes, ſenſum quendam exactiorem, ob coitum venereum, plures nervos fuerint adeptae. (fff) Virgam, dicit, oriri ex ſuperioribus oſſium pubis partibus (ggg) Corpus membri virilis conſtructum eſt ex partibus nervoſis atque cavernoſis, ut ſpiritu repleri ſicque tendi ac rigidum evadere poſſit; Proinde aliam ſui ſtructuram neque potuit neque debuit obtinere, quam praedictam & quidem non ſolius coitus cauſſa, ſed quo, meatu diducto ac directo, ſemen quam longiſſime ejacularetur maſculus, cum foemella coitum exercens. Vaſa teſticulorum ſunt una arteria & una vena, quorum *illa* ex trunco arteriae magnae deſcendente oritur, *haec* vero in venam emulgentem ſiniſtram inſeritur.

§. XCII.

Relicto *abdomine* ad *thoracem* progredimur, quam utramque cavitatem *diaphragma* diſtingvere, rectius *Hippocrate* agnovit *Galenus*. Nec (hhh) ſtructura ejus incognita ipſi fuit; Differre enim ab omnibus aliis muſculis non modo figura, verum etiam ſitu & actione; Rotundam eſſe ipſius figuram, ſitum vero obliqvum partibusque anterioribus ac ſuperioribus ad pectorale os pertingere, inde autem retro ſemper ac deorſum ferri, donec ſpinam contingat, cui etiam ad lumbum coälescit, ſatis perſpexit. Praeterea mediam ejus partem (iii) nervoſam eſſe & nervos ſuos a ſpinali medulla colli

(fff) Libr. XV. cap. 2. p. 421. de uſu partium C. H.
(ggg) Ibid. cap. 2. & 3. p. 421.
(hhh) Ibid. libr. XIV. cap. 5. p. 401.
(iii) Libr. VIII. adminiſtr. anat.

colli recipere, peripheriam vero carnoſam ſeu muſculoſam eſſe, recte obſervat.

§. XCIII.

Aperto thorace utrumque latus ſive coſtae interius membrana ſat valida, quam *Galenus* ſimpliciter *membranam* ſuccingentem adpellat, tanquam amiculo tectae conſpiciuntur. Et quamvis pleuritidis multis locis mentionem fecerit, pleurae tamen nomen ipſum adhibuiſſe, non legitur. Eodem modo, ſicuti membranas in duas cavitates thoraracem diſtingventes διαφραττοντες h. e. ſeparantes vocat, quibus hodie mediaſtini nomen ab anatomicis impoſitum eſt. Pleurae ſoboles eſt, ſuaque duplicatura cavitatem thoracis dextram a ſiniſtra diſtingvit.

§. XCIV.

Duo intra ſeſe continet viſcera, nobiliſſimis functionibus dicata, cor nempe una cum pulmonibus. Cordi, quo nomine veteres etiam os ventriculi ſuperius indigitarunt, carneam ac duram adſcripſit ſubſtantiam, ex multiplicibus quidem fibris conflatam, ut muſculis perſimilis videri poſſit, quae tamen ab ipſis diſcrepet perſpicue. Ordinem ac ſeriem fibrarum, prout *Lowerus* eas delineavit, adcurate evolviſſe non videtur. Cor praeterea originem arteriarum praebere & compoſiti motus, quem pulſum vocamus, auctorem eſſe, itidem adſeruit. Et, ne ſenſu omni deſtitueretur, quamvis exquiſitum ei non competere, omnes nôrint, ſuos quoque (kkk) nervos accepit, licet exiguos, qui tamen non in cor ipſum, ſed in pericardium inſerantur, majoribus tamen animalibus exceptis. Quo vero in ipſum dividantur modo, id ſenſu perſpicue dignoſci non poſſe, ultro fatetur.

§. XCV.

(kkk) Libro VI. cap. 18. p. 310. de uſu partium C. H.

§. XCV.

Agnovit insuper duos cordis sinus seu ventriculos. Figuram ei coniformem vindicat. (lll) Valvulas quoque cordis, quas membranas adpellitat, & quarum aliae intro progrediantur, aliae vero foras vergant, conspexit. Et in *vena* quidem *arteriosa* membranas tres intus foras spectantes consideravit, quas, qui anatomas adcuratius pertractaverint, a figura litterae σιγμα vocant σιγοειδεῖς. Aliud vero *arteriae venosae*, quam in pulmonem distribui credit, orificium, duarum membranarum foris-intro spectantium habet epiphysin, quarum figuram nemo anatomicorum virorum cuipiam rei cognitae adsimilare est adgressus. Neque enim, qui τριγλοχῖνας denominaverunt, a figura cujusque, sed a mutua inter sese ipsarum compositione nomen imposuerunt. Etenim ipsarum inter se compositio cuspidum telorum eminentiis atq; angulis, quos γλωχῖνας Graeci adpellant, penitus est similis.

§. XCVI.

De (mmm) auriculis cordis, quas epiphyses nervosas & cavas, ante orificia constitutas dixit, id praedicavit, quod non modo peculiarem naturae substantiam fuerint sortitae, quae in nulla alia habeatur particula, verum quod etiam laxae reliquo tempore sint & idcirco concavae; Cum vero cor dilatatur, quo modo membranae tendantur ac contrahantur, ob idq; ipsum materias ex seipsis expressas cordi praemittant. (nnn) Situm cordis, si thoracem spectemus, supra septum in media fere parte collocavit *Galenus*; Basis enim ejus medio prorsus totius thoracis sita est loco, mucro vero inferiorq;

M pars

(lll) ibid. cap. 14. p. 306.
(mmm) ibidem cap. 15. p. 307.
(nnn) Libr. II. de Hippoc. & Platon. decretis cap. 4. p. 472.

pars tantum protenditur, quantum cordis magnitudo occupat ſpatii. (ooo) Pulmones eidem quidem undique circumfundi, ſuis lobis ceu digitis quibusdam in orbem ipſum complectentes, utrisque vero circumdatum eſſe thoracem.

XCVII.

Tranſitum nunc facimus ad alterum thoracis viſcus, nempe pulmonem, de quo *Galenus* ita docuit: Eum extrinſecus membrana quadam veſtiri, quae in peripnevmonia haud raro adficiatur. (ppp) Subſtantiam ejus raram, laxam & mollem eſſe, ac, more hepatis, vaſis quam plurimis quaſi contextam, quorum intervalla carne molli inſtar ſtoebes cujusdam oppleantur. Nullum per proprium pulmonis corpus diſperſum eſſe (qqq) nervum, idque pulmoni admodum conducere, procul dubio, ut ſenſus minus exquiſiti capax eſſet; Duos tamen perquam tenues nervos a ſexta cerebri conjugatione ortos, recipere extrinſecus, per membranam ipſum ambientem quaſi diſſeminatos, idem *Galenus* auctor eſt; Pulmonem tribus conſtare (rrr) vaſis, corpus ejus contexentibus, una vena, duabus arteriis, & ad tracheas totum attrahi ſpiritum. Et arterias quidem pulmonum (sss) raras eſſe factas, venas vero denſas. Loquitur etiam de (ttt) lobis pulmonum, & eorundem quinque numero

(ooo) Libr. VI. cap. 7. p. 298. de uſu partium C. H.
(ppp) ibid. Libr. VII. cap. 2. p. 313.
(qqq) Libr. II. de loc. affectis p. 17. & L. IV. p. 52.
(rrr) Libr. VII. cap. 9. p. 313. de uſu partium C. H.
(sss) Loco proxime allegato lib. VI. p. 305.
(ttt) *Dum thorax dilatatur*, inquit, *aliam quidem ejus capacitatem ſuperior complet lobus; Quam vero illius partem obliquam & anguſtam coſtae ſpuriae inferne circumſcribunt ac terminant, eam alius*

mero esse statuit; Magnam tamen eorum diversitatem in animalibus obtinere, sponte agnoscit. Quinto illorum hunc specialem vindicat usum, quod venae cavae stabiliendae gratia factus sit.

§. XCVIII.

De (uuu) trachea seu aspera arteria, cujus summas partes λαριγγα vocant, ita docet; Eam ex substantia cartilaginea esse constructam, quae tota in exactam circuli circumferentiam sit contorta, ut ejus pars convexa extra promineat, intus vero sit concava; Circulos hos ligamentis membranosis fortibus connexos esse; Partem tracheae, subjectum oesophagum contacturam, non amplius cartilaginosam, ac proinde imperfectum quadantenus esse circulum figuramque litterae) unamquamque referre cartilaginem; Unde σιγμοειδεις adpellatas esse conjicit: Exterius tectam esse membrana quadam, quae veluti indumentum quoddam atque amiculum totius arteriae sit considerandum. Hanc ipsam arteriam asperam, ubi claves praetergressa in thoracis cavitatem pervenerit, dividi & in omnem pulmonis partem ferri, inque omnes ejus lobos distribui; Non tamen discedere a natura, quam superna parte obtinet, neque ulla in re dissidere, aut variare soboles ejus omnes, sed similiter omnes cartilagines σιγμοειδεις, membranosis ligamentis contentas usque ad extremos visceris lobos conservari; Idque solum in pulmone

 vas

praelongus occupat. Atque hac quidem ratione duo utraque parte magni existunt lobi, quintus vero ille parvus in dextris venae cavae gratia a transverso septo usque ad cordis aurem pertingit.

(uuu) Totam hanc asperae arteriae una cum omnibus ac singulis ejus partibus descriptionem ex Libr. VII. de usu partium C. H. mutuo accepimus & ipsissimis *Galeni* verbis, quantum res ipsa tulit, expressimus.

vas ſanguine omnino vacuum eſſe. Poſthaec ſingularis hujus conſtructionis rationes redduntur. Laryngem ſeu bronchi caput ex tribus magnis cartilaginibus, nihil neque figura neque magnitudine iis, quae aſperae inſunt, ſimilibus conſtare. Anteriorem eſſe maximam, extrinſecus convexam, intus vero concavam, ſcuto maxime ſimilem, a cujus ſimilitudine θυρεοειδης, i. e. ſcutiformis nomen ſit impoſitum. In cartilagine, cricoide dicta, demonſtravit capitula, ſicuti in arytenoide ſinus oſtendit, & per haec utramque cartilaginem articulatione admodum mobili invicem committi animadvertit, idque forte primus, cum nec ab antiquis, qui quippe aetatem non tulerunt, nec recentioribus articulatio iſta adcurate deſcripta legatur. Tertiam cartilaginem in anguſtum valde deſinere, cujus oram ſuperiorem arytenoiden anatomici vocant.

§. XCIX

His ita praemiſſis agit de muſculis eorundemque numero & origine, & quo inprimis modo aperiant claudantque larynga; Haec vero omnia, quae ad laryngis conſtructionem pertinent, ignorata eſſe a viris anatomicis, quae ipſum aetate praeceſſerunt, audacter ſcribit. Dictis muſculis nervi, quos *recurrentes* dicunt, pro motu eorum praeſtando, inſeruntur; Quos, an *Ruffus Epheſius*, uti nonnulli exiſtimant, jam viderit, alibi diſcuſſimus. Id vero dubio omni carere videtur, quod *glottidem* ejusque ligamenta, praecipuum vocis organon, primus detexerit *Galenus*. Ut enim vocem edat animal, indigere, vult ille, tranſitu ſpiritus (aëris) anguſtiore, ſed qui paullatim ex amplo ad ſtrictius tendat, paulatimque rurſus ex ſtrictiore amplificetur; Id quod, ſecundum *Galeni* ſententiam, penitus efficit corpus id, quod

γλοττιδα

γλοττιδα, i. e. lingulam, & γλοτταν, i. e. lingvam laryngis ipſe nominat. Denique nec glandulas laryngi adjacentes deſcribere neglexit, quas, ut ipſe loqui amat, laxiores ſemper & fungoſiores reperias, eum in uſum a natura factas, ut partes omnes, quae tum ad laryngem, tum ad fauces attinent, humore perfunderentur.

§. C.

Thoraci exterius incumbunt mammae, quem ſitum in foemina omnium aptiſſimum eſſe *Galenus* judicat; Neque enim de poſitione uberum in brutis ſollicitus eſt, cum ſolius hominis mammas exponere ipſi ſit propoſitum. Unde incidenter liquet, quanta injuria eundem adficiant, qui ſolas beſtias ipſum ſecuiſſe comminiſcuntur, quos *Douglaſſius* refutavit. Subſtantiam earundem credit eſſe (www) glanduloſam, quae etiam ſecretioni lactis apprime convenit. Mammas praeterea ſuas habere arterias & venas, hasque cum (xxx) utero, imo & cum teſticulis tacitam fovere communionem, ipſe quoque *Galenus* auctor eſt.

§. CI.

Ad ſupremum ventrem, nempe caput, in anatomes *Galenicae* brevi delineatione devoluti, praecipua tantum momenta recenſebimus; Unde tamen ſufficienter patebit, haud perfunctorie in illius anatome *noſtrum* eſſe verſatum. Obſervat itaque, oſſibus calvariae remotis, in conſpectum prodire (yyy) membranam, quae cerebrum

 in

(www) Libro VII. cap. 22. p. 328. de uſu partium C. H.

(xxx) de venarum arteriarumque diſſectione p. 115.

(yyy) Petita haec ſunt ex fragmento Libri IX. de *anatomicis adminiſtrationibus*, quo cerebri diſſectionem, admodum tamen imperfectam complexus eſt *Galenus*, cum reliquum *noni* una

in orbem contegit, duram sive cuticularem, & alteram sub ea, tenuem mollemque. Meningum vocabulo, quo anatomici hodie utuntur, ideo abstinet, quod veteres non hasce solum membranas, sed & omnes reliquas vocitarent meninges; Id quod ex *Hippocratis* & *Dioclis* monimentis constaret, quorum & *Marinus* in opere anatomico fecerit mentionem. Memorat praeterea varias cerebri partes, corpus callosum, plexum choroiden, conarion, corpus psallioides, ob fornicis similitudinem ita adpellatum, nates cerebri & corpus vermiforme. Cerebri ventriculos quatuor agnovit, duos nempe anticos & duos posticos. Descriptio substantiae cerebri, dum mollem & humiditatis ratione adipi proximam dixit eandem, magna imperfectione laborat. In vertice cerebri duas invicem congredi venas existimavit; Quam regionem *Herophilus* a torcularis similitudine (zzz) *lenon* vocavit. Idem quoque constituit principium & originem (1) nervorum, illorum nempe instrumentorum, quae sensum motumque voluntarium per omnia animalis membra diducunt; Ac proinde vehementer redarguit *Pelopem*, eumque incredibilis absurditatis reum agit, qui non tam nervorum, quam (2) venarum potius & arteriarum principium illud constituit. Molem cerebri humani maximam esse, quomodo intelligendum sit, contra *Lycum* disputat.

§. CII.

Observat praeterea *Galenus*, (3) corpus cerebri per omnia

---

cum *decimo*, *undecimo*, *duodecimo*, *decimo tertio*, *quarto* & *quinto* ipsis in exemplaribus graecis desiderentur.

(zzz) Libr. IX. administr. anat. p. 207.

(1) Libr. III. de Hipp. & Plat. decretis p. 491.

(2) Libr. VI. de Hipp. & Plat. decretis p. 528.

(3) Libr. IX. de usu partium C. H. p. 348.

omnia sibi simile non esse, sed partibus anterioribus, ubi incipit, molle, inde vero semper magis ac magis seipso durum effici. Qua porro parte spinali medullae conjungitur, ibi reliquis sui partibus esse durius; Quo loco & spinalis medulla, quam aliis sui partibus sit mollior; Paullatim autem hanc quoque, quo magis deorsum progreditur, eo effici duriorem.

§. CIII.

In postica capitis parte situm est *cerebellum*, *ἐγκρανιον* dictum, quod mediante (4) meninge dura ibi duplicata a cerebro ipso sejungitur. Substantia ejus cerebro longe durior est, ea potissimum parte, qua spinali medullae continuatur.

§. CIV.

Cumque *cerebelli* hujus quaedam continuatio sit *spinalis* medulla, de (5) ea disquirit primum *Galenus*, cur crassitiem ejus inaequalem? Et cur tenuem magis ac magis atque angustam partibus infernis natura fecerit? Cujus conformationis rationem haud improbabilem is allegavit. Extitit vero imo existere debuit, ut nervi, omnes partes, quae sunt sub capite, moturi, distribuerentur. Adserit porro; (6) Spinalem

(4) Libro IX. cap. 5. p. 345. ubi sic loquitur *Galenus*: *Cum ibi crassa meninx esset, etiam tunicam non putavit esse comparandam* (*natura*) *cum posset haec certe duplicari atque in seipsam mediam venas recipere. Num igitur id solum factum ab ipsa est ingeniose? An hoc etiam adhuc artificiosius? Quod duplicationem istam non ad hanc unam rem fecit utilem: Sed cum a cerebello cerebrum sejungi oporteret, in eo potissimum loco constituit, ubi simul quidem via vasis tuta esset futura, simul autem utraque sui parte, altera quidem cerebrum, altera vero cerebellum esset compelexura.*

(5) Libro XII. cap. 15. p. 394. de usu partium C. H.

(6) Loco proxime citato.

nalem medullam cerni totam in nervorum propagines, quarum octo & quinquaginta numerat, consumi, non aliter, quam arboris truncus in ramos quam plurimos. (7) Loca, unde nervi emergunt, undique tuta esse profitetur, ad securitatem comparata, quia spondylis spinae sint circumdati, ut nervi non premantur, neque contundantur, neque rumpantur. Addit denique, spinalis medullae (8) tuniculas duas membranam exterius ambire.

§. CV.

Nervos quod attinet, (9) septem conjugationes seu paria recenset, quae ex cerebro & cerebello suam derivant originem, quorumque distributiones per partes & organa, ad quae tendunt, describuntur. Primum par ei *opticum* audit seu *visorium*, circa magnas eminentias, quae anteriorum cerebri ventriculorum latera claudunt & *thalami nervorum opticorum* vocantur, exortum. *Alteram conjugationem* musculis oculos moventibus inseri & per illos distribui, ait, unde *oculorum motorii* vocantur hi nervi. *Tertiam conjugationem* per lingvam disseminari, ceu organon gustus: Unde *gustatorii* adpellantur. *Quartam conjugationem* ex eodem cum tertia foramine prodire credit, praecedenti duriorem ac minorem esse & per palatum distribui sicque partem organi gustus constituere. *Quintam conjugationem* a *Marino* sic dictam ita describit *Galenus*: Eam quidem ex una exquisite radice non exurgere, sed manifeste duplicem esse, & ad aurem tendere auditumque excitare; Unde etiam par *nervorum auditoriorum* dicitur. *Sextum par*

(7) Ibidem.

(8) Libro de ossibus ad tyrones cap. 8. p. 82.

(9) Universam hanc descriptionem nervorum ex capite prodeuntium ex *Galeni* libro de *nervorum dissectione ad tyrones* a primo capite ad octavum usque mutuati sumus.

par ſecundum *Galenicam* recenſionem in plurimos dividitur ramos, qui deinde per ventriculum, inteſtina & meſenterium, renes aliaque viſcera diſſeminantur. Poſtremum & *ſeptimum par* cum potiores ſuos ramos lingvae communicet, ad varios motus producendos, non injuria *lingvae motorium* vocatur.

§. CVI.

Recenſitis nervis ex cerebro prodeuntibus, progredimur ad recenſionem *Galenicam* nervorum (10) ex ſpinali medulla ortum ſuum derivantium; Qua in ſerie occurrunt primum conjugationes, quae ex vertebris colli, deinde quae ex vertebris thoracis, ac tandem, quae ex lumborum, oſſis ſacri & coccygis vertebris exurgunt, & per omnes corporis partes, quae ſunt ſub capite, diſtribuuntur, ad ſenſum & motum illis communicandum.

§. CVII.

Reſtat, ut ad organa ſenſuum externorum, oculos, aures, naſum, lingvam ipſumque tactus inſtrumentum pedem promoveamus, viſuri adhuc, quam de eorundem fabrica atq; ſtructura, quatenus anatomen ſpectat, deſcriptionem, *Galenus* nobis reliquerit? Quatenus, inquam, anatomen ſpectat; Nam de ſingulorum horum organorum uſu & actione hic agere velle, extra ſphaeram noſtram foret; Cum ad oeconomiae animalis explicationem rectius pertineant.

§. CVIII.

Dicendi igitur initium ſubminiſtrat nobis (11) oculus, cu-

N

(10) Petita haec ſunt ex libro paullo ante allegato & quidem a cap. 11. ad 17. usque.

(11) Fabricam oculi prolixe deſcriptam ſiſtit *Galenus* integro Libro X. de uſu partium C. H. p. 354. 355. & ſequent.

lus, cujus fabricam partesque tam interiores quam exteriores sic satis adcurate describit, nec obliviscitur modi, quo visionis actum administrari contendit, adjecta etiam figura, ut distinctius & facilius comprehenderetur. Humores oculorum tres agnoscit, *vitreum*, *crystallinum* & *aqueum*, cui etiam substantiam spirituosam jungit. Tunicas vero seu membranas ad septenarium reducit numerum, quarum primam ἀμφιβληϛρωιδῆν seu *retiformem* vocat, ideo quod retis similitudinem habere ipsi videtur. Altera est *arachnoides*, ob subtilitatem ac tenuitatem, aranearum telae haud absimilem *Galeno* ita adpellata. Succedit *tertia*, quam *choroidem* vocat, quamque pro sobole tenuis meningis agnoscit, quae, licet reliquis fortior sit, vix tamen satis virium obtinere existimat ad seipsam tuendam, cum nec circumjacentium ossium duritiem citra noxam ferre potuerit; Unde infert, necesse fuisse, ut a crassae meningis tunica investiretur, quae proinde ordine *quarta* est. *Quinta*, secundum *Galeni* mentem, subjectis omnibus commoditatem praestat haud spernendam, tum ne a circumjacentibus ossibus adficiantur, tum etiam, ne in vehementissimis motibus aliquo tempore a sese abrumpantur. *Sextam* in duram tunicam vult esse insertam, in qua sint musculorum, oculos moventium aponevroses. *Septimam* praeter has omnes, omnino aliam esse contendit, periostei scil. insertionem, quae simul quidem totum oculum cum ossibus colligaret, simul autem & moventes ipsum musculos operiret. Et hanc membranam, addit ulterius, usque adeo conspicuam esse, ut etiam ante anatomen sese sistat, albam, cujusmodi nempe cernatur, desinentem vero in circulo, ubi & omnes aliae subjectae sint, & ubi album nigro conjungatur. Quem locum rerum periti *iridem*, alii vero *coronam* adpellitent.

§. CIX.

§. CIX.

De palpebra inferiore ſermonem inſtituens, in genere confitetur, ſe muſculum majoris oculorum canthi, ab aliis animadverſum, nunquam vidiſſe. Imo de exiſtentia ejus dubitaſſe *Galenum*, inde colligi licet, quod in αἰγιλώπων curatione chirurgica non modo abſcindatur plerumque, verum etiam totus locus ſic aduratur, ut non nunquam ſquamae a ſubjectis oſſibus abſcedant, cum interea palpebra ad motum ſuum expediendum, nihil prorſus impediatur. Cumque motum habeant oculi voluntarium, eumque a muſculis mutuentur: Hinc (12) quatuor diſtinctos adſcripſit illis motus, unum, quo intro verſus nares adducantur, alium, quo extra verſus parvum angulum abducantur, tertium, quo ſurſum verſus ſupercilia attollantur, & quartum, quo deorſum verſus malas trahantur: Inde vero infert, conſentaneum fuiſſe, ut muſculi, motuum illorum duces, totidem quoque numero fuerint, & duo quidem a lateribus, alter ſcil. in altero angulo, aliique duo, quorum unus infernus, alter ſupernus. Cum vero etiam oculum circumagi, eſſet melius, naturam, exiſtimat, duos alios poſitione obliquos effeciſſe muſculos, ſingulos in ſingulis palpebris verſus minorem angulum ſupra & infra extenſos; Atque horum muſculorum beneficio, oculum maxime quaquaverſum prompte circumagi ac circumverti, haud abs ratione ſibi perſuadet.

§. CX.

Organon auditus, nimirum aurem ejusque fabricam ſuperficialiter admodum & imperfecte deſcriptum reliquit. Subſtantiam illi tribuit cartilaginoſam; Quam etiam ob

 cauſſam

(12) Libro mox citato cap. 9.

caussam nihil omnino in hominibus moveantur, aut exiguum quendam & valde obscurum habeant motum; Cum contra in quibusdam animalibus, equis v. g. asinis &c. aures sint mobiles atque versatiles, easque semper circumagere ac vertere ad sonos & voces soleant, cum usum harum partium ita a natura haec animalia sint edocta. Figuram extrinsecus convexam, intrinsecus vero concavam habere aures, ideo factum esse putat, ne quid in meatum incideret, neve ipsae facile adficerentur. (13) Os petrosum flexibus obliquis instar labyrinthi propterea esse pertusum, quod frigidi aëris vires integras flexuum varietate sensim exolveret, aliorum vero corporum exiguorum impetum longe ante propulsaret. Quid de nervorum auditoriorum distributione senserit *Galenus*, superius jam dictum est.

§. CXI.

De odoratus instrumento peculiari libello egit *noster.* Interea operose probare contendit, odoratus organon nec nasum, nec interiorem ejus tunicam, nec aliam quamvis narium partem esse, sed in anterioribus cerebri ventriculis sensum odoratus fieri ac perpetrari. Notat insuper, inter odoratum & gustum quendam esse consensum; Qui vel inde patere potest, quod adfecto uno plerumque alter simul adficitur.

§. CXII.

Ad linguam, ceu gustus instrumentum, duplicis generis nervos, alios *duros* & alios *molles*, vult derivari; Illos motui linguae inservire, hos vero tunicae seu membranae nervosae linguae inseri, cujus ope animal sapores percipiat & distingvat. Et cum sine humido linguae sufficienti sapores fieri ne-

(13) Libro VIII. cap. 6. p. 334. de usu partium C. H.

ri nequeant, duas radici linguae glandulas, salivam in os derivantes, adpositas esse existimat.

§. CXIII.

In instrumento tactus definiendo admodum inconstanter se gerit; Modo enim membranis, modo nervis per partes distributis sensum tactus vindicat; Quam opinandi inconstantiam suo loco relinquimus.

§. CXIV

Reliquit denique *Galenus* fragmentum quoddam de *vocalium instrumentorum dissectione*, in quo caussam, materiam, locum & modum vocis determinavit. Vocem & sermonem ceu res inter se mutuo distinctas merito considerat, quia alia sunt organa formandae voci, alia loquelae inservientia. Instrumentum vocis esse laryngem, operose demonstrat. Postquam enim prolixe exposuit, ex pluribus simul & sibi mutuo adplicatis cartilaginibus laryngem efformari, mox subjicit, vocem in larynge effici & plurimum dilatari atque comprimi, aperiri & claudi exacte nonnunquam supremum ejus orificium. Praeterea explicat, quod & quale (14) symptoma animalibus eveniat, fibris intercostalium musculorum sectis.

(14) Locus integer Libro VIII. cap. 3. p. 199. de anat. administrationibus ita legitur: *Incisa*, inquit Galenus, *linea notabili per membranam costas succingentem in quorumq; intercostali, animal semispirans protenus & semivocale redditur. Si autem in altera thoracis parte aeque secta fuerit, spiratio & vox aboletur; Quemadmodum etiam, in contractione thoracis inaniti, per sectiones aëre extrinsecus illapso, eos obturaveris, respirabit confestim animal vocemque emittet. Quod autem utrisque fibris sectis* (ita enim paullo post pergit) *in omnibus musculis intercostalibus, non vox modo, sed & efflatio intereat*, id suum inventum esse profitetur; Ubi

§. CXV.

Scripta igitur anatomici argumenti, quae *Galenus* reliquit, ſunt libri adminiſtrationum anatomicarum, quarum priores novem adhuc ſuperſunt, poſteriores vero deſiderantur, quos in gratiam Böethi, Romanorum Conſulis, qui magno anatomicae ſpeculationis amore flagrabat, ſeſe confeciſſe, ait; Deinde libri ſeptendecim de uſu partium humani corporis, quos ſummis, & forte praeter rationem, extuliſſe laudibus *Conringium*, ſuperius memoravimus. Proſtat item liber de oſſibus ad tyrones, aliusq; de diſſectione muſculorum, & alius de diſſectione nervorum nec non de diſſectione venarum & arteriarum, itemque liber, in quo demonſtratur, arterias naturaliter ſanguinem continere, contra *Eraſiſtratum* ejusque aſſeclas, de anatomia matricis, de motu muſculorum, de formatione foetus, de ſemine & nonnulli alii. Monet inſuper hinc inde, ſeſe libros concinnaſſe de anatome *Hippocratis* & *Eraſiſtrati*, item alios de vivis reſecandis aliosque de incidendis mortuis, uti & ſynopſin librorum anatomicorum *Lyci* & *Marini*, qui omnes injuria temporum periêre, & quos interea, ſi integros haberemus, multis ſupervacuis diſceptationibus ſuperſedere poſſemus, anatomicen *Hippocratis* ejusdemque inventa concernentibus: Multi enim tam abſurdi ſunt, ut, quidquid hodie novi erudito orbi medico exponatur, ex textibus *Hippocraticis*, invito licet & reclamante ſenſu litterali, extorquere non vereantur.

§. CXVI.

---

haud injuria metuendum, ne, dum de propriis inventis loquitur *Galenus*, nauſeam moveat *Stollio*, cui quippe hoc ideo ſemper taedioſum eſt, quod propria laus ſordeat: Quaſi auctori cuidam id ſemper vitio vertendum ſit, ſi, quod invenit, vel primus obſervavit, ſibi etiam tribuat; Id quod, mea ſententia, citra propriae laudis adfectationem fieri omnino poteſt, imo tota die hodieque fieri, nemo ignorat.

§. CXVI.

Poſt *Galeni* tempora pauci Graecorum fuere, qui monimenta quaedam anatomica nobis reliquerunt, praeter *Soranum*, *Oribaſium*, *Meletium*, *Theophilum Protoſpatarium* & *Anonymum* quendam *Graecum*, qui tamen omnes, cum *Galeni* fidem dubiam vel ſuſpectam reddere auſi non fuerint, rem anatomicam nihil quicquam juvarunt vel promoverunt.

§. CXVII.

Soranus, Epheſius, methodicae haereſi, cui addictus erat, judicio Coelii Aureliani, ultimam veluti manum admovit. Erat autem acerrimus ſectator Theſſali Tralliani, quales tamen Galenus acriter perſtringit aſinosque vocare non erubeſcit. Vixit ſub Trajano & Adriano Imperatoribus Romanis, & primum Alexandriae, deinde vero Romae praxin medicam exercuit. Diſtinguendus eſt ab alio Sorano, pariter Epheſio, ſed qui priore junior eſt, atque de morbis mulierum Libr. IV. ſcripſit: Unde illius fragmentum eſſe videtur liber de utero pudendoque muliebri, qui Pariſiis graece impreſſus & cum libellis Ruffi Epheſii editus eſt.

§. CXVIII.

Aëtium, a patria *Amidenum* dictum, nonnulli *Oribaſio* coaevum fuiſſe exiſtimant, ſed *anatomica* ſuis in ſcriptis vix delibaſſe, uno ore fatentur omnes. Idemque de illo ſentit *Freindius*, nempe *anatomen* in prolixis ejus operibus penitus *eſſe omiſſam*.

§. CXIX.

Idem de *Alexandro* ferendum eſt judicium, qui quippe pariter *anatomen* fere intactam reliquit, magisque in parte artis medicae therapevtica occupatus fuit.

§. CXX.

§. CXX.

Paulus vero, *Aegineta* communiter adpellatus, qui sub *Honorii*, Romanorum imperatoris, regimine floruit, paucula, *anatomen* concernentia, libris septem *de re medica* conscriptis interspersit, v. g. de liene, musculo vesicae cervicem ambiente & pauca alia.

§. CXXI.

Spectat huc *Aretaeus*, Cappadox, de cujus aetate nihil licet constet certi; Id tamen certum est, *anatomes* non omnino ignarum illum fuisse: Disseruit enim de pulmonibus & membrana costas succingente. Renibus substantiam vindicavit glandulosam, & venae cavae extremitates capillares intra hepar venae portae osculis committi observavit.

CXXII.

Oribasius, Sardus vel Sardianus, aliis vero Pergamenus dictus, medicus graecus & Juliani apostatae, Imperatoris Romanorum archiater, quicquid de rebus anatomicis scripsit, omne ex Galeno hausit; Id quod tamen, judice *Freindio* in *Historia medicinae*, non impedit, quo minus ejus ope multa clarius in *Galeno*, tam ad anatomiam quam ad medicinam spectantia, intelligantur. Imo & in reliquis dogmatibus medicis ita Galenum sectatus est, ut nomen *simiae Galenicae per contemptum* inde reportaverit. Dico, *per contemptum*; Nemo enim facile gloriae sibi duxerit, alterius simia adpellari, nisi admodum absurdus fuerit adulator; Adulatore vero nullum hominum genus absurdius est & commiseratione dignius. Floruit sub Juliano, Valentiniano & Joviano, Imperatoribus Romanis circa annum Christi 330. & Juliano praecipue admodum familiaris fuit; unde & ab eodem quae-

Quaeſtor Conſtantinopolitanus conſtitutus eſt, ſuccedentium vero Principum invidia omnibus bonis privatus & in exilium miſſus, tandem vero revocatus eſt. Scripſit librum collectaneorum artis medicae, quo totius corporis anatome explicatur. *Freindius* tribuit (15) *Oribaſio* deſcriptionem glandularum ſalivalium.

§. CXXIII.

Graecis hiſce poſterioribus etiam accenſetur *Meletius* medicus atque philoſophus chriſtianus. Scripſit de natura ſtructuraque hominis opus, quod ex graeco in latinum vertit *Nicolaus Petrejus*, corcyraeus: Exemplar vero graecum in quibusdam bibliothecis Galliae adſervatur. Riolanus opus illud vocat *onomaſticon corporis humani*, quod in eo plurimorum nominum origines evolvantur, quae in etymologico magno graeco non reperiuntur.

§. CXXIV.

Verum abjectius de *Meletii* opere ſenſiſſe *Riolanum*, deprehendent, qui adcuratius illud perluſtrare, curae cordiq; habuerint. Praedictus *Petrejus*, qui latinitate donatum iſtud in publicum edidit, in epiſtola dedicatoria ad *Hieronymum Saulium*, Archiepiſcopum Genuenſem ac Bononiae legatum aliter de *Meletiano* opere ſenſit: *Noſtrum* nempe omnes antiquorum libros (ut ipſemet teſtatur) ſibi evolvendos propoſuiſſe, ut, quod in eorundem voluminibus ſparſim de homine comprehenſum nec abſolute explicatum eſſet, in unius operis ſeriem redigeret. Ab elementis ſcilicet mundi exorſum *Meletium*, ad corporis elementa progreſſum explicuiſſe, quo pacto hoc animal gignatur? alimentumq; ſumat? Ac

(15) Plura qui legere cupit, evolvat *Oribaſii* anatomiam, quae cum notis *Dundas* graece & latine in 4. 1734. prodiit.

quot vitales, naturalesque ac animales facultates, suas in ipso actiones ostendat? Tum etiam, priusquam corporis partes sigillatim explicare aggrediatur, perspicue declarasse, quomodo mens per sensus agat? Quod triplex animae facultas sit? Nec non, quot virtutes, quae principales appellantur, sint, quaeve virtutis ac vitiorum genera, quae ex ipsis proveniunt, habeantur? Simulque, quo pacto gaudium, tristitia, risus, lacrymae ac somnus constituantur? Ex quibus, plus utique praestitisse *Meletium*, quam solum *onomasticon* publico exhibuisse, clare constare potest.

§. CXXV.

Id quod ut tanto adhuc evidentius adpareat, totius operis indicem & argumentum ad ipsius *Auctoris* mentem hic exhibebimus; Praemissis enim quibusdam generalibus, disquirit ordine: Quot facultatibus homo praeditus sit? Agit deinde de partibus corporis tam similaribus quam dissimilaribus deque corporis humani divisione, speciatim vero de capite & ejus ossibus suturisque, ac qua de caussa caput tali appellatione censeatur, curve rotundum, non autem in longum porrectum sit, nec non quot nominibus nuncupetur? De cerebro & oculis, & quot tunicis ac humoribus hi consistant, & cur quidam albi, nonnulli vero nigri sint? De visibili spiritu & quaenam ipsius potentia sit? De naso & olfactibus, qui ejus ministerio proveniunt, & quonam pacto olfactus constituatur, & ubi desinat? De angulis oculi magnis parvisque; De mandibula superiore & inferiore; De auribus earumque substantia, & audibili sensu; De mento & genis; De facie, & cur sic appelletur, quaeve ex ipsa significatione eliciantur? De ore, & quae interiora ejus sunt, lingva ac dentibus, & de universis, quae in ipso existunt; De voce & quonam

nam pacto gignatur? De thoracis ſitu, de collo & ſpinae vertebris deque ſpina ipſa & de dorſi medulla; De coſtis, & quot homo praeditus ſit? De membrana, qua coſtae teguntur & de ſepto tranſverſo; De pulmone & corde, & quae utriusque actio & quonam pacto cor ſitum ſit, quaeve ejus figura; De ſtomacho & inteſtinis & quomodo appellentur & quae eorum actio, tum quonam pacto appetitus & concoctio fiant? De jecinore ejusque ſubſtantia & quae ejus actio facultasque habeatur? De liene, & qua figura praeditus ſit? De ventre ſuperiore & inferiore, de loco pubis, de oſſe, quod ſacrum nuncupatur, de podice, de teſtibus & penis glande & quae in ipſis corpora? De inguinibus; De manibus & oſſibus, quae in ipſis ſunt, & nominibus eorumque actionibus; De digitis, de foeminibus & acetabulari, deque crure ac poplite. Quae ſane omnia plus arguunt, quam ſolum *onomaſticon.*

§. CXXVI.

Nemeſii, qui *Gratiani* & *Theodoſii* aetate vixiſſe dicitur, mentionem hoc loco non feciſſem, niſi in *Jacobi Douglas* bibliographia anatomica legiſſem, *rationem circulationis ſanguinis*, eidem *dudum cognitam & verbis ſatis ſignificantibus adumbratam fuiſſe.* Quod adſertum uti famae *Harvaei* multum detrahit: Ita plenius merito examen ſibi expoſtulat; Id quod, ut hoc loco inſtituatur, longe alienum a ſcopo noſtro fuerit. Scripſit librum unum *de natura hominis.*

§. CXXVII.

Theophilus Protoſpatarius, medicus graecus huc quoqve pertinet. Edidit libros V. de fabrica humani corporis graece, quos latio donavit *Junius Paulus Craſſus*, *Patavinus.* In his occurrunt quaedam, qvae notitiam ejus in anatomicis minime

nime proletariam fuiſſe, evincunt qualia ſunt: Subſtantiam lingvae eſſe muſculoſam; Duos palpebrarum muſculos occluſioni, unum vero apertioni earum inſervire; Primum nervorum par ex primis cerebri ventriculis egredi & per nares diſtribui.

§. XXVIII.

Proſtat etiam anonymi graeci iſagoge anatomica, quam e bibliotheca regum Galliae munificentiſſime communicatam *Laurembergius*, medicus germanus, civitate latina donatam edidit.

§. CXXIX.

Haec vero omnia, quae hiſce graecis, quos vulgo *poſteriores* vocant, in re anatomica profecta ſunt, non magni admodum momenti exiſtunt, uti ex dictis abunde conſtat.

§. CXXX.

Neque vero praeclari quippiam a medicis *Arabibus*, ſupe ſtit oni inprimis *Mahometanae* addictis, ſperandum eſt, cujus quippe lege prohibebantur, ne corporis humani ſectionem adgrederentur. Et licet quidam illorum religionem chriſtianam profiterentur, atque adeo *anatomen* tractare, illis interdictum non eſſet: Nihiloſecius tamen, cum ab anteceſſorum, nempe graecorum veſtigiis vel latum ungvem recedere, religioni ſibi ducerent; Hinc artis incrementa non multum promovêrunt.

§. CXXXI.

Faciamus itaque periculum, viſuri, quid unus vel alter illorum praeſtiterit? De *Rhaſi*, Albubetri, cui ob multiplicia, quae fecit, experimenta, cognomen *experimentatoris* datum eſt, quique ſub *Almanſore*, rege *Cordubenſi*, ſecundum *Renatum*

natum Moreau, juxta alios vero ſub *Henrici IV.* imperio floruiſſe dicitur, *Jacobus Douglas* in *bibliographia anatomica* hoc ſincerum perhibet teſtimonium: Quod *anatomen* eleganti ordine comprehenderit, &, quicquid *Hippocrates* atque *Galenus* ſparſim multis in voluminibus tractarunt, ſuccincta enumeratione, pro ſtatu nempe *anatomes*, in quo tunc temporis fuit, complexus fuerit.

§. CXXXII.

De *Conſtantino*, Africano, nihil in operibus ejus occurrit, quod peritiam ejus *anatomicam* comprobet, niſi quod *ſtomachi* deſcriptionem aliquo in loco operum ſuorum exhibuerit, & de *natura humana* brevem commentarium reliquerit.

§. CXXXIII

At vero in *Albucaſae* ſcriptis non modo ſceleti, ſed & oculi humani una cum palpebris figura reperitur; Ut taceam, illum ſcientiae anatomicae utilitatem aeq; ac neceſſitatem ſatis agnoviſſe, qua quippe ad chirurgiam fructuoſe exercendam carere non potuit, quaeqve ad errores in praxi caute evitandos artificem quaſi communiat.

§. CXXXIV.

Similiter de *Abenſina*, ſeu, ut vulgo, corrupte licet, vocatur, *Avicenna*, notum eſt, quod *anatomica* quaedam v. g. de *nervis*, de *arteriis* & *venis*, itidemqve de *oſſibus* ac *muſculis* reliquis ſuis ſcriptis interſeruerit. Quibus & illud addimus, quod viſcerum, quorum morbos atque curationes tradidit, deſcriptionem *anatomicam* ubique praemiſerit, documento plane manifeſto, quod *anatomen* debito in honore ac pretio habuerit.

§. CXXXV.

Reliqui, qui ſuperſunt, arabes medici, de *anatome* ejusq; augmentis non admodum ſolliciti fuerunt; Atqve adeo ingens

gens

gens seculorum intervallum intercessit, ex quo res anatomica turpissime neglecta atque hinc omni suo splendore propemodum orbata fuit. Quamvis enim medici latino-barbari, qui a seculo decimo tertio ad decimum septimum vixere, non omni penitus laude defraudandi sint: Crudiorem tamen & rudiorem fuisse illorum anatomiam, peritis artis non est ignotum: Unde & illorum scriptorum jactura, quam litterati fecerunt, tantopere dolenda non est.

§. CXXXVI.

Solus *Mundini*, (16) Bononiensis, libellus ex isto aevo superest, ex quo de reliquis ferri potest judicium: (17) Populariter enim descripsit anatomiam, prout nempe in theatris anatomicis publicis demonstratur. Vixit circa annum 1305. & scripsit anatomen omnium membrorum interiorum humani corporis, quae postea cum *adnotationibus* & figuris prodiit. Errores tamen ejusdem varios detexit *Matthaeus Curtius*, quod tamen tanto minus vitio vertendum est *Mundino*, quia (18) primus

(16(*Douglas* in bibliogr. anat. p. 44. *Mediolanensem* ipsum vocat.

(17) Judicia auctorum de *Mundini* anatome varia sunt, quibusdam eandem laudantibus, aliis vero permulta in illa desiderantibus. *Nicolaus Massa* honorifice admodum de illo sensit, virumque in sectione celeberrimum vocat, sub quo anatome primum in Italia resurrexerit. *Conringius* introd. in art. med. cap. III. §. XXVIII. existimat: Eum *pro captu illius seculi* rem anatomicam *non nisi rudi modo tradidisse*; Quod suum judicium de anatomicis *Mundini* conatibus cap. IV. §. XIX. repetit additque, quod cum post natis nullo modo sint comparandi. A *Riolano* accusatur, quod methodo tantum populari anatomen suam consarcinaverit, & ex *Galeno* in usum scholarum exscripserit.

(18) Invenit hic iterum, quod carperet *Stollius*: Quod nempe §. XLIIX. historiae anatomes dixerim: Mundinum *scripsisse*

mus fuit, ſub cujus conatibus res anatomica in Italia reſurgere coepit, cum antea ingens & ſpisſiſſima barbaries univerſum orbem occupaſſet.

§. CXXXVII.

Ad eandem hanc aetatem pertinet *Bernardus Gordonius*, ſive de *Gordonio*, in cujus opere, *lilium medicinae* inſcripto, varia de *anatome oculorum*, de *auribus*, de *naribus*, de *partibus in ore*, de *partibus colli*, de *uſu uvulae*, de *voce*, *oeſophago*, *inteſtinis* & *ſplene* ſunt intermixta.

§. CXXXVIII.

Hujus quoque aetatis eſt *Guido de Cauliaco*, natione *Gallus*, & *Raymundi* in *monte peſſulano* diſcipulus, qui tamen ipſe poſtea in eadem hac academia artem medicam atque chirurgicam cum laude & adplauſu publico profeſſus eſt. Cumq; optime is intelligeret, *chirurgicen* ſine *anatomes* ſubſidio dextre exerceri non poſſe: Hinc in chirurgiae tractatu non modo de anatomia membrorum *communium*, *univerſalium* & *ſimplicium*

---

anatomen C. H. *cum figuris.* Praeterquam vero, quod verba quaedam in textu male omiſſa fuerint illaque hoc modo legi debuerint: *Scripſit anatomen omnium membrorum interiorum humani corporis*, quae poſtea cum adnotationibus & figuris prodiit: Id tantum miror, cur eundem hunc errorem, ſi pro tali haberi mereatur, *Schultzio* non pariter exprobraverit, qui anatomicis *Ariſtotelis* libris *figuras pictas fuiſſe* adjectas, ex crebris ad τα παραδειγματα, την διαγραφην, τα σχηματα remiſſionibus aeſtimat. Si autem *Ariſtotelis* aevo uſitatum jam fuit, *figuris* uti: Tanto probabilius fuerit, tempore *Mundini*, longe id uſitatius fuiſſe. Verum hac excuſatione nequidem opus eſt, cum nullibi dictum ſit, *figuras ligno vel aeri inciſas* anatomiae *Mundini* additas eſſe. Confer, quae §. LI. not. (ww) hac de re jam monita ſunt.

ſimplicium, ſed & de anatomia membrorum *propriorum*, *particularium* & *compoſitorum* egit.

§. CXXXIX.

Nonnulli *Richardum Anglicum*, ut nempe a *Pariſienſi* diſtingvatur, ad hanc quoqve aetatem referunt, qui circa annum 1336. vixiſſe dicitur. Scripſit librum unum de *anatomia*.

§. CXL.

Spectat hoc *Nicolaus Nicolas*, Florentinus, qui ſub *Wenceslao* & *Ruperto*, Romanorum Imperatoribus floruit. In *ſermonibus medicinalibus* anatomica quaedam occurrunt, v. g. de anatomia *arteriarum* & *nervorum*, de anatomia partium capitis contentivarum, ut & de anatomia partium externarum capitis eſſentialium contentivarum, de anatomia epiglottidis & canna pulmonis, nec non de anatomia cordis & panniculorum ac pectoris interiorum.

§. CXLI.

Jungimus huic *Mattheum de Gradibus*, qui in Gymnaſio *Ticinenſi* artem medicam publice profeſſus eſt. Anatomica ejus haec ſunt: De anatomia oculi, auris, naſi ac dentium; Porro de anatomia pectoris & pulmonis, itidemque de anatomia fellis ac ſplenis, inteſtinorum, renum ac veſicae, nec non de anatomia matricis.

§. CXLII.

Georgius Valla, Placentinus, ad hoc etiam ſeculum pertinet. Scripſit opuſculum de *humani corporis partibus*.

§. CXLIII.

Seculo decimo quarto medici pariter ſcientiam anatomicam non admodum locupletarunt: Nam praeter *Johannem de Concorreggio*, *Alexandrum Benedictum* & *Johannem de Karthan*

than non valde multi innotuere. *Johannes de Concorreggio*, Mediolanenſis, artem medicam in variis Italiae Academiis, potiſſimum Bononienſi ac Ticinenſi docuit, in qua ultima etiam anno 1438. vitam cum morte commutavit. Edidit varios tractatus anatomiam ſpectantes, nempe de diſpoſitionibus capitis & partium ejus, de diſpoſitionibus cordis, pectoris & partium ejus, de diſpoſitionibus ſtomachi, hepatis, ſplenis aliorumqve membrorum naturalium, de *diſpoſitionibus* membrorum genitalium, teſticulorum, matricis aliorumqve adnexorum.

§. CXLIV.

Alexander Benedictus, Veronenſis Italus, ſuo quoque jure inter anatomicos hujus temporis referri meretur, quia anatomicen, i. e. integram corporis humani hiſtoriam Lib. V. proſeqvutus eſt. Floruit A. C. 1495. imperante Maximiliano I. Romanorum Imperatore: Eximium enim ſuae aetatis medicorum decus in Italia fuit. Poſtquam addiſcendae artis ſuae gratia remotiſſimas gentes peregrinando viſitaverat, inde tandem reverſus, non ſolummodo in republica Venetorum praxin feliciter exercuit, verum etiam in Gymnaſio Patavino artem ſuam publice docuit. *Jacobus Douglas* in *bibliographia anat.* de illo adhuc commemorat, quod duo in foemellis foramina juxta urinae exitum obſervaverit, qvae quidem *orificia venarum eſſe* perperam ſtatuit, ex quibus vero humor magno in plerisque impetu, maſculorum more & longius quidem cum titillatione exiliat, qui tamen pro ſemine prolifico haberi neutiquam mereatur.

§. CXLV.

Habuit etiam non minorem famam circa finem hujus & initium ſeculi decimi quinti *Alexander Achillinus*, Bononi-

ensis, qui non tantum ipsemet edidit anatomiam corporis humani, quae anno 1521. prodiit Venetiis, verum etiam in anatomiam *Mundini* commentatus est, quae cum *Johannis de Ketham* praxi, fasciculus medicinae inscripta, prostat; Ut vel hanc ob rationem anatomicorum scriptorum numero eximendus non sit. Sunt tamen etiam, qui ossiculorum auditus, mallei nempe & incudis inventorem eum fuisse perhibent.

§. CXLVI.

Johannes de Karthan, alias *Kethan* vel *Johannes de Ketham* dictus, Alemannus, fuit tantum medicus empiricus, qui tamen valde inclaruit sub Alexandro VI. Pontifice Romano. Scripsit fasciculum medicinae, in quo praeter alia etiam tractat de membris generationis, de matrice & testiculis, de anatomia *Mundini*, & de anatomia *Achillini* aliisque.

§. CXLVII.

Ast seculo decimo quinto peritia anatomica altius evehi solidiusque excoli coepit, laudemque non exiguam sibi compararunt medici quidam Itali, ex quibus potissimum nominamus Jacobum Carpum, *Gabrielem* de *Zerbis*, *Nicolaum Massam*, *Matthaeum Curtium*, *Realdum Columbum*, *Petrum Matthiam Pinum*, *Bartholomaeum Eustachium*, *Gabrielem Fallopium*, *Bassianum Landum*, *Johannem Baptistam Cananum*, *Constantinum Varolium*, *Gabrielem Cuneum*, *Julium Caesarem Arantium*, *Archangelum Piccolhomineum*, *Fabricium Bartholetum*, *Casparem Tagliacoticum* aliosque, quos deinceps recensebimus.

§. CXLVIII.

Horum proinde omnium historiam ut paucis exhibeamus, a (19) *Jacobo Carpo*, Bononiensi, initium dicendi facere placet,

(19) Parum abest, quin pro impostore me habeat *Stollius*, imputando mihi, quod histor. anat. p. 45. & 47. *Jacobum Beren-*

placet, qui floruit circa annum 1522. & professionem chirurgicam simulque anatomicam in Academia Ticinensi sustinuit. Qualem se gesserit in studio anatomico, inde conjicere licet, quod de se ipsemet testetur, se aliquot annorum decursu plus quam centena cadavera dissecuisse. Quod vero homines vivos etiam dissecuerit, sicuti atrocissimum hoc crimen a nonnullis ipsi objicitur, vix mihi persvaderi patior. Tralatitium esse videtur, quod scribit *Fallopius libro de lue venerea*, eum nempe, *Jacobum Carpensem*, cum admodum infensus fuisset Hispanis, duos hujus nationis aegros, lue venerea laborantes, cepisse, vivosque anatomicis administrationibus destinasse, eamque ob causam in exilium relegatum,

 Ferrariae

---

garium & *Jacobum Carpum* pro duabus personis falso habuerim. Bis duobus locis unius ejusdemq; personae mentionem me fecisse, ingenue fateor: Pro duabus personis habuisse *Berengarium* & *Carpum* nego. Alias in *historia chirurgiae* p. 194. eundem sine dubio errorem commisissem. Verba loc. cit. haec sunt: Jacobus Berengarius, Carpensis, quem ideo Jacobum Carpum communiter vocant &c. Unde cordatus & passionum expers lector haud difficulter intelliget, me aeque bene ac forte melius *Stollio*, qui in sua introductione in artem medicam, *coadjutoribus* usus est, scivisse, Jacobum Berengarium & Jacobum Carpum unam eandemq; esse personam. Quid si vero idem eodem jure exprobrarem *Stollio*, quod duas distinctas personas inter sese mutuo confuderit, exemplo *Lithopædii Senonensis* & *Johannis Albosii*, quem deinde errorem, sine dubio monitus, in *præfatione* circa finem emendavit. Praeterea *Johannis Fernelii* librorum therapevtices universalis p. 708. & p. 727. atque adeo bis commeminit additque: *Se librorum horum superius mentionem facere debuisse*; Id quod tamen optima in forma jam fecerat. Videt itaque, memoriam admodum labilem esse, & longe facilius esse, *festucam* in alterius, quam *trabem* in suo oculo animadvertere.

Ferrariae mortuum esse. Anatomiam *Mundini* non solum commentariis, sed & adnotationibus amplissimis illustravit, textu ejusdem vero nitori restituto, in quo libro crudelem illam saevitiam homines vivos secandi vehementer execratur. Talia interim objecta ipsi sunt, ut magis invisus exosusque redderetur. Edidit quoque brevem isagogen in anatomiam corporis humani cum figuris anatomicis. Detectiones, quas fecit, primariae hae sunt: Divisiones in musculis abdominis, quas hodie *inscriptiones* vocant, habet pro chordis, contractionem eorum juvantibus; Adpendicem intestini coeci additamentum coli esse existimat. In utero unicam tantummodo concavitatem admittit. Glandulas sublinguales cum ductibus suis excretoriis similiter agnovit, itidemque lineam albam, quam ipse *centralem* adpellavit.

§. CXLIX.

Gabriel Zerbus sive *de Zerbis*, Veronensis, floruit circa finem seculi decimi quarti & initium decimi quinti, artisque anatomicae peritia sua tempestate clarus, in Academia Patavina medicinam publice professus est. Edidit non solummodo sigillatim anatomiam infantis, sed & conjunctim anatomiam totius corporis humani & singulorum illius membrorum. Habuit autem vitae suae exitum meritis suis plane difformem eumque miserrimum, quem *Bruno Seidelius* in scripto suo de morbis incurabilibus nobis reliquit; Eum nempe, cum ad satrapam quendam Turcicum in Illyrico vel Mysia propinqua curandum evocatus esset, eumqve a morbo suo liberare non potuisset, a satellitibus confossum & sic nefanda morte viventium coetu sublatum esse.

§. CL.

Nicolaus Massa, Venetus, Trincavellii coaevus, floruit

circa

circa annum 1560. vel juxta *Justi* chronologiam medicam anno 1522. Evulgavit anatomiae librum introductorium, in quo quam plurimas partes, actiones & utilitates H. C. manifestavit, quae a ceteris tam veteribus quam recentioribus praetermissa fuerant. *Conringius* eundem pariter reprehendit, quod opus ipsius anatomicum non solum ex *Galeno* maximam partem concinnatum, verum etiam barbaro stylo conscriptum sit; Id quod tamen vitio seculi, in quo vixit, tribuendum est. Caeterum multa quoque rem anatomicam concernentia comprehenduntur in epistolis ejusdem medicinalibus.

§. CLI.

Matthaeus Curtius, Ticinensis Italus, fuit medicus admodum celebris; Non enim solummodo in Academia Patavina & Bononiensi, sed & Florentiae atque Pisis artem suam partim exercuit, partim publice professus est, saepius quoque in aulam Pontificiam a Clemente VII. Romano Pontifice evocatus. Scripsit explicationem in anatomiam *Mundini* 27. chartis seu figuris, & obiit Ticini anno 1544.

§. CLII.

Potuissemus hic forte omittere *Michaëlem Columbum*, quippe qui inter scriptores anatomicos alio nomine non innotuit, nisi quod *Johannis Valverdae de Hamusco* anatomen C. H. ex hispanico in latinum sermonem transtulerit; Ast *Realdus Columbus*, Cremonensis, praestans fuit anatomicus, qui de re anatomica XV. libros scripsit. Ordo vero, quem in universo suo opere anatomico servavit *Columbus*, hic est: Primis *quatuor libris* agit de *ossibus* & *cartilaginibus*, cui tractationi subjungit dissertationem de *ligamentis*, particulis nempe ad unienda ossa compagemque ipsam ossium continen-

 dam

dam admodum necessariis, ne ex sede sua dimoveantur, & huc illuc dilabi temere possint; *Postremo* tractatum hunc concludit ea parte, in qua sceleti faciendi artem quandam haud inutilem commonstravit.

§. CLIII.

Libro quinto prolixam orditur tractationem de musculis, *sexto* de jecore & venis, *septimo* de corde & arteriis & *octavo* de cerebro ejusque membranis, de medulla spinali & nervis in universum agit; Libro *nono* prosequitur tractationem de glandulis, *decimo* agit de oculis, *undecimo* speciatim de uvula tonsillisque nec non de tunica vestiente nasum, palatum, os, oesophagum, ventriculum, intestina & asperam arteriam, de pulmone, pleura & mediastino, de oesophago, ventriculo & intestinis, de mesenterio & omento, de liene, vesicula fellis, renibus, vesica, peritonaeo, abdomine, de vasis seminariis, testibus, pene, utero & umbilico. *Libro duodecimo* de formatione foetus atque de situ infantis in utero disquiritur; *Decimo tertio* de integumentis corporis universalibus, cuticula, cute, pingvedine & membrana carnosa, deque pilis & periosteo disputatur; Tandemq, *duobus postremeis libris*, nempe *decimo quarto* & (20) *quinto* de viva

(20) Duos hic iterum errores sibi detexisse visus est *Stollius*; *Alterum*, quod in omnibus XV. *Columbi* libris, quos de re anatomica reliquit, ea tantum contineri crediderim, *quae in anatomicis raro conspiciuntur*. Alterum vero, quod LXX. chartis eos illustratos esse scripserim. Quoad *prius*, ipse, qui duas *diversas* editiones ante oculos habui, nunquam credidi, quod omnes *Columbi* libri ea tantum contineant, quae in anatomicis raro conspiciuntur; Verum ad postremum tantum, nempe XV. missis prioribus respexi, quem *Columbus* ipse sic inscripsit: *De iis, quae raro in anatome reperiuntur.* Quo-

viva ſectione iisque, quae in anatome raro conſpiciuntur, ſingulares obſervationes adnectuntur.

§. CLIV.

Succeſit *Veſalio*, magno ac celeberrimo ſui temporis anatomico, Patavio diſcedenti, ac deinde in Gymnaſio Romano anatomiam publice profeſſus eſt. Quamvis autem *Veſalio* magiſtro uſus ſit in anatomicis, eum tamen irritandi acerbiusq; vellicandi nullam occaſionem praetermiſit, eamq; ob cauſam non tantum ingrati hominis crimen ſibi accerſivit, ſed & a *Veſalio* itidem acerrime caſtigatus, ſimulque inſimulatus eſt, quod ſcientiae anatomicae ſatis peritus non fuerit. Caeterum *Columbo* huic, *Realdo*, tribuitur, quod eximiam methodum conficiendi ſceleti monſtraverit.

§. CLV.

Romae ex eodem, quod hic tractamus, ſtudio ingentem ſibi famam comparavit *Bartholomaeus Euſtachius*, Sancto-Severinus, dum non ſolummodo in ſectionibus brutorum animantium, ſed ipſorum quoque cadaverum humanorum diligentiſſimam Romae navavit operam. Non quidem integram partium H. C. hiſtoriam concinnavit; Attamen varias ſcientiae anatomicae partes ſibi evolvendas ſumpſit. Etenim de ſtructura & officio renum, de vena azygos, de organis auditus, de dentibus, examen oſſium, aliaque opuſcula anatomica ſcripſit.

§. CLVI.

ad *poſterius* vero, interpretationem, quam obtorto collo mihi obtrudit, non agnoſco. Quae enim quaeſo ſequela eſt: Sermonem §. LIX. hiſtor. anat. de *Mundini* anatome faciens, per *chartas* intellexi *figuras*; E. §. ſeq. per *chartas* ſimiliter intellexi *figuras*. Quilibet enim optimus ipſe eſt verborum ſuorum interpres.

§. CLVI.

Fuit *Eustachio* vivo fidus laborum socius *Petrus Matthaeus Pinus*, *Urbinas*, qui *opuscula* ejus *anatomica* Venetiis A. 1574. in 4to denuo edidit, sed partim autoris annotationibus ex *Hippocrate*, *Aristotele*, *Ephesio*, *Aretaeo*, *Galeno*, *Vesalio* aliisque, partim tabulis non nullis anatomicis, renum potissimum conformationem, tria auditus ossicula cum aliquo mallei musculo, brachii vasa sangvifera & dextrum cordis ventriculum dilucidantibus locupletata.

§. CLVII.

Cumque praeterea *Eustachius* capite *decimo sexto* libri de structura renum tabularum suarum anatomicarum, sex & quadraginta librique de dissensionibus & controversiis anatomicis mentionem fecisset, diu quidem utrumque desideratum est, donec *Lancisius* tabulas, apud *Rubeorum* familiam latentes, ex ejusdem *Pini* capsulis protraheret & publicae luci sisteret. Eorum, quorum *Eustachius* inventor vel saltem delineator exstitit, summa haec est: Glandulas renibus incumbentes, quas postea *Casserius* renes succenturiatos & *Thomas Bartholinus* capsulas atrabilarias & *Warthonus* glandulas ad plexum vocarunt, primus detexit. Meatum auris, a caverna tympani sive conchae in narium cavitatem latiori foramine desinentem, primus quoque investigavit, unde *tubae Eustachianae* titulo a plerisque insignitur. Invenit quoque tertium auditus ossiculum, quod *stapedem* adpellant. Primus itidem externum musculum, in majorem mallei apophysin terminatum, descripsit. Multi quoque rentur, in equis ductum thoracicum longe prius demonstrasse *Eustachium*, quam *Pecquetus* in canibus eundem ostenderet. Non minus veram renis humani conformationem internam exacte suppeditavit. Vesiculas

ſiculas item ſeminales & vaſorum deferentium cum illis conjunctionem & duos ſeminis in capite gallinaceo meatus perſpicue depicta primus exhibuit. Mutuas vaſorum meſeraicorum ad modum arcuum communicationes adcurate expreſſit. Occipitales muſculos primus pinxit, quos tamen *Fallopius* ab anatomicis praetermiſſos eſſe dixerat. Plures alias detectiones ab *Euſtachio* factas in adverſariis ſuis anatomicis primis memoravit Clar. *Morgagnius.*

§. CLVIII.

Ludovicus Bonaciolus, ſive, ut ab aliis ſcribitur, *Bonnaciolus*, Ferrarienſis, celebris magnaeque auctoritatis medicus ſua tempeſtate fuit. Edita ab ipſo eſt *enneas muliebris*, ad *Lucretiam*, *Ferrariae* Duciſſam, in cujus cap. 1. de uteri cujusque partium confectione agitur, & inter alia, anatomen uteri ſpectantia, occurrit etiam deſcriptio *nymphae* & *clitoridis*, quae pudendorum muliebrum partes uti ſua natura diſtinctae ſunt; Ita vitato errore veterum, qui promiſcue hiſce vocibus utebantur, eas ceu diſtinctas deſcripſit.

§. CLIX.

Non decet ſilentio praetermiſiſſe *Vidum Vidium*, Florentinum, qui non ſolummodo Lutetiis Pariſiorum artem medicam publice profeſſus eſt, ſed & practice exercuit: Unde in aulam regiam a Franciſco I. Galliarum Rege evocatus ibidemque archiatri munere laudabiliter perfunctus eſt: Hinc deinde perhonorificis conditionibus & ampliſſimo ſalario in Italiam invitatus, Piſis artem ſuam publice docuit, dictamque profeſſionem per integros 20. annos dexterrime exornavit. In artis medicinalis, quae Venetiis 1611. in fol. 3. tomis in publicum eſt emiſſa, tomo tertio Libri VII.

de anatome C. H. occurrunt, 78. tabulis aeri incisis illustrati & exornati. Et licet ingenue confiteatur auctor, se non pauca ab aliis mutuo accepisse, imo & figuras quasdam *Vesalianas* in ipsius opus tranlatas esse: Id tamen non impedit, quo minus labores ejus utilitate sua satis se commendent.

§. CLX.

Johannes Thomas Minadous, Rhodigii patre medico, *Johanne Baptista Minadoo* natus est, &, postquam sparta medici ordinarii in aula Ducis *Mantuani* aliquamdiu functus erat, professionem in *Academia Patavina* suscepit. Habuit disputationem de adaequato subjecto facultatis anatomicae.

§. CLXI.

Petrus Matthaeus Pinus, Urbinas, scripsit adnotationes in opuscula anatomica *Bartholomaei Eustachii* ex *Aristotele*, *Hippocrate*, *Galeno* aliisque auctoribus collectas, quae prodierunt Venetiis anno 1563. sicuti jam paulo ante a nobis relatum est.

§. CLXII.

Memoratur quoque *Parthenius* quidam incertae nationis (plures enim innotuere, & inter alios poëta Nicolaus hujus nominis) qui dialogos quasdam edidit de humani corporis sectione, personis interloquentibus *Platone* & *Harpago*, quae prodierunt Argentorati anno 1529.

§. CLXIII.

Non minus hic commemorari meretur *Gabriel Fallopius*, Mutinensis, qui propter ingentia in rem anatomicam merita medicis non est ignotus. *Mutinae* anno 1490. lucem adspexit publicam, &, postquam totam fere *Europam* peregrinando pera-

peragraverat, redux in patriam anatomiae professione publica in Academia *Patavina* condecoratus est, ibidemque anno 1563. (alii dicunt anno 1562.) aetatis suae septuagesimo tertio mortuus est. Scripsit institutiones anatomicas, &c., quae ab omnibus summopere aestimantur, observationes ejusdem generis, in quibus multa adnotavit, quae a *Vesalio* neglecta & praetermissa fuerant; Quod tamen tanta ubique modestia fecit, ut, mentione semper honorifica *Vesalii* praemissa, non solum titulo Doctoris divini ipsum condecoraverit, sed & modestissime suas animadversiones protulerit. Edidit etiam expositionem in librum *Galeni* de ossibus, lectiones quoque de partibus similaribus H. C. tandemque compendium de anatome corporis humani. Multum inprimis laudis meretur opus eximium observationum, in quo non pauca plane nova & ab aliis praetervisa, leguntur, quanquam hanc laudem nonnulli alii dubiam ipsi reddere moliantur; Id saltem certum est, quod primus descripserit meatus seminarios, ad latus uteri paulo infra testem utrinque excurrentes, quos hodie *tubas Fallopianas* in mulieribus, *cornua* vero in brutis adpellare solemus.

§. CLXIV.

Bassianus Landus, Placentinus, Montani primum discipulus, deinde collega & in Academia Patavina professor publicus, scriptoribus anatomicis vel propterea adnumerari meruit, quod anatomiam C. H. & historiam humanam seu libros duos de cognitione singularium hominis partium ediderit. Habuit vero infelicem & meritis suis nulla ratione respondentem vitae exitum: Aliquado enim domum noctu reversus, ante aedium suarum fores a sicario quodam septem vulneribus confossus, sicque nefario modo trucidatus est.

§. CLXV.

Habuit etiam ingenium ad artem anatomicam, uti vulgo ajunt, natum *Johannes Baptista Cananus*, quem alii *Cananium* scribunt, Ferrariensis; Unde in arte anatomica tantam sibi famam adquisivit, ut nonnulli alterum *Vesalium* eundem adpellare non dubitaverint. Edidit musculorum H. C. picturatam dissectionem, quae anno 1572. Ferrariae prodiit. Valvulas praeterea in venis detexisse, ejusque inventi *Vesalium* certiorem fecisse perhibetur.

§. CLXVI.

Eximium insuper patriae suae decus extitit *Constantinus Varolius*, Bononiensis, qui primum in academia patria professione chirurgica claruit; deinde vero in aulam Romanam, Gregorio XIII. pontificatum tenente, evocatus & Papae archiater constitutus est, simulque in Archilycaeo Romano anatomiae professionem suscepit. Obiit Romae A. 1575. cum trigesimum secundum aetatis suae annum ageret. Primus detexit originem nervorum opticorum, & ab ipso in hunc usque diem nomen suum habet eminentia cerebri, quam vocant *Varolii pontem*, qui circa posticam trunci medullae oblongatae partem conspicitur, & utrinque ex binis, nonnunquam vero ternis gibbosis eminentiis vel potius processibus, ex eodem cerebello ad quarti ventriculi circumferentiam protuberantibus, constat.

§. CLXVII.

Novum quoque anno 1570. modum secandi cerebrum in lucem protraxit, qui ab ipso nomen accepit, & *Varolianus* hodieq; vocatur; Cujus, secundum descriptionem *Ruyschianam* haec est ratio: Ipso capite a collo amputato, & separatis omnibus illius tegumentis exterioribus, musculis frontis, cervi-

cervicis, aurium &c. oculos cum omnibus tunicis ex orbitis suis effodiunt, postea caput imponunt vertici atque calvariae apertionem serra aggrediuntur, non vero in eodem loco, atque in alia methodo factum, sed multo profundius in ipsa nasi radice, adeo ut serra supremum orbitarum oculi circulum ossium contingat; Tamdiu continuant sectionem per calvariae peripheriam, usque ad magnum occipitis foramen, donec inferior capitis pars vacillet, atque nervorum paribus cum arteriis & venis calvariam perforantibus sectis, ima cerebri pars in conspectum veniat. Atque in hac methodo occurrit primo fissura magna, cerebrum in duas partes dirimens; Pia mater nervos opticos instar aranearum telae investiens. Carotidum & cervicalium vasorum rami diversi, glandula pituitaria. In cerebello prostant nunc processus vermiformes, cum ponte, intus itur ad ventriculum quartum, nobilem; Ex hoc progressus fit ad tertium, ubi obvius est fornix, septum pellucidum & laterales ventriculi magni &c.

§. CLXVIII.

Gabriel Cuneus, Mediolanensis, discipulus atque sectator magni anatomici, *Vesalii*, deinde vero in academia Ticinensi anatomiae professor, aegre ferens, praeceptorem suum a quodam discipulorum *Jacobi Sylvii*, *Francisco Puteo*, qui apologiam in anatome pro *Galeno* contra *Vesalium* scripserat, tam indigne tractari, ejusdem defensionem suscepit, edito examine doctissimo hujus apologiae *Puteanae*. Pullularunt autem controversiae hae inter *Vesalium* & *Sylvium* ex his praecipue fontibus: Cum *Vesalius* primum inciperet severius animadvertere in *Galenum* ejusque dogmata, quem hactenus infallibilem ac veluti classicum judicauerant medici istius temporis propemodum ad unum omnes, tam graviter inde irrita-

 batur

batur *Sylvius*, ut in epistola ad *Vesalium* scripta eundem gravissime increparet, quod dogmata *Galeni* reprehendere imo plane falsitatis arguere ausus esset; Cui epistolae opposuit *Vesalius* mox alium librum, quem quidem proprie de radice chinae inscribit, multa vero ad rem anatomicam potius pertinentia exponit, ac proinde demonstrat, *Galenum* non solum anatomias corporum humanorum nunquam instituisse, verum etiam historiam partium earumq; usum imperite tradidisse. Quo scripto longe adhuc vehementius exasperatus *Sylvius*, in furorem propemodum agi coepit, ac proinde libellum edidt, cui hic fuit titulus: Depulsio vesani cujusdam calumniarum in *Hippocratis* atque *Galeni* rem anatomicam: Cui tamen virulento scripto nihil reposuit *Vesalius*, apologiam tamen pro *Vesalio* suscepit *Renatus Henerus*, in qua totius pene negotii anatomici controversiae explicantur.

§. CLXIX.

Bononiae *Julius Caesar Arantius*, Bononiensis, ultra triginta annos anatomiam in Academia patria, in qua etiam lauro doctorali antea coronatus erat, & publice docuit & exercuit, tantoque annorum intervallo non exiguam sane secandi peritiam sibi adquisivit. Praeter alia scripta edidit librum observationum anatomicarum, & historiam uteri in gravidis & foetus humani admodum adcuratam; Quo tractatu eam praecipue laudem obtinuit, ut historiam foetus humani primus & solidius & exactius, quam huc usque factum fuerat, tradere coeperit. Obiit anno 1589.

§. CLXX.

Romae eadem peritiae atque dexteritatis anatomicae laude floruit *Archangelus Piccolhominius*, Ferrariensis, quem alii

Piccol-

Piccolhomineum ſcribere malunt, etiamſi *Riolani* auctoritati nimium, quam par erat, tribuentes, exiſtiment, non tam in ſectione cadaverum exercitatum ipſum fuiſſe, quam potius de uſu partium ſubtiliter diſputaſſe; Id quod & edita ejus opera haud obſcure innuere videantur, quae inſcribuntur *Praelectiones anatomicae*, mirificam C. H. fabricam explicantes, quae animae vires & quatenus corporis partibus tanquam inſtrumentis ad ſuas actiones obeundas utatur. Prodierunt Romae ex officina Bartholomaei Bonfadini anno 1586. Verum hoc *Riolani*, &, qui cum ipſo ſentiunt, judicium ſuſpectum aliis videtur, qui quippe difficulter perſuadere ſui poſſunt, *Piccolhomineum* tot eximias detectiones in arte anatomica facere potuiſſe, niſi manus admodum exercitatas attuliſſet; Hujus generis ſunt: Quod cerebrum duplici conſtet ſubſtantia, altera *cineritia*, altera *medullari*; Quod ſubſtantiam medullarem diſtinxerit in *medullam globoſam*, *oblongatam* & *ſpinalem*; Quod omnes nervos ex *medulla oblongata* originem trahant; Quod proceſſus mammillares nervorum odoratoriorum nomine inſigniverit; Quod poſt *Galenum* proſtatas tribuerit mulieribus; Quod peritoneum non ſimplici membrana, ſed duabus lamellis conſtare adſeruerit; Quod lineam abdominis albam, quam *Riolanus* negavit, deſcripſerit. Et quae ſunt ejus generis plura, apud *Douglaſſium* in bibliogr. anat. prolixius legenda.

§. CLXXI.

Fabricius Bartoletus, Bononienſis, in academia patria atque Piſana anatomiam, deinde vero in Mantuana medicinam profeſſus eſt. Edidit anatomicam microcoſmi humani deſcriptionem, per theſes diſpoſitam, in amphitheatro Piſano propoſitam. Natus eſt anno 1588. denatus vero anno 1630. aetatis ſuae quadrageſimo ſecundo.

§. CLXXII.

§. CLXXII.

Referimus huc *Casparum Taliacotium*, Bononiensem, pariter *Arantii* coaevum simulque aemulum, in schola patria *anatomiae* atque (21) *chirurgiae* Professorem publicum, non quod *anatomica* ex professo scripserit, sed quod chirurgiam praecipue excoluerit, quae, ut aliquoties in hoc scripto monebimus, sine exacta *anatomiae* cultura exerceri nequit. Edidit *chirurgiam* novam de *narium labiorumque defectu per insitionem cutis ex humero, arte omnibus hactenus ignota resarciendo*, de qua suo tempore pluribus agemus. Natus est anno 1553. obiit vero 1599 cum annum aetatis suae 53. attigisset. Verum quid de hac, membra curta artificialiter restituendi methodo sentiam

(21) Circa *Taliacotii* vitam & professionem, qua perfunctus est, duo iterum notavit *Stollius*; Quorum *alterum* est, quod eum cum *Lindenio* professorem *chirurgiae FALSO* vocaverim; Alterum vero, quod sphalma typographicum, quod in *Lindenium renovatum* irrepsisse contendit, meum fecerim. Priori adserto inde robur aliquod conciliare adlaborat, quod in prima eaque rarissima libri hujus editione professor *theoricae* & *anatomes* disertis verbis vocetur; Verum enim vero miror ego vehementer, *Stollium* moris in plerisque Germaniae & exteris academiis usitati oblitum esse. Docuit certe *Taliacotius* primis professionis suae annis *theoricam* & *anatomen*, successu vero temporis *chirurgicen* est professus. Ipsemet in *praefatione* ingenue id fatetur his verbis: Itaque in id, qua potui, cura & diligentia incubui, cum *meae professionis esset &c.* Loquitur vero ibi potissimum de *chirurgia*. Nec vero computus vitae ac mortis *Stollianus* adcuratior esse videtur. Nam si Taliacotius anno 1546. Bononiae natus, & anno 1599. denatus, & tamen annum 53. aetatis suae attigit, error calculi manifeste se prodit: Hoc enim modo 47. tantum annos vixisset. Ut proinde errorem typographicum hic agnoscere nulla cogat necessitas. At vero operae vix pretium est, ut ejusmodi minutiis diu immoremur.

ſentiam, in hiſtoria chirurgiae p. 119. & 120. expoſui, additis ſimul rationibus, quibus adductus pro *cathedrali* ac *ſpeculativa* potius *quam* pro (22) *clinico-practica* operatione *chirurgiam* hanc *Taliacotianam* habui, quam ingenioſa caeteroquin videatur *Stollio*.

R Recti

(22) Ingenioſam hanc operationem a *Stollio* dictam eſſe, tolerari utcunque poteſt; Quod vero eandem ſimul in effectum deduci poſſe, & *practicam* eſſe, crediderit, ideo condonandum ei eſt, quod profeſſione non ſit medicus. Interim herculeum, ut ipſi videtur, *Heiſtero* & *mihi* argumentum opponit, quod *Taliacotius* Libr. I. cap. 33. duos feliciter a ſe curatos patientes ſiſtat, deinde Libr. II. cap. 3. ad diuturnam provocet experientiam, imo in epiſtola dedicatoria ad *Mantuanum* Ducem ſcribere auſus fuerit: *Quod in hoc chirurgiae genere aliis medendo profuerit.* Ut proinde, quid veri hiſce omnibus ſubeſſet, experirer, loca a *Stollio* allegata attente perlegi, ſicque deprehendi, quod *Taliacotio* ſermo ibi ſit de illo *curtarum narium* vitio, quod *naſi medio quadantenus excavato ſit*, & *ſummo ejus dorſo inciſo*; Id quod contingit quandoque, ſi *enſe adacto, media tollatur ipſius naſi caro, & velut infixa forcipe pars ejus evellatur*; Exempli loco equitem quendam *Melitenſem* ſiſtere non dubitavit, cujus nares in monomachia hancce calamitatem exceperunt, quem tamen feliciter ſatis curaverit. Ad quod credendum facile inducor, quia tale narium vitium, etiam ſine imaginaria tali chirurgia curtorum reſtitui ſeſe patitur, cum amiſſa narium pars cartilaginoſa ſenſim ſponte natura regeneretur, tandemque extremitates, adpoſito novo nutrimento, ſenſim denuo coäleſcant. Simile enim ſui ſimile generat, caro nempe carnem & cartilago cartilaginem. Quando vero ad *diutinam experientiam* & *uſum* provocât *Taliacotius*, ſciendum eſt, ipſi de *decubitu aegro rite ſervando* ſermonem eſſe, non de ſucceſſu inauditae ac propemodum ridiculae hujus chirurgiae, per *inſitionem* nempe reparandi membra amiſſa. Taceo, non diſſimulare noſtrum, occurrere in praxi tales *curtarum narium, aurium* & *labiorum* differentias,

Rectius proinde ſibi aliisq; conſuluiſſet, ſi rationes loc. cit. allegatas prius refutaſſet; Id quod tamen non fecit.

§. CLXXIII.

Ab Italis tranſitum facimus ad Gallos, qui, ut ſtudiorum laude ſemper floruerunt, ita quoque ſcientiam anatomicam laudabili opera promovere adniſi ſunt. Ex his vero laudem praecipue meruerunt *Johannes Guintherius*, Andernacus, *Ambroſius Pareus*, *Ludovicus Vaſſaeus*, *Andreas Laurentius*, *Guilielmus Rondeletius*, *Jacobus Sylvius*, *Johannes Fernelius*, *Carolus Stephanus* aliique plures.

§. CLXXIV.

Non exiſtimamus, quenquam aegre laturum, quod *Johannem Guintherium*, Andernacum, qui natione quidem Germanus fuit, ſed in Gallia potiſſimum artem medicam exercuit, ibidemque etiam rem anatomicam non parum illuſtravit, ſcriptoribus Gallis adnumeraverimus. Sermonis graeci peritiſſimus fuit, quem primum Lovanii in Brabantia, deinde vero Lutetiis Pariſiorum magno cum adplauſu docuit. Fuit vero etiam excellens medicus, cujus fama Pariſiis ita inclaruit, ut tandem medicus regius ſalutatus fuerit. Motis autem eo tempore ſaeviſſimis belli tempeſtatibus Lutetiis diſceſſit, & primum Metim, deinde vero Argentoratum conceſſit, quibus omnibus in locis non tantum medicinam feliciter exercuit, ſed & anatomiam hucusque fere neglectam revoca-

quae reſarciri nullo pacto poſſunt; De quibus proinde nullam diutinam experientiam, nullum uſum habere potuit. Denique in dedicatione ad *Vincentium Gonzagae*, *Mantuae* & *Montisferrati* Ducem, memorat quidem, ſe *aliis medendo profuiſſe*; Id quod tamen de talibus tantum caſibus intelligere fas eſt, qui citra *inſitionem*, reparationem ſui admittunt.

revocavit. Caeteroquin fuit praeceptor *Vesalii*, qui & honorifice admodum de ipso loquitur. Commentatus est in libros Galeni de *administrationibus anatomicis* & libros IV. *Institutionum anatomicarum* secundum sententiam Galeni ad candidatos medicinae scripsit. Non autem theoretice tantum tractavit *anatomen*, sed, ut ipse testatur, quae inter secandum observavit, in commentarium compendiosum ac facilem redegit, in quo cujuscunque partis situm, numerum, substantiam, magnitudinem, figuram & connexionem explicuit. Memoratu vero digniora, quae in illis occurrunt, haec sunt: Quod corpus glandulosum, in centro mesenterii reperiundum, *pancreas* adpellaverit; Quod uterus foeminarum duos habeat sinus, nullo tamen septo interposito, sed qui in unam desinant angustiam, quam cervicem uteri dixit. Quod musculum, cervicem vesicae ambientem transversis constare fibris adseruerit &c. Natus est Andernaci Ubiorum, oppido ad rhenum sito anno 1497. obiit vero Argentorati anno 1574. aetatis suae anno (23) octogesimo septimo.

§. CLXXV.

Consimiliter *Ambrosius Paraeus*, Chirurgus Regis ordinarius

(23) Notat hic iterum *Stollius* errorem chronologicum, in vitae descriptione *Guintheriana* commissum; Id quod etiam, facta computatione adcuratiori sic sese habet. Nam si anno 1497. natus, anno vero 1574. denatus, annos tantum 77. in universum transegisset. Verum cum ad minutias partim ipse hoc referat, sicuti revera est; partim vero errorem typographicum a Lindenio commissum interpretetur, facillimum quidem fuit, in errorem hunc incidere, sed aeque facile eundem corrigere. Sed fortassis id non monuisset *Stollius*, nisi ex Clar. *Douglassio* aliter edoctus fuisset. Oculi plus vident, quam oculus.

narius, magis quidem chirurgiae laude inclaruit, ob arctissimum tamen nexum, quo chirurgia cum anatomia copulatur, hanc non neglexit. Ut enim particulares tractatus, quos de hoc argumento edidit, nempe de partibus animalibus in capite, de partibus vitalibus in thorace, de ossibus, de musculis &c. taceam, evulgavit quoque integram totius corporis humani anatomen. Quanquam igitur meritis suis laudibus *Paraeus* defraudandus non sit, tam in chirurgica quam anatomica scientia: *Riolanus* tamen non dubitavit de operibus ejus sinistre admodum judicare, nempe anatomen *Paraei*, gallice scriptam, postrema manu fictam & elaboratam esse a junioribus medicis Parisiensibus, utpote quorum industriam in condendis libris suis emendicasset & pretio redemisset, sperans, se, aeternandi quippe nominis cupidissimum, immortalitatem hoc modo sibi comparaturum; Itaque *Paraei* anatomen multis scatere erroribus, etiamsi methodice sit conscripta, concludit. Sed hic communissimus aemulationis perversae atque vitiosae fructus esse solet. Alia longe clarissima rei hujus documenta legere licet in animadversionibus *Riolani* in plerosque sui temporis anatomicos, antropologiae suae adjunctos, quibus pro more suo acriter singulorum errores perstringit: Qua in re si eam, quae requiritur, modestiam ubique observasset, institutum ejus tantopere taxandum non esset: Cum vero interdum nullum plane reprehendendi modum observaverit, ea, qua alias defraudandus non esset, laude maximam partem semet ipsum privare videtur. Caeterum integra ejus opera anatomico-chirurgica cum figuris anatomicis & variis instrumentorum chirurgicorum formis in XXVI. libros divisa & latio donata Parisiis prodiere studio & opera *Jacobi Guillemeau*, Chirurgi Regii Parisiensis anno 1528.

§. CLXXVI.

§. CLXXVI.

Ludovicus Vassaeus, Catalaunensis Gallus, discipulus *Jacobi Sylvii*, in compendium redacturus ea, quae *Galenus* aliique de *re anatomica* sparsim reliquerant, edidit tabulas IV. in anatomen corporis humani, quae Lutetiis anno 1540. lucem adspexere publicam.

§. CLXXVII.

Ast reliquis suis popularibus palmam dubiam facere videtur *Carolus Stephanus*, medicus Parisiensis, atque vel ideo prae omnibus sui & praecedentis aevi anatomicis hanc singularem meretur praerogativam, quod (24) *primus* partes animalium figuris delineare susceperit, quod ante ipsum nemo facere adgressus erat, a *Stephano Riverio* eo in opere adjutus. Edidit de dissectione humani corporis Libros III. una cum figuris & incisionum declarationibus Parisiis anno 1545. inter quas sex sceleti humani figurae visuntur, quarum prima & secunda *ossa* tantum, tertia & quarta *ligamenta*, quinta & sexta *musculorum* ortum & insertionem repraesentant: Praeter dictas vero duae aliae sceleti humani figurae, *nervorum* cursum offerentes, exhibentur. Partes genitales mulierum octo figuris expressae cernuntur. In viris vero scrotum

(24) Quando §. LXXX. histor. anat. p. 60. de *Carolo Stephano* retuli, quod *PRIMUS* partes animalium *figuris* delineare susceperit, convenienti modo intelligendum hoc est, nempe quod *inter primos*, sive *in primis* id fecerit. *Stollius* ipse, de *Jacobo Berengario* sermonem faciens, *inter primos* eundem refert, qui opera sua anatomica, additis *figuris*, clariora reddere conatus fuerit; Additque, se non de figurarum anatomicarum *inventoribus*, sed *restauratoribus* tantum loqui: Quam interpretationem, utpote nec *Schelhammero* nec mihi contrariam, lubens admitto.

ejusque *ſeptum* adcurate deſcriptum eidemque diaphragmatis nomen impoſitum eſſe legitur. Omnium vero partium adminiſtrationem ea ratione propoſuit, qualis ab ipſo in corporum diſſectione ſolemniter obſervata fuit.

§. CLXXVIII.

Idem ille *Stephanus de la Riviere*, alias *Riverius* dictus, cujus modo meminimus, chirurgus celebris Pariſienſis fuit, ediditque figuras elegantiſſimas & inciſionum declarationes in *Caroli Stephani*, de quo modo dictum eſt, libros III. de disſectione partium H. C. evulgatos Pariſiis anno 1545. in folio.

§. CLXXIX.

Omnibus vero nationis gallicae ſcriptoribus vel ideo anteponi meretur *Jacobus Sylvius*, Ambianus Picardiae, medicus ſui temporis celeber, qui Lutetiis Pariſiorum anatomiam magno cum adplauſu primus docuit, &, quod ante ipſum nemo fecerat, ſingulis quoque partibus H. C. ſuas adpellationes impoſuit. Cumque *Veſalium* minus honorifice de re anatomica *Galeni* ſentire obſervaret, ipſe tanquam acerrimus ejusdem aſſecla coeco auctoritatis amore ita ſeduci ſeſe paſſus eſt, ut virulentum ſcriptum, ſub titulo: *Veſani cujusdam calumniarum in Hippocratis Galenique rem anatomicam*, in *Veſalium* evibraret: Tantus enim fuit *Galeni* admirator, ut, quod ſubinde monebat *Veſalius*, *Galenum* quaedam ignoraſſe, aegerrime tulerit, & exquiſitiſſime inde offenſus fuerit. Audivit *Johannem Tagaultium*, & inſtitutiones *anatomicas* nec non obſervationes quasdam in ſecandis variis corporibus edidit. Quamvis autem exquiſitam in ſecando peritiam non aeque habuerit *Sylvius*, ejus tamen libri anatomici lectu nec injucundi nec inutiles ſunt. Ejus anatomen commentariis illuſtra-

illuſtravit *Bartholomaeus Perdulcis*, Pariſienſis. Commentatus eſt in librum *Galeni* de *oſſibus*, aliosque, qui *anatomici* ſunt argumenti. Inventa ejus, quibus *anatomen* ditavit, apud *Jacobum Douglas* in *bibliographia anatomica* legi poſſunt. Natus eſt anno 1491. & Lutetiae obiit coelebs anno 1555. cum annum aetatis 63. impleviſſet.

§. CLXXX.

Reliquit diſcipulum & auditorem *Mareſcotium*, quem *Riolanus* (mirandum, quod unum laudet, cum omnes alios promiſcue reprehendat) ſcholae Pariſienſis oraculum vocat, quique in illa anatomen publice demonſtravit, & anatomiae exercendae ipſos etiam chirurgos adſueſecit, quod ante illius tempora factum non fuerat. Nominavit muſculos laryngis, pharyngis, linguae oſſisque hyoidis, quorum deinde nomina, ab aliis quoque exſcripta & uſurpata fuerunt. Atque hunc deinde ſequutus eſt *Germanus Courtinus*, Pariſienſis, qui pariter anatomiae laude clariſſimus fuit.

§. CLXXXI.

Quid dicemus de *Johanne Fernelio*, Ambiano, Henrici II. Galliarum Regis archiatro, qui ceu oraculum artis medicae ſuo tempore habebatur? Ita ſane in praxi verſatiſſimus ſimulque feliciſſimus fuit, ſiquidem ex illa quotannis 1200. libras gallicas lucratus eſt. Neque hoc exiguae ipſi laudi ducitur, quod inviſam ſterilitatem a domo regia depulerit. Anatomica quidem ex profeſſo non ſcripſit; Ipſius tamen phyſiologica hiſtoriam partium ſimul comprehendunt. Natus eſt Claramontii in Gallia anno 1506. obiitque Lutetiis Pariſiorum anno 1558. cum ad aetatis ſuae annum quinquageſimum ſecundum adſcendiſſet.

§. CLXXXII.

§. CLXXXII

Pariter *Guilielmus Rondeletius*, Monſpelienſis, nihil quidem effatu dignum praeſtitit in anatomicis, deſiderio tamen non vulgari eundem flagraſſe rem anatomicam promovendi, inde non obſcure colligi poteſt, quod Rex Chriſtianisſimus ipſius ſuaſu theatrum anatomicum erigendum curaverit. Audivit diſcipulus *Guintherium* in *anatomicis*, deinde *Claramontii* praxin medicam exercuit, & anno 1545. in Academia Monſpelienſi profeſſor ordinarius conſtitutus eſt. Dicitur vero *Rondeletius* tanto ingenii & iudicii acumine polluiſſe, ut, quicquid ſemel ſcripſerat vel conceperat, nunquam relegeret vel corrigeret. Probro tamen ipſi datur, quod quendam liberorum ſuorum morbo extinctum cultro anatomico ſubjecerit, quod an tantopere vituperandum, tanquam ſi in propria viſcera ſaeviiſſet, aequo cenſori dijudicandum relinquimus. Pari cenſura dignum foret, ſi, quod fertur, verum eſſet, nempe quod filiorum gemellorum ſecundinas in Gymnaſiium adferri curaverit, ut, quod rarum in illis & curioſum eſſet, ſtudioſis demonſtraret. Interim primus fuit, qui veſiculas ſeminarias in homine notavit, & praeter multa alia medici argumenti, ſcripſit etiam anatomen. Natus eſt Monſpelii anno 1507. & obiit ibidem non ſine multorum luctu anno 1566. cum aetatem ſuam ad annum quinquageſimum octavum produxiſſet.

§. CLXXXIII.

Hiſce adnumeramus *Leonardum Botallum*, Aſtenſem, philoſophiae ac medicinae Doctorem, nec non Chriſtianiſſimi Regis Caroli IX. conſiliarium & medicum, qui, ut Auctor praeloquii ad lectorem refert, & *Mediolani* & in *Patavina* ac *Ticinenſi* Academia (in qua etiam Doctorali laurea decora-

decoratus fuit) celeberrimis praeceptoribus, *Cardano*, *Paterno*, *Frisimelica*, *Trincavellio*, *Fallopio aliisque* disciplinam medendi didicit, omnesque medicinae partes, speciatim vero chirurgicen, sub fratris sui *Secundi Botalli* ductu & auspiciis exercuit, tandem vero in Regis Galliarum, Reginae matris & Francisci *Vallesii* Ducis *Andium* Regis fratris, aulam pervenit. Ortus fuit ex *Asta*, Galliae *Cisalpinae* civitate, quam *Pedemontium* communiter vocant; Ut proinde Gallis potius quam Italis accenseri mereatur. Cumque praeter medicinam magno quoque in pretio habuerit chirurgiam, haec vero sine anatomiae subsidio digne exerceri nequeat: Hinc eam ab ipso omnino neglectam non fuisse, probabile est. Testes interim ejus rei esse nobis possunt observationes, quas operibus *Botalli Johannes van Horne*, Professor *Lugduno-Batavus*, qui in publicum illa simul juncta edidit, inseri curavit, quales sunt observationes de rene monstroso, de ossibus inter utrumq; cerebri ventriculum repertis, de vena arteriarum nutrice &c.

§. CLXXXIV.

Agmen claudat inter scriptores anatomicos Gallos *Andreas Laurentius*, archiater & consiliarius Henrici IV. Galliarum Regis; Natus est *Monspelii* in Galliis, loco ob studium medicum famigeratissimo, in qua Academia non solum gradum Doctoris adquisivit, verum etiam professionis publicae munere perhonorifice donatus. Reliquit nobis elegans opus anatomicum, quod eam praecipue ob causam laudem meretur, quia ea, quae ad anatomiam stricte pertinent, seorsim exponuntur, & quaestiones physiologicae vel potius & meliori jure, physicae, pariter seorsim tractantur, in quo non paucos impingere video, sicuti in anatomia *Diemerbroeckii* hoc praecipue culpandum est, quod nimiis digressionibus phy-

ſicis opus praeter neceſſitatem amplificaverit. Caeterum labores ſuos anatomicos dedicavit Henrico M. Galliarum Regi. Figurae animadverſionibus *Laurentianis* ſubjunctae maximam partem ex *Veſalio* depromptae ſunt, ut alienis plumis ſuperbire voluiſſe plerisque viſus fuerit: Unde *Riolanum* etiam tanquam adverſarium expertus eſt, ſive quod habuerit veras cauſas ipſi inſultandi, ſive quod mero pruritu exagitatus hoc fecerit, ſive ſtudio aemulationis ductus. Acerrima ſane eſt cenſura, quae in *Riolani* anthropographia legitur his verbis: *In re anatomica pluribus abundat* (Laurentius) *erroribus, nullumque fere caput eſt de re anatomica, in quo ipſe non peccarit aut hallucinatus fuerit. Errorum cauſa fuit, ut opinor, nimia* Laurentii *credulitas, qui aliorum manibus & oculis confiſus, plurima tanquam vera & extantia literis mandavit:* Ex quibus intelligitur, *Laurentium* ſuis manibus nunquam aut leviter rem anatomicam tractaſſe, neminemque fore peritum anatomicum, niſi manus in ſecandis & perſcrutandis cadaveribus humanis attritas habuerit.

§. CLXXXV.

Opus ipſum quod attinet, conſtat illud libris duodecim, in quorum *primo* hominis dignitas, anatomes praeſtantia, utilitas, neceſſitas & univerſalia artis anatomicae praecepta explicantur. Libro *ſecundo* oſſium omnium hiſtoria deſcribitur; *Tertio* de cartilaginibus, vinculis, membranis & villis agitur; *quarto* de vaſis, venis nempe, arteriis & nervis; *Quinto* de carnibus viſcerum, glandularum & muſculorum; Et *ſexto* deſcribitur hiſtoria partium nutritioni dicatarum ac proinde ordine agitur, praemiſſa corporis, ſpeciatim ventris inferioris diviſione, de cuticula, cute, adipe, panniculo carnoſo, de peritonaeo, vaſis umbilicalibus, epiploo, inteſtinis tam craſſis quam tenuibus, meſenterio & pancreate,

vena,

vena portae, ventriculo, hepate & vesicula fellea, liene, vena cava, renibus, ureteribus & vesica.

§. CLXXXVI.

Hinc ad librum *septimum* fit transitus, in quo partium procreationi dicatarum tum virilium tum muliebrium historia sistitur. In *octavo* historia foetus exhibetur, & generationis principia, conceptus, confirmatio, nutritio, vita, motus, tandemque partus ad *Hippocratis* διανοια accommodate explicantur. In libro *nono* partes vitales, pulsus quippe & respirationis organa, in *decimo* organa animalia, cerebrum cum cerebello & medulla spinali, in *undecimo* organa sensuum ac tandem in *duodecimo* artuum historia cum controversiis eo pertinentibus describitur.

§. CLXXXVII.

Proximum jam locum tribuimus Hispanis, &, qui his contermini sunt, Portugallis, quorsum non immerito etiam referimus maris mediterranei insulanos, Siculos: Quamvis enim in Hispania multa sint, quae felicibus scientiarum progressibus, potissimum medicinae & anatomiae impedimenta objiciunt: Surrexerunt tamen inde, qui manum operi admoverunt, inter quos nobis potissimum innotuere *Andreas a Lacuna*, *Antonius Ludovicus*, *Johannes Philippus Ingrassias*, *Johannes Valverda*, *Alphonsus Rodericus Guevara* & forte alii plures nobis ignoti.

§. CLXXXVIII.

Andreas a Lacuna, natione Hispanus, Segobiensis, discipulus *Tagaultii*, patrem medicum, *Jacobum Ferdinandum a Lacuna* habuit. Fecit primum medicinam, in exercitu gloriosissimi Imperatoris Caroli Vti, postea vero Reipublicae Metensis poliater constitutus tandemq; aliquot Pontificum

Romanorum, ſpeciatim Julii III. archiater factus eſt. Praebuit exemplum, a gravitate & nobilitate Hiſpanica, quam noſtri ſaepe ad deridiculum usque extendunt, eoque nomine acriter perſtringunt, aliorumque ludibrio exponunt, non abhorrere, artem medicam facere. Fuit enim eques auratus, nec tamen a dignitate ſua alienum exiſtimavit, Doctoris publici honores ambire & perhonorifice impetrare; Toleti enim Carpentorum medicinae Doctot creatus eſt. Anatomiam quidem non edidit, ſed methodum tamen anatomicam ſcripſit, ſive contemplationes de ſectione corporis humani, in epitomen redactas, quae Pariſiis anno 1535. prodiere. In hac methodo ita ſe gerit, ut a deſcriptione oris ordiatur, & in cerebro deſinat, in quo quippe cibos, alibi rite digeſtos, ultimam & abſolutiſſimam tranſmutationem adipiſci imo plane in ſpiritum converti exiſtimat. Hinc a dentibus ad lingvam progreſſus fraenulum ejus deſcribit & rationem reddit, cur linguae potiſſimum ac pudendis fraenulum tale natura indiderit? Quibus deinde ſubjungit deſcriptionem tonſillarum, uvulae & labiorum, tandemque gulae & ventriculi & inteſtinorum hiſtoriam ſubjungit. Pyloro ſpeciatim muſculum vindicat conſtrictorium & inteſtino coeco tribuit, quod, etiamſi ſuo in fundo nullum habeat orificium, duobus tamen aliis, uno, per quod trahat, altero, per quod expellat, ſit inſtructum. Claruit circa annum 1552.

§. CLXXXIX.

Bernhardinus Montana de Monferrato, medicus regius, de hominis anatomia tractatum edidit, qui luci publicae expoſitus eſt Valleſoleti anno 1551. in folio.

§. CXC.

Petrus Ximenes, medicus Valentinus ſcripſit dialogos de anatomia.

§. CXCI.

§. CXCI.

Michaël Gavassetius, Novellarienſis, exercitationem methodi anatomicae, item librum de praeludiis anatomicis ſeu totius medicae artis fundamentis edidit. Dedicerat ſine dubio, artem ſalutarem profitendo (erat enim medicinae profeſſor in academia *Patavina*) philiatris, ad ſacra artis adſpirantibus, neceſſaria eſſe fundamenta quaedam, quibus reliqvum aedificium ſuperſtruant: Itaque *praeludiis* ſuis *anatomicis* viam ipſis praemonſtravit, qua ſenſim ad altiora eniti posſent. Deinde vero ad *exercitationem methodi anatomicae* pedem promovit, qua, exempli loco, *anatomen brachii* exhibuit, & primum oſſa, quibus conſtat, deinde articulationem eorundem, tandemque cartilagines, ligamenta, membranas, arterias, venas, nervos ac muſculos deſcripſit.

§. CXCII.

Franciſcus Michinus de ſancto archangelo ſcripſit obſervationes anatomicas, quae anno 1554. in 4to Venetiis prodiêre.

§. CXCIII.

Ex Luſitanis *Antonius Ludovicus*, medicus Ulyſſiponenſis fuit, qui ſtudio anatomico claruit. Poſt obitum ejus compendium anatomicum ſub ejusdem nomine prodiit, in quo multa nova dogmata, anatomiam concernentia, deprehenduntur. Scripſit etiam tractatum de corde, in quo tum *Ariſtotelis* quam plurimi errores explicantur, tum vero plurimae quaeſtiones enodantur. Verum haec non tam ad *anatomen*, quam phyſiologiam ſpectant. Vixiſſe dicitur circa annum 1538.

§. CXCIV.

In *Sicilia* ex magni *Veſalii* diſcipulis & ſectatoribus, non tam *anatomiae* quam *chirurgiae* laude claruit *Johannes Philippus*

Ingrassias ſive *ab Ingraſſia* dictus, *Sicilienſis*, *Fallopio* & *Columbo* coaevus; Natus eſt *Rachelburgi* in *Sicilia*, & concivibus ſuis admirationi fuit, unde & *Hippocrates Siculus* dictus eſt. Docuit primum artem medicam in Gymnaſio *Neapolitano*, hinc tandem in aulam *Philippi II.* Regis Hiſpaniarum evocatus, archiatrorum numero adjunctus eſt. Fuit quidem ſectator magni *Veſalii*, nihil tamen, quod argumentum anatomicum ſpectat, ſcripſit, niſi quod commentaria ediderit in librum *Galeni* de oſſibus, iconibus naturam apte imitantibus inſignita. Caeteroquin debetur ipſi (25) prima detectio tertii oſſiculi in aure interna, quod ſtapedem vulgo vocant *anatomici*, licet non ignotum ſit, primam ejus inventionem ſibi quoque arrogaſſe *Columbum*, quem tamen ideo reprehendit *noſter*. Dicitur quoque ſtructuram *oſſis cribriformis* primus demonſtraſſe.

§. CXCV.

Inter ejusdem *Veſalii* ſectatores ſuum quoque nomen profeſſus eſt *Johannes Valverda*, quem alii *Johannem Valverdum de Hamuſco* vocant, Hiſpanus, *Realdi Columbi* diſcipulus in anatomicis, qui Italorum praeceptis primum imbutus anatomes

(25) Qua occaſione & modo ipſi innotuerit hoc oſſiculum, ipſe hiſce verbis enarravit. *Anno* 1540. dum *publice* Neapoli *theoricam & practicam, ambas medicinae ſic vocatas partes atque anatomen quoque profiteremur, id tertium non invenimus, ſed reperimus* (caſu & fdrtuito) *ipſum enim minime quaerebamus, quia nullam de eo notitiam neque ſuſpicionem habebamus; Scalpro autem malleoque auris oſſa percutientes, ut internas cavernulas & in ipſis contentas ſubſtantias circumſtantibus ſcholaribus noſtris oſtenderemus; Ubi jam duo priora oſſicula demonſtravimus, tertium oſſiculum, neſcio quo modo, in tabulae plano* caſu *potius inſpeximus, cuique e veſtigio* ſtaphae *primum nomen impoſuimus, aliquando etiam* os deltoides *nuncupavimus.*

natomes peritiam tandem ex Italia in Hiſpaniam tranſtulit. Edidit (26) anatomiam hiſpanica primum lingua conſcriptam, quam deinde *Michael Columbus* latio donavit, impreſſam Venetiis anno 1589. Sectator fuit *Veſalii*, uti dictum, eique debentur egregiae ſculpturae *Plantinianae* aeri inciſae. Omnes tamen ex *Veſalio* petiit, & vel incorruptas retinuit vel ſubinde mutavit, forte ne fraus detegeretur. Adjecit *tamen* figuris *Veſalianis* quatuor novas, de quibus tamen non admodum benigne ſentit *Archangelus Piccolhomineus*: *Quod nempe opera naturae minus plene exprimant*; Id quod ſufficit, ad comprobandum, judicia *Riolani* & *Veſalii* ſolido ſuo non caruiſſe fundamento.

§. CXCVI.

Alphonſus Rodericus Guevara, Hiſpanus, ſcripſit librum de *anatomia*, qui *Conimbricae* prodiit anno 1592.

§. CXCVII.

Germanis, etiamſi revera primum locum mererentur, modeſtiae tamen cauſa poſtremum concedimus, qui certatim etiam in promovenda ſcientia anatomica laborarunt: Non excludimus tamen etiam *Belgas*, *Anglos*, *Pruſſos*, quippe quos omnes ad hanc claſſem optimo jure referri poſſe, perſuaſi ſumus. Pertinent huc *Andreas Veſalius*, *Jodocus Willichius*, *Guilielmus*,

(26) Si *Riolani*, quod de ipſo tulit, judicio ſtandum, non tam ob *ſcriptionem*, quam potius ob ſincerum, quo flagrabat, anatomen propagandi deſiderium famam eſt adſecutus. *Riolano* conſentit *Veſalius*, qui quippe de illo retulit: *Quod manum ſectioni nunquam adhibuerit*. Adſtipulatur *Carcanus*, eidem imputans, *quod nihil viderit in anatomicis*, lippus *quippe atque* luſcioſus, *quique ideo conſpicilia naſo ſemper affixa habuerit*, & *ſolummodo* Columbo, *qui & ipſe male diſſecuerit*, adſtiterit.

elmus Hormannus, *Gualtherius Hermannus Ryffus*, *Felix Platerus*, *Volcherus Coiter*, *Johannes Lygaeus*, *Johannes Gersdorff*, *Leonardus Fuchsius*, *Johannes Dryander*, *Christophorus Rhumbaum*, *Salomo Albertus*, *Petrus Pawius*, *Johannes Bokelius*, *Henricus de Topelstein*, *Robertus Recorde* aliique plures.

§. CXCVIII.

Primus igitur prodeat, divino donatus ingenio, Vir secandi peritia clarissimns *Andreas Vesalius*, Andreae pharmacopolae filius, Bruxellensis Brabantinus, origine alias Germanus, nempe Vesaliensis Ducatus Cliviae, & *Jacobi Sylvii* discipulus, quem *celebrem* & *nunquam satis laudatum* virum adpellat. Hic (27) *primus* fuit, qui errores in anatomicis a *Galeno* commissos castigare, imo & in reliquis dogmatibus medicinam concernentibus ab eodem dissentire ausus fuit, cum ante

(27) Ominatur *Stollius*, me *Paracelsi* oblitum esse, qui quippe ante *Vesalium* jam ausus esset *Galeno* contradicere. Verum patiatur quaeso, ut caussam meam libere perorem. *Galeno* ejusque dogmatibus nemo ullus minus *Paracelso* noxae attulit. Non sufficit, nugas vocasse scripta *Galeni*; Id quod simpliciter tantum dixit, non probavit *Paracelsus*. Et frustra idem insimulatur, quod anatomes ignarus, phantasticas tantum & cerebrinas speculationes protulerit, nihil vero demonstraverit, sola sua auctoritate suffultus; Quod manes ejus in abysso gehennae sint sepulti, ex qua quippe litteras ad *Paracelsum* miserit; quod adsertum temerarium est. *Galenum*, medicorum principem diabolo in podicem involasse, quae phrasis est solo *Paracelso* digna; Quod scripta ejus minus prosint medicis, quam rusticis *Petrus de Crescentiis*. Idem quoq; insimulatur, quod veritati contraria scripserit. Et *Galenum* non esse medicum, sed rhetorem; Quasi implicaret, rhetorem esse & medicum; Dolet insuper (ironice) commentaria *Galeni* ceu thesaurum pretiosum, in monasteriis hinc inde delitescere. *Galenum* &

ante illa tempora in *Galenum* ejusdemque fidem, coeco auctoritatis praejudicio seducti medici jurassent, nec a placitis ejus vel latum unguem recedere ausi essent. Quid in *re anatomica* praestiterit, vel exinde dijudicare non erit arduum, quod a nonnullis *anatomicorum* princeps, imo ab aliis artis *anatomicae* (28) pater atque restaurator vocetur: A puero enim arti huic ita se adplicuit, ut adolescens 28. annorum factus, jam fabricam suam C. H. ediderit. Parisiis praeceptorem habuit *Sylvium*, etsi solemniter protestetur, se in anatomicis ab ipso nihil didicisse, cujus tamen contrarium *Riolanus* aliis persuadere laboravit, sed peritiam secandi adsecutum

T esse

Avicennam, si hodie (*Paracelsi* tempore) viveret, non pro magistris, sed discipulis habendos esse. Doctrinas eorundem esse mendaces, & neq; theoriam neq; praxin ulla niti experientia. Dispendium pretiosi temporis esse, scriptis eorundem perlegendis illud impendere; Imo, quod plus est, ipsorum ne quidem mentionem esse faciendam. Taedet, plures ejus farinae flosculos ex *Paracelsi* scriptis eruere, ex quibus interim ceu totidem ungvibus agnosci facile potest leo. En tibi, mî Stollî, specimina quaedam reformationis *Paracelsisticae!* Si alia tibi non suppetant, satius mea sententia fuisset, TACERE. Ratum ergo firmumq; manet, *Vesalium* solidius *Paracelso*, & primum quidem *Galeni* dogmata castigasse.

(28) Hoc tamen non obstante a *Piccolhomineo* inter *plagiarios* est relatus; Ita enim scribit ille: *Si mihi aliquando per otium licebit, luculenter monstrabo, quaecunq; bona scribuntur a* Vesalio *in magno illo de re anatomica volumine, omnia ex* Hippocrate, Aristotele, Galeno *aliisque antiquioribus esse transcripta, horum virorum nulla prorsus facta mentione; Quaecunque vero falsa ab eodem scribuntur, quae quam plurima sunt, ex suo* furibundo marte *prodiisse, & privatim multa licet sunt, quae a* Galeno suffuratus *est, illius tamen nullam unquam mentionem facit, nisi cum ei quicquid falso adscribit, ut sibi reprehendendi occasionem pariat.*

esse, nullo usum magistro. Interim *Sylvius* contumeliosis ipsum convitiis onerare non desiit, quod a doctrina *Galeni* contra seculi morem recedere conatus est. Has vero injurias cum sperneret *Vesalius* nihilque responderet, *Sylvius* quendam discipulorum suorum, nomine *Franciscum Puteum* excitavit, qui apologiam pro anatome *Galeni* contra *Vesalium* scripsit, qui tamen refutatus est a *Gabriele Cuneo*, *Vesalii* discipulo & sectatore. In Academia *Patavina* jussu Senatus *Veneti* publice docuit, & quidem cum summa omnium admiratione. Tantorum meritorum fama allectus gloriosissimus Imperator, Carolus V. cui etiam *Vesalius* labores suos anatomicos dedicavit, in aulam Hispanicam eundem evocavit, sicque post obitum ejus Philippi II. filii archiater factus est. Anatomiam insuper professus est in Academia *Basileensi*, in qua etiam sceleton humani corporis summo artificio a se elaboratum reliquit, quod in hunc usque diem in medicorum auditorio religiose adservatur. Edidit jam in juventute sua, uti superius dictum, de fabrica H. C. Libr. VII. elegantissimis figuris illustratos, item examen observationum anatomicarum *Gabrielis Fallopii*. An vero, quod ante aliquot annos orbi anatomico persuadere conatus est *Mangetus*, *disquisitionem corporis humani anatomicam*, & quidem *per tabulas*, ediderit, ego quidem ignoro, idemque se ignorare fatetur Clar. *Morgagnius*: Tali enim inscriptione a *Vesalio* librum unquam prodiisse, nec Vir laudatus, nec alii, quantum mihi constat, recordantur. Docuit etiam epistola quadam, venam axillarem dextri cubiti in pleuritide cum fructu secandam, & succum melancholicum ex ramulis venae portae ad sedem pertinentibus expurgari. Multa quoque anatomica tractavit in epistola, qua modum propinandi decocti radicis chinae insinuat, etiamsi titulus talia non promittat. Interim eximia haec

merita alios non impedivere, quo minus ipsi imputaverint, quod multas brutorum partes homini tribuerit, nec tamen lectorem ea de re monuerit; Id quod praeter *Columbum* & *Arantium* ipse quoque *Eustachius* fecit. Natus est anno 1514. denatus vero 1564. cum annum aetatis suae quinquagesimum adsecutus esset. De modo & ratione obitus ejus non omnes invicem conveniunt: Plerique enim credunt, ipsum a senatu *Veneto* in locum defuncti *Fallopii* in Italiam denuo evocatum, in itinere, suborta tempestate, in insulam *Zazynthum* ejectum, ibidemque ab omni ope derelictum in misero tuguriolo inter barbaros obiisse. *Conringius* vero alias enarrat circumstantias, ipsum nempe ex itinere *Hierosolymitano* reducem pestilentia correptum, inque insulam *Zazynthum* deportatum atque a suis neglectum, sub arbore quadam exspirasse, postea vero a Batavo quodam agnitum atque sepultum fuisse: Quod ipse quidem adscribit arcano DEI judicio, utpote qui tot sepulchra, solo anatomiae amore, cadaveribus suis spoliasset, indignus propterea, qui post mortem locum inveniret, in quo corpus ejus conderetur. Alii denique dicunt, ipsum, cum Palaestinam invisendi cupiditas animo incessisset, morbo repentino correptum circa insulam *Zazythum* obiisse. Reliqua ejus facta, quomodo ex dirissimae inquisitionis manibus a Rege suo ereptus sit, quod foeminam strangulatione uteri detentam, quam post triduum cultro anatomico subjecerat, adhuc viventem secuerit, mittimus, quae apud *Antonium Teissier* pluribus legi possunt.

§. CXCIX.

Fratrem ejus, *Franciscum Vesalium*, inter anatomicos quidem non refero; Silentio tamen non penitus praetereundum esse censeo, quod *Andreae Vesalii*, fratris, epistolam de

erroribus *Galeni* in *anatome* in publicum edidit & Cofmo Mediceo, Tufcorum Duci dedicavit.

§. CC.

Francofurtum, antiquum illud ac celebre bonarum artium emporium, in fuo fovit finu *Jodocum Willichium*, Rofellianum Pruffum, medicum fui temporis valde eruditum & quondam *Academiae Viadrinae* decus, qui primum *Francofurti ad Oderam* graecae lingvae, deinde vero medicinae Profeffor conftitutus eft, pofteaquam aliquot annis ante in eadem alma *Viadrina* Doctoris gradum impetraverat. Natus eft anno 1501. denatus vero A. 1552. ficque ad annum aetatis fuae quinquagefimum primum adfcendit.

§. CCI.

Quod fcripta ejus fpectat, memorat quidem epiftola nuncupatoria, *commentario anatomico* praemiffa, alia adhuc anatomica fefe editurum, in quibus exactius omnia fit penficulaturus: Verum, an promiffis fuis fteterit, admodum dubito, cum aliorum ejus generis fcriptorum ab alio quopiam mentionem factam effe, non meminerim. Commentarius ifte, de quo hic locorum fermo nobis eft, erotematica methodo eft confcriptus, per quaeftiones nempe & refponfiones, comprehenditque compendiofam omnium corporis humani partium enumerationem. Divifus vero eft in *quatuor libros*, in quorum *primo*, expofita fignificatione vocis anatomes, difquiritur, quae & quot fint corporis principes partes & ventres? Quomodo imus venter partiendus? Et quae partium ejus internarum diftributio? Hinc progreditur ad mufculorum abdominis enumerationem ac deinde difquirit de peritonaeo & omento, de mefenterio, inteftinis, jecinore, liene, renibus, vefica, ventriculo, vafis feminariis virorum,

teftibus,

testibus, epididymide, parastatis, scroto, pene, de vasis seminalibus mulierum, utero, membranis foetum involventibus nec non de ossibus imi ventris. Non tamen negandum est, hac in tractatione non pauca occurrere, quae exquisitiori modernorum gustui non arridebunt, qualia sunt: Jecoris parenchyma esse veluti sangvinem recens concretum; Virtutem ei competere αἱματοποιητικὴν; In quatuor fere fibras hepar dissecari, quibus a nonnullis nomina magis culinario quam mathematico more indita sint, cum primam focum, alteram mensem, tertiam cultrum & ultimam vocaverint aurigam, quibus omnibus nihil aliud innuitur, quam ad coquenda cibaria destinatum esse jecur; Venam cavam sese habere ceu aquaeductum, ex quo per tubos & canaliculos sangvis in totum corpus ejusque universas partes derivetur &c. Recte tamen animadvertit, corpus hepatis & paucioribus & minutioribus arteriis refarctum esse; Unde infert, inter alias & hanc unam esse causam, cur, an spiritus naturalis uspiam existat, dubitetur.

§. CCII.

Relicto interim abdomine, ad pectoris contemplationem sese accingit *Willichius*, & postquam figuram ejus expendit, ad partitionem illius progreditur, & primum partes cutaneas & musculosas, deinde glandionicas, uti ipsemet eas adpellat, nempe mammas recenset, subjuncta costarum, sterni & cartilaginum pectoris brevi enarratione. Progressus inde ad membranas pectorales, mediastinum, pleuram, pericardium septumque transversum, indicat praeter cordis situm, magnitudinem, figuram, partes ejus tam externas quam internas, ventriculos cum septo sinuum intermedio, ipsam quoque pulmonum substantiam, figuram, una cum vasorum pulmonem constituentium officio; Describitur deinde aspera ar-

ra arteria ſuis cum partibus, ejusdemque ſitus, indeque progreſſus fit ad collum & ſpinam, ſicque haec etiam tractatio de thorace abſolvitur. Et quanquam circa ſingularum harumce partium deſcriptionem non pauca moneri poſſent, quae juxta antiquorum hypotheſes perperam dicta & recocta ſunt, brevitati tamen ſtudentes, hic omittimus.

§. CCIII.

Pergimus potius ad ſupremum ventrem, nempe caput, quod ſupra reliquos corporis noſtri artus eminet, tanquam arx inter reliqua urbis moenia, ceu in quo praecipue ſunt partes, quae motui membrorum & ſenſui, cognitioni & intellectui potiſſimum conducunt. Indicata autem capitis figura enarratisque ejus partibus, ſyncipite & vertice, occipite, facie, fronte, ſuperciliis, & palpebris, convertit ſeſe primum ad naturam oculorum explanandam, deinde ad narium cum temporibus, malis ac genis, oris atque labiorum barbaeque contemplationem ſeſe confert, & pericranium, cranium cum ſuturis & duabus maxillis, altera ſuperiore, altera inferiore, dentibusqve atqve gingivis, palato, faucibus, uvula, amygdalis, lingva, & epiglottide explicat. Progreditur hinc ad interiora cranii rimanda, & expoſitis cerebri involucris, de cerebro ejusque partibus, infundibulo nempe, plexu reticulari & ſeptem nervorum ſyzygiis prolixum quidem ſermonem inſtituit, cum hodiernorum tamen ἀκριβείᾳ non comparandum.

§. CCIV.

Caeterum *quarto & poſtremo libro* de membris explantatis agitur, inter quae primum oſſa ſcapularum referuntur, & quid brachium, ala, cubitus & radius cum carpo ſibi velint, expla

explanatur. Recenſentur deinde muſculi brachii cum ſumma manu ejuſdemqve partibus, non neglectis quoque venis, arteriis atque muſculis extremae manus. Hinc ad pedis magni explicationem fit tranſitus, & de oſſibus ilium atque pubis & coxis, de natibus itidem, femore, genu atque patella, crure ejusque partibus, talo cum oſſe naviculari, calce, tarſo, planta atque digitis univerſus commentarius obſignatur.

§. CCV.

Guilielmus Hormannus, Sarisburienſis, edidit anatomiam corporis humani & obiit anno 1535.

§. CCVI.

Gualtherius Hermenius (Hermannus) *Ryffus*, quem alii *Ryff* ſcribere malunt, Argentinenſis, Moguntiae anno 1539. medica arte claruit. Multa quidem anatomica edidit, ſermone tamen germanico, quorum tamen aliqua civitate latina donata ſunt. Non eſt confundendus cum *Jacobo Rueff*, Tigurino & profeſſione chirurgo, qui, etiamſi de conceptu & generatione hominis phyſiologice tractaverit, anatomicam tamen matricis ejusqve partium deſcriptionem neutiqvam omiſit.

§. CCVII.

Georgius Entius, Londinenſis, eques auratus & collegii Regalis medicorum Londinenſium praeſes, ſcripſit animadverſiones in *Malachiae Truſthoni* diatriben de uſu reſpirationis primario cum reſponſionibus & inſtantiis, item apologiam pro circulatione ſangvinis, qua *Æmilio Pariſano*, medico *Veneto*, reſpondetur.

§. CCVIII.

Thomas Geminus, ſive, ut *Douglaſſius* ſcribit, *Gemini*, Lyſienſis, chalcographus tantum fuit, qui, licet artis anatomicae

penitus

penitus fuerint ignarus, edidit tamen compendiosam totius anatomiae delineationem aere exaratam anno 1545. Quam tamen ex epitome *Vesaliana* petiit. Ac proinde vitio ipsi vertitur, quod nomen Vesalii ubique reticeat, & propria industria *figuras Vesalianas* inventas & elaboratas esse glorietur.

§. CCIX.

Henricus Petraeus, Smalcaldiensis, postquam absolutis studiis suis in Academia Marpurgensi gradum Doctoris in arte medica acceperat, tandem in eadem etiam anatomiae, botanices, atqve chirurgiae Professor constitutus est. Scripsit λόγον ἐγκωμιαςικὸν, in quo studii anatomici laudes & utilitates varias breviter complectitur.

§. CCX.

Johannes Posthius, Palatinus, Germersheimii quippe natus, *Laurentii Jouberti* & *Guilielmi Rondeletii* discipulus & auditor gradum accepit *Valentiae*, academia *Galliae Narbonensis*, deinde medicinam castrensem aliquamdiu exercuit, tandemq; Episcopi Herbipolensis medicus corporis factus est. Inde vero iterum *Heidelbergam* evocatus, Friderici IV. Electoris Palatini archiatrum per integros 12. annos egit. Scripsit observationes anatomicas in anatomiam *Realdi Columbi*, item mantissam anatomicam, quae cum *Thomae Bartholini* historiarum anatomicarum centuria V. & VI. edita est. Dexteritatem secandi, qua pollebat, in musculorum consectione inprimis praebuit conspiciendam; Id quod sequentibus ex speciminibus luce meridiana clarius est. Sic v. g. musculos, labra ad os & intra dentes attrahentes, quatuor esse statuit, duos in inferiori & totidem in parte interna; Inter cartilagines costarum unicum tantum, non duplicem, ut in spatiis inter-

intercostalibus, esse musculum; Quartum maxillae inferioris musculum non a *styliformi* sed *mammillari* processu oriri, eumque tendinea sui parte ossi hyoidi adhaerere. Peni sex vindicavit musculos; Ut alia taceam. Lucem hanc adspexit *Germersheimii*, oppido Palatinatus inferioris anno 1537. denatus vero 1597. Morbachii anno aetatis suae sexagesimo.

§. CCXI.

Felix Platerus, Senior, Basileensis, antecessor & in Academia *Basileensi* Professor sui temporis eminentissimus, patriam habuit Basileam Rauracorum & lucem hanc adspexit anno 1536. Captus medicae artis studio nihil intermisit, quod ad finem istum adsequendum faceret: Unde multis peregrinationibus institutis feliciterque absolutis domum reversus est, & anno aetatis suae vigesimo primo in academia patria lauream doctoralem accepit, indeque poliater ac tandem Professor medicinae factus est. Quantam suo tempore famam sibi adqvisiverit, exinde haud obscurum est colligere, quod ad multos Germaniae Principes, Saxoniae, terrarum Brandenburgicarum, Lotharingiae, Würtembergiae, imo & exteros exterasque, Catharinam, Henrici IV. Galliarum Regis sororem unicam, haud semel evocatus sit. Scripsit de structura & usu partium humani corporis Lib. III. tabulis methodice explicatos, iconibusque adcurate illustratos, in quorum *primo* partium humani corporis simplicium structura & usus exponitur, ut, natura illarum prius cognita, deinde ejusdem corporis, quod ex illis componitur, constructionis ratio tanto melius intelligatur. Hinc *libro secundo* ad compositarum partium conformationem usumque transitus fit, ut nempe, quo pacto primaria corporis organa, ad praecipuos oeconomiae animalis actus, nutritionem, procreatio-

nem, vitam, ſenſum motumque edendos, ex ſimplicibus invicem concinnatis conformentur, cognoſcatur. *Tertio* vero libro partium H. C. per icones delineatarum explicatio exhibetur. Seorſim etiam egit *Platerus* de partibus mulierum generationi dicatis, cum iconibus & explicationibus, illarum delineationem adcurate oſtendentibus. Obiit A. 1614. poſtquam ſenium 78. annorum attigerat, & praxin medicam integris 56. annis exercuerat, profeſſioni vero medicae 45. annis praefuerat. Cadavera humana plus quam quinquaginta ſecuiſſe dicitur; Ut brutorum corpora ſilentio praeteream.

CCXII.

Volcherus Coiter, Groeninga-Friſius, Reipublicae Norimbergenſis Phyſicus ordinarius, fuit diligens ſimulque curioſus rerum anatomicarum perſcrutator. Edidit tabulas externarum & internarum principalium H. C. partium & anatomicas exercitationes, novis & artificioſis figuris illuſtratas. Publici etiam juris fecit tabulas de cartilaginibus, item hiſtoriam oſſium infantis, quae cum *Henrici Eſſonii* tractatu de oſſibus exſtat. Prodierunt quoque ejus ſtudio collectae lectiones *Fallopii*, de partibus ſimilaribus H. C. quibus diverſorum animalium ſceletorum explicationes, iconibus artificioſis illuſtratae acceſſerunt. Natus eſt anno 1534. denatus vero 1600. cum ad annum aetatis ſuae ſexageſimum ſextum perveniſſet.

CCXIII.

Johannes Ligaeus evulgavit libros IV. de harmonia humani corporis anno 1556. Sublimiorem, quam nonnulli hodie crepant, anatomen excoluiſſe non videtur, cum grandiorum tantum membrorum deſcriptionem exhibuerit: In *primo* namque libro manuum tantum, humeri & cubiti nec non extre-

morum

morum pedum atque crurum constitutionem sistit. In *secundo* abdominis viscera, nutritioni inservientia describit. In *tertio* cor & pulmones eorumque partes ac tegumenta recensuit ac denique in *quarto* cerebri nervorumque fabricam exhibuit.

CCXIV.

Johannes Gerdorff vel *Gersdorff*, uti ac aliis scribitur, Argentinensis, scripsit anatomiam C. H. anno 1551. Dicitur vero potissimum chirurgiam exercuisse, ad quam tamen rite & cum successu exercendam, anatomes notitia summe ipsi necessaria fuit.

CCXV.

Leonardus Fuchsius, Tübingensis, quem alii Wemdingensem Svevum fuisse credunt, a nonnullis *Medici Illuminati* titulo cohonestatur. Postquam hic *Ingolstadii* gradum acceperat, concessit *Monachium*, metropolin *Bavariae* & Ducum sedem, ibidemque praxin medicam magno cum adplausu exercuit, hinc *Ingolstadium* reversus, professionem artis suae publicam suscepit, quam cum per integrum biennium decenter exornasset, *Onoltzbachium* vocatus Marchionumque Brandenburgicorum archiater dictus & constitutus fuit. Ex aula iterum evocatus est in Academiam *Tübingensem* ibique praeter alias medicinae partes potissimum anatomiam professus est. Quanta vero viri hujus merita publica fuerint, vel exinde licet aestimare, quod Imperator Carolus V. privilegia, ornamenta & insignia nobilitatis ultro ipsi contulerit; Imo & a *Cosmo Medicaeo*, magno *Hetruriae* Duce, stipendio 6000. coronatorum in aulam perhonorifice invitatus est, spartam tamen oblatam generose recusavit. Quod scripta ejus nostri argumenti attinet, concinnavit epitomen

de fabrica H. C. ex libris *Galeni* & *Andreae Vesalii* duobus tomis in 8vo cum figuris.

§. CCXVI.

Quid vero ista in epitome tractaverit *Fuchsius* noster, paucis edisseremus. In duas nempe partes distinxit illam, inque prima illarum de ossibus & musculis, in altera vero de instrumentis tam nutritioni famulantibus, quam speciei propagandae servientibus, de cordis itidem structura & organis ipsius functioni ministrantibus nec non de structura cerebri instrumentisque ipsius actioni famulantibus prolixe disseruit. In *Praefatione ad Lectorem* non injuria conquestus est: Anatomen a Germanis medicis maximam partem contemptam atque neglectam esse: Quae praecipua etiam causa ipsum permovit, ut manum operi admoveret, & epitomen quandam concinnaret, quae partium humani corporis rationem ita explicaret, ut cujusque partis functionem & usum, ipsius quoque situm, figuram, magnitudinem, colorem, substantiae naturam & ad caeteras partes connexum, breviter & perspicue ob oculos poneret, hocque nomine in medicorum scholis ad enarrandum proponi recte posset. Huic vero usui ante illa tempora inservire non potuisse scriptum *Mundini* de anatome, inde demonstrat, quod non modo permultis erroribus sit refertum, sed & plenior ossium, musculorum nervorumque historia in eodem desideretur. Et quanquam *Carpus* prolixis commentariis *Mundinum* illustrare conatus fuerit; Tantum tamen abfuit, ut *Mundinianum* opus a contemptu vindicaverit, ut prolixitatis nimiae nomine plus ei odii potius conciliaverit, praesertim quum multa parum necessaria admiscuisset, nec errorum rationes non modo non detexisset, sed & tueri potius voluisset.

§. CCXVII.

§. CCXVII.

Et quanquam *Galeni* anatomica *Andernacus* & *Willichius* in epitomen redegerint, omnibus tamen constare existimat *Noster*, *Galenum* simiarum potius & canum, quam hominum historiam contexuisse; Solum itaque restare *Vesalium*, qui exquisita diligentia fabricam humani corporis *sua aetate* scripserit & concinno ordine descriptam litteris mandaverit: Nisi enim hujus commentarii exstarent, veretur, ne multarum corporis humani partium vera historia destitueremur. Unde non potest satis mirari quorundam insolentiam, qui *Vesalii* conatibus tam perdite obstrepere audeant, eumque multis & mendacibus conviciis proscindere non vereantur, lacerentque nullo alio nomine, quam quod *Galeni* anatomica parum quadrare humano corpori ostenderit. Atque adeo concludit tandem *Fuchsius*, se alio fine compendium suum de humani corporis fabrica non concinnasse, quam ut Lectori ad facilius intelligendos *Vesalii* commentarios viam sterneret; Cujus quippe anatomica tantum abest, ut contemnenda esse existimet, ut illum potius omnibus aliis (suo tempore notis) imo ipsi plane *Galeno* praeferat.

§. CCXVIII.

Verum cunctis hisce *Fuchsii* expostulationibus hodie non est opus, postquam & *Johannes Münnicks*, Professor Ultrajectinus, opusculum suum *de re anatomica* & *Johannes van Horne*, Professor Lugdunensis, suum *microcosmum*, adnotationibus *Pauli* inprimis locupletatum, & *Laurentius Heisterus* Professor olim *Altdorffinus*, nunc vero *Helmstadiensis*, compendium suum anatomicum Professoribus artis in manus tradiderunt, ex quibus quippe libris Juventus Academica in hac medicinae parte abunde imo longe melius instrui potest, quam ex *Fuchsiana epitome*.

§. CCXIX.

Johannes Dryander, Hassus, postquam gradum in medicina Moguntiae acceperat, in academia Marpurgensi medicinae Professor constitutus est, ibidemque integros 24. annos magna nominis sui fama docuit, & artem anatomicam novis inventis auxit atque locupletavit. Anatomiam *Mundini* ad vetustissimorum eorundemque aliquot MStorum codicum fidem collatam justoque suo ordini restitutam, item anatomiam capitis humani, anatomiam matricis, in qua quaedam nec veteribus nec recentioribus cognita discussit, edidit. Denique anatomiam infantis ex *Gabriele de Zerbis* & anatomiam porci ex traditione *Cophonis* in publicum emisit. Mortuus est anno 1560.

§. CCXX.

Christophorus Rhumbaum vel *Rumbaum*, quem nonnulli *Uratislaviensem*, alii *Jauranum Silesium* fuisse volunt, integram quidem humani corporis descriptionem non edidit, sed tantum exercitationes quasdam de partibus C. H. scripsit, quibus generatio, substantia, usus, sanitas, morbus & curatio illarum exponitur, quae tamen omnia non tam anatomici, quam potius physiologici & pathologico-therapeutici argumenti sunt.

§. CCXXI.

Guilielmus Fabricius, a patria communiter *Hildanus* dictus, lucem hanc adspexit Hildenae in Helvetia anno 1560. & praxin chirurgicam non solum *Lausannae*, verum etiam *Bernae* feliciter exercuit, & officium medico-chirurgi in aula Marchionis Badensis, *Georgii Friderici*, laudabiliter sustinuit. Quamvis autem, uti dictum, in chirurgicis potissimum excelluerit, non neglexit tamen etiam anatomica, quibus quippe chirur-

chirurgus in sua arte carere minime potest. Decantavit itaque laudes anatomiae & de ejusdem praestantia & utilitate tractatulum edidit, in quo *arteria venosa* a trunco suo abscissa delineata sistitur. Praeterea vero patellae a membranis suis mundatae delineatio in eodem continetur.

§. CCXXII.

Jacobus Milichius, Friburgensis *Brisgoiae*, in academia *Wittebergensi* plures annos medicinam publice docuit, ibidemque apoplexia correptus obiit anno 1559. Habuit orationem de studio doctrinae anatomicae, item de partibus & motibus cordis, aliamque de pulmone & discrimine arteriae tracheae & oesophagi.

§. CCXXIII.

Salomo Albertus, anatomicus non incelebris, qui artem suam in academia *Wittebergensi* publice docuit, in publicum emisit historiam plerarumque partium H. C. membratim scriptam, librum quoque de ostiolis venarum, item orationem de disciplina anatomica, quo orsu coeperit, quomodo sensim aucta atque ad posteros transmissa sit? Quam si haberemus, multa fortassis rem anatomicam ejus temporis concernentia excerpere inde liceret. Egit quoq; tum de libro *Galeni*, qui de ossibus inscribitur, tum de aliis ad anatomen spectantibus rebus; Reliquit etiam libellum de structura ureterum renis dextri mirifica, uti & observationes anatomicas. Cochleam auris, judicio *Douglassi* primus delineavit & valvulam coli, quam plerique *Bauhino* tribuunt, cognitam habuisse dicitur. Ipsemet enim commemorat, se primum in castore, deinde vero in homine eandem detexisse.

§. CCXXIV.

Petrus Pavius vel *Pauw*, uti Belgico idiomate vocatur,

Amstel-

Amstelraedamensis Batavus, anatomicus *Leydensis*, primum in academia *Rostochiensi*, ubi gradum Doctoris impetraverat, anatomiam publice docuit: Hinc vero in academiam *Leydensem* sese contulit, ibidemque professionem anatomicam atque botanicam nactus est, quam etiam integros 28. annos dexterrime exornavit, Amphitheatrum anatomicum variis humanis brutorumque sceletis, & instrumentis anatomicis instructum ditavit: Edidit etiam primitias anatomicas de ossibus H. C. item anatomicum succenturiatum, epitomen quoque Anatomicam *Andreae Vesalii*, quam notis & commentariis suis illustravit. Edidit denique observationes anatomicas selectiores, quas *Thomas Bartholinus* publico communicavit & cum ejusdem historiis anatomicis rarioribus prodiêre. De valvula intestini duas quoque epistolas scripsit. Natus est anno 1564. denatus vero 1617. cum annum aetatis suae quinquagesimum quartum attigisset. *Fabro* praeceptore in anatomicis usus est: Vidit tamen etiam *Aquapendentem*, cadavera secantem. Unde ipse cadavera humana aeque ac bruta secandi ingentem sibi dexteritatem comparavit. Orationem funebrem honori & memoriae ejus dixit *Aelius Everhardus Vorstius*, Lugdunensis pariter Professor medicinae.

§. CCXXV.

Sebastianus Theodorus Winshemius habuit orationem de studio doctrinae anatomicae, quae in tomo IV. declamationum *Philippi Melanchthonis* exstat.

§. CCXXVI.

Cum hoc non est confundendus *Menelaus Winsenius*, Leowardiensis, qui compendium anatomiae, triginta disputanibus, sub ejus praesidio in illustri academia *Franequerana* habitis, constans reliquit.

§. CCXXVII.

§. CCXXVII.

Johannes Bokelius, Hamburgensis, fuit Professor medicinae primarius in Academia *Julia*, pro cujus usu etiam anatomen corporis humani edidit, sicuti ea singulis annis Helmstadii tradi solet, anno 1585.

§. CCXXVIII.

Henricus de Topelstein, qui hujus aetatis est, scripsit anatomiam utriusque sexus.

§. CCXXIX.

Johannes Cajus, Nordvicensis Anglus, *Montani* discipulus fuit *Patavii*, qui postea in academia *Cantabrigiensi* laurum accepit, & dexteritate sua ita sese commendavit, ut regis, *Eduardi* VI. *Mariae* & *Elisabethae*, reginarum Angliae medicus corporis successive factus fuerit. Scripta ejus anatomica sunt: Commentarius in libros *Galeni* de *administrationibus anatomicis*, item in ejus librum de *motu musculorum*, de *ossibus ad tyrones* & de *anatomia* Hippocratis &c. Natus est a. 1510. denatus vero a. 1573. aetatis suae. 63.

§. CCXXX.

Robertus Recorde, Anglus, floruit circa annum 1554. & *anatomiae* librum I. scripsit.

§. CCXXXI.

Hisce vero omnibus, quos hucusque recensuimus, adjungimus adhuc nonnullos alios anatomes scriptores, qui *in historia anatomiae* a. 1713. a me edita, fuerunt omissi; Quos inter ex *Italica gente Angelum Fortium, Eustachium Rudium, Andream Caesalpinum, Petrum Montagnanam, Baptistam Codronchium* aliosque referimus.

§. CCXXXII.

Quod *Angelum Fortium*, quem Lindenius *Forstium* vocat, attinet,

tinet, *anatomica* quidem ex professo non scripsit; In *fundamentis* tamen *naturalibus* de *mirabilibus vitae humanae*, quae ab ipso edita sunt, nonnulla, citante *Malpighio*, occurrunt, quae *anatomen* spectant.

§. CCXXXIII.

Similiter in *Dominici Leonis* (quem alii *Leonum* dicere malunt) *Lunensis de Zuccano* arte medendi humanis particularibusque morbis a vertice usque ad pedes non pauca quoque *anatomica* continentur: In prima enim sectione, quae de capite agit, *anatome capitis* cum *origine nervorum*, deinde descriptio *auris*, *linguae*, *nasi*, *oculorum* ipsiusque *olfactus organi* comprehenditur: Non minus dentes, partes oris palatique, spinalis item medulla nervique descripti sistuntur.

§. CCXXXIV.

Hieronymus Mercurialis, Foroliviensis, illorum numero prae ceteris accensendus, quibus aurea obtigit praxis, & in quem vere illud: *Dat Galenus opes*, quadravit; Cujus rei specimina apud *Lindenium* & *Douglassium* legi possunt. Docuit primum medicinam in Academia *Patavina*, hinc discedens in *Bononiensem* tandemque in *Pisanam* se se contulit, in quibus omnibus non vulgaria doctrinae suae specimina edidit. *Anatomica* quidem ex professo non scripsit, nonnulla tamen, secandi artem concernentia, reliquis ejus operibus sunt interspersa, aguntque de *oesophago* & *stomacho*, de *pulmone*, de *membranis cerebri*, de *dentibus* & *signo virginitatis*.

§. CCXXXV.

Petri Montagnanae, a patria sic dicti, meminit *Paschalis*, Gallus in *bibliotheca medica*, eidemque tribuit opus, in quo *picturis & imaginibus* interiora hominis cum optimis expositioni-

ſitionibus ita effecta ſunt, ut notiora eſſe non poſſint; Quo proinde nomine anatomicorum ſcriptorum numero eundem excludere nefas fuiſſet.

§. CCXXXVI.

Majori tamen jure *Marcus Antonius Turrianus*, Veronenſis, huc referri meretur, qui quippe promovendo *anatomes* ſtudio omnem impendit operam; Non vero *ſpeculativam* tantum exercuit, ſed damnatorum capitis cadavera conſecando, magnam ſibi dexteritatem adquiſivit, ſicque univerſam corporis humani anatomen a capite ad calcem publice demonſtravit, & volumen anatomes ex placitis *Galeni* in publicum emiſit, in quo tamen etiam *Mundinum* & *Gabrielem a Zerbis* acriter perſtrinxit & caſtigavit.

§. CCXXXVII.

Marianus Sanctus, Barolitanus, qui juxta *Juſti* chronologiam medicam circa A. C. 1529. vixit, aureum de *lapide veſicae per inciſionem extrahendo* reliquit libellum, in quo anatomiam veſicae praemiſit, ut, qui lithotomiam eſſent ſuſcepturi, cognita partis ſtructura, majori id ſecuritate & circumſpectione facerent.

§. CCXXXVIII.

De *Hieronymo Capivaccio*, ſive, ut alii ſcribere malunt, *Cappivaccio*, Patavino, conſtat omnibus, quantam in *medicina practica* famam ſibi adquiſiverit; Adeo ut etiam lautiſſimas ſibi oblatas conditiones generoſe fuerit adſpernatus. Non tamen *anatomes* penitus ignarus fuit; In parte enim operum ſuorum phyſiologica de *methodo anatomica* quaedam commentatus eſt, quae ſeorſim deinde ab *Teucro Annaeo Privato* cum praefatione de *anatomes laudibus* edita ſunt, minime tamen etiam neglectis obſervationibus in eandem *Capivaccii* methodum anatomicam.

§. CCXXXIX.

Albertinus Bottanus, uti *Patavii* lucem adſpexit publicam: Ita etiam huic potiſſimum Academiae labores ſuos ſacros eſſe voluit, eoque ipſo amorem, quo in patriam ferebatur, publice teſtatus eſt. Cum vero operam ſuam in *morborum muliebrium* inveſtigatione potiſſimum locaſſet, vix potuit abeſſe, quin de *ſtructura uteri* hinc inde quaedam diſſereret; Quia facile intelligebat, hac ignorata, nihil ſolidi de *morborum muliebrium* natura in medium proferri poſſe.

§. CCXL.

Cum etiam *Euſtachius Rudius*, Utinenſis, qui in Gymnaſio *Patavino* medicinam practicam publice docuit, de *uſu totius corporis humani* peculiari ſcripto egerit, hic vero notitiam ſtructurae partium praeliminarem ſupponat; Vix mihi perſuaderi patior, eum *anatomes* omnino imperitum fuiſſe. Accedit, quod *de naturali atque morboſa cordis conſtitutione* tribus diſtinctis libris tractaverit; Id quod iterum ſine *anatomes* peritia fieri non potuit. Miror tamen, quod ideo, ſubſtantiam cordis muſculoſam eſſe, negaverit, quod voluntatis humanae arbitrio motus ejus non ſit ſubjectus, cum ad motum tam *ſyſtalticum* quam *diaſtalticum* jugiter in corpore continuandum, & motum ſanguinis circularem hoc modo praeſtandum, totum hoc viſcus a natura ſit deſtinatum.

§. CCXLI.

Baptiſta Codronchius, medicus *Imolenſis*, in *commentariolo de morbis, qui Imolae & alibi communiter anno 1602. vagati ſunt*, ſimul morbi novi, *prolapſus* nempe *cartilaginis mucronatae* meminit, in quo de ſtructura oſſis pectoris & cartilaginis mucronatae nec non de uſu ejusdem agit.

§. CCXLII.

§. CCXLII.

Johanni Padovano nullum forte locum hic tribuissem, nisi de singularum C. H. partium significationibus tractatulum edidisset, qui *Veronae* 1589. in 4. lucem publicam adspexit.

§. CCXLIII.

Eminentiorem in hoc studii genere locum meretur *Andreas Caesalpinus*, qui *Areti* in *Italia* lucis hujus usura frui coepit. Quo acrior fuit sectator *Aristotelis*, eo vehementius contra *Galenum* disputavit. Quae sparsim in reliquis suis scriptis tradidit *anatomica*, ea *Douglassius* in unum congessit suntque sequentia: Cor non solum arteriarum, sed & venarum ac nervorum principium esse; Valvulas quoque venae cavae ostio adpositas esse agnovit, hoc inprimis argumento motus, quod sangvis ex corde in venam regredi renuat, eo quod ostio venae cavae tres membranulae sunt coaptatae, ita ut concedatur quidem ingressus sanguini in cor, egressus autem nequaquam; Addit quoque: Membranas ostio sic adpositas esse, ut, corde dilatato, aperiantur, contracto autem claudantur; Quibus ex verbis clare elucere videtur, quod *motum* cordis *systalticum* ac *diastalticum* optime agnoverit. Quae res permovit non paucos, ut inventionem motus sanguinis circularis ante *Harveum* eidem vindicarent; Qua tamen de controversia jam superius disputavimus. Reprehendit insuper veteres, quod, nulli licet fundamento innixi, nomina tamen *arteriae venosae* & *venae arteriosae* imposuerint; Cum eorum alterum *arteria*, alterum vero *vena* sit. Ubi denique de generatione & conceptu agit, trium quoque membranarum, foetum involventium, commeminit.

§. CCXLIV.

Christopherum Guarinonium, Veronensem, omni jure in scriptorum *anatomicorum* serie omittere potuissem, nisi de *principio venarum* & de *natura humana* sermones IV. reliquisset. Caeterum fuit *Rudolphi* II. consiliarius & medicus aulicus.

§. CCXLV.

Nec *Ludovici Septalii*, Mediolanensis, celebris alioquin medici, ullam hic fecissem mentionem, nisi in libro de *morbis, ex mucronata cartilagine evenientibus*, tractatum reliquisset, in quo cartilaginis hujus fabricam descripsit. Docuit medicinam in academia *Ticinensi* & octogenario major Mediolani, quo in ducatu proto-physici generalis munere perfunctus est, a. 1630. obiit. Idem argumentum tractasse quoque *Baptistam Codronchium*, paullo ante vidimus.

§. CCXLVI.

Thomas Cornachinus, Aractinus, medicinam quidem practicam in academia *Pisana* professus est, sed propterea *anatomen* non penitus despicatui habuit, verum in *medicina*, quam edidit, *practica*, capitis & pulmonis anatomen tradidit, imo & de larynge, uvula & tonsillis egit.

§. CCXLVII.

Verum *Liberali Cremae*, Tarvisino, nullum hic locum concessissem, nisi *Adriani Spigelii* de formato foetu librum singularem ejusdemque epistolas duas anatomicas in vulgus emisisset; Propria enim in anatomicis merita nulla habuit.

§. CCXLVIII.

Similiter de *Alexandro Massaria*, Vicentino, acerrimo *Galeni* sectatore, cum quo errare quam cumaliis vera dicere maluit,

maluit, omnino tacuissem, nisi *anatomen* ipsum docuisse legissem. Quamvis enim nulla *anatomici* argumenti scripta evulgaverit; In *medicina* tamen *practica* & docenda & facienda multum sibi famae comparavit.

§. CCXLIX.

Johannes Baptista de Gello, Florentinus, alio nomine non innotuit, nisi quod de fabricae humanae natura dialogos decem in publicum emiserit.

§. CCL.

An *Aemilius Parisanus*, Romanus, de arte *anatomica* multum meruerit, multi dubitant. Licet enim in exercitationibus *de subtilitate* quaestiones aliquas anatomicas, more *Laurentii*, examinet; Ingenti tamen contemtu de illis judicat *Riolanus*, cacatam chartam vocando, *annalium Volusianorum* fato dignissimam, quae *Parisani* fatuitatem declaret, quaeq; deferatur in vicum, vendentem thus & odores, & piper, & quicquid chartis amicitur ineptis. *Douglassius*, de ipso sermonem faciens, rudem ac barbarum adpellat, quique artis anatomicae prorsus ignarus ineptias & soloecismos effutiverit. Quo proinde loco disputatio ejus, qua fervide admodum doctrinam de circulatione sanguinis impugnavit, habenda sit, aliis dijudicandum relinquere malo.

§. CCLI.

De *Paulo Sarpi* vel *Serpa*, Veneto, qui ordinis *Servi*, unde *Servita* dictus, monachus & pater fuit, haud injuria dici forte posset: *Num quid Saul inter prophetas?* Nisi viderem, quam plurimos & inter eos potissimum *Walaeum*, *Thomam Cornelium Consentinum* aliosque ea in haeresi versari, quasi circulationis sanguinis primus fuerit inventor; Quam tamen traditionem

ditionem esse fabulosam & a veritate alienam *Georgius Entius* adseruit. Eodem forte loco habenda est altera traditio, quod motum *pupillae*, ejus nempe constrictionem ac dilatationem primus in homine observaverit.

§. CCLII.

Quae *Fortunius Licetus*, Genuensis, in libro de perfecta hominis constitutione in utero nec non de motu sanguinis disseruit, *physiologiam* tantum, non *anatomen* illustrant, nisi, quae de origine nervorum disputavit, hujus argumenti esse, operose contendat.

§. CCLIII.

Pari modo cum *Marco Antonio Ulmo* comparatum est, qui de *utero* quidem *muliebri* scripsit, sed magis in temperiem quam structuram ejusdem inquisivit. Egit tamen de testibus mulierum & in *physiologia* barbae humanae simul maxillae inferioris & menti descriptionem exhibuit.

§. CCLIV.

Jungo huic *Theodorum Baronium*, philosophum ac medicum *Cremonensem*, qui, cum *de operationis mejendi triplici laesione & curatione* libros duos publico communicaverit, necessitate quasi quadam coactus fuit, ut instrumenta urinaria, eorundemque descriptionem brevem praemitteret.

§. CCLV.

Ab *Italis* ad *Hispanos* & *Portugallos* progredimur, quos inter *Ludovicus Collado*, *Johannes Fragosus.*, *Alphonsus Rodericus Guevara*, *Andreas Leon*, *Emanuel Nonnius &c.* eminuêre.

§. CCLVI.

De *Ludovico Collado*, Valentino, ejusque scientia anatomica nihil

constat aliud, quam quod in librum *Galeni* de ossibus ad tyrones sit commentatus, cui in fine adnexa est descriptio ossium capitis, ejusdemq; foraminum & sinuum. Discipulus fuit *Vesalii* & strenuus ejusdem sectator.

§. CCLVII.

Johannes Fragosus, Toletanus, nullum hic locum inveniret, nisi libro, quem *de chirurgia* edidit, anatomica quaedam essent intersperssa. At vero *Andreas Leon* de *anatomia* ex professo, hispanica tamen lingua, scripsit; Quod idem etiam *Alphonsus Rodericus Guavara* fecit, qui de *re anatomica* librum *Conimbriae* impressum reliquit.

§. CCLVIII.

Jungo hisce *Emanuelem Nonnium*, Olyssiponensem, qui de *tactu* ejusque *organo* librum unum posteritati commendavit.

§. CCLIX.

Inter *Gallos* hujus aevi potissimum eminuêre *Jacobus Guillemaeus*, *Franciscus Rossetus*, *Petrus Franco*, *Johannes Costa*, *Amatus Lusitanus*, *Vincentius Burgundus*, *Guilielmus du Vall*, *Johannes Pistorius* aliique mox memorandi.

§. CCLX.

Primum itaque locum *Jacobo Guillemaeo*, Aurelianensi, *chirurgo Parisiensi* jurato, tribuo, qui non solum *Ambrosii Paraei* opera elimavit, novisque iconibus illustravit & latinitate donavit, sed & in anatomicis ipse gnaviter sese exercuit, & universam hanc artem figuris atque tabellis exornavit. Si tamen judicio *Douglassii* standum, plerasque harum tabularum ex *Valverda*, expositiones vero earundem ex *Platero* hausisse mutuoq; accepisse dicitur. Ejusdem filius, *Carolus Gillemaeus*

 virulen-

virulentiſſimam apologiam *Curto*, quem impudentiſſimum & importuniſſimum vocat, oppoſuit.

§. CCLXI.

Franciſcus Rousſetus, ſive, ut ab aliis ſcribitur, *Rosſetus*, *ὑστεροτομοτοκίαν*, ſive partum caeſareum tantum deſcripſit; Ea tamen occaſione ſimul muſculors abdominis, quorum quippe apertione hac in operatione abſolute opus erat, delineatos exhibuit. Cumque permultis haec chirurgia admodum difficilis & periculoſa videretur, apologiam pro *partu caeſareo* ſcribere coactus eſt, in qua probavit, *foetum vivum ex matre viva*, & quidem, quod utique mirandum, *ſine alterutrius vitae periculo, imo, absque foecunditatis ablatione, exſcindi poſſe.*

§. CCLXII.

Petrus Franco chirurgiam potius quam medicinam exercuit; Cujus rei teſtis eſt tractatus ejus de herniis, in quo non ſolum omnes earundem ſpecies enarravit, ſed & cataractarum depoſitionem aliasque operationes explicuit. Cum vero ſine *anatomes* peritia id factu vix poſſibile ipſi eſſet: Hinc iſto in libro omnia abdominis viſcera, organa itidem, generationi in utroque ſexu dicata ipſumque oculum anatomice deſcripſit.

§. CCLXIII.

Guilielmi du Val, Academici *Pariſienſis* nullam quoque hic mentionem feciſſem, niſi in *ſynopſi doctrinae peripatetiae analytica* adſeruiſſet, teſticulos mulierum multis veſiculis eſſe refertos; Id quod idem adſertum *Veſalio* aliisque placuiſſe, haud ignotum eſt. Et *Vincentii Burgundi*, Bellovacenſis, ideo tantum memini, quod in ſpeculo quadruplici ſeu totius naturae hiſtoria nonnulla continentur, quae de corpore humano ejusque

ejusque partibus agunt: Quae enim praeterea de generatione & partu disserit, ad *physiologiam* potius quam *anatomen* pertinent.

§. CCLXIV.

Jacobus Grevinus, Claromontanus Bellovacus, *anatomes totius aeri insculptae delineationem* publico exhibuit, cui addita est *epitome innumeris mendis repurgata*, *quam de* C. H. *fabrica* Andreas Vesalius *conscripsit*, eidemque brevis partium H. C. tum simplicium tum compositarum elucidatio accessit. *Jacobus Douglassius* plagii ipsum accusat, existimans, tabulas esse *Gemininas*, cujus tamen *Thomae Gemini* nullam ullibi mentionem fecerit: Cum contra manifestum sit, nullum in *tabulis Gemininis* occurrere vitium, quod non in *Grevinianis* similiter reperiatur, & in inscriptione editionis, sermone gallico exaratae, diserte referatur: Tabulas hasce mandato Henrici VIII. regis Angliae in vulgus prodiisse.

§. CCLXV.

Thomae Tigeonis, Andegavensis, *antimaeologicum*, quo demonstratur, *obstetricibus de virginitate aut defloratione mulieris adulterae testimonium ferentibus, non esse tantum fidendum*, hic pariter non memorassem, nisi de alis, clitoride, placenta alisque ad *anatomen* pertinentibus rebus in eodem actum esset.

§. CCLXVI.

De *Francisco Ulmo*, Pictaviensi, qui discipulus *Laurentii Juberti* fuit, constat quidem, ipsum *anatomen* publice professum esse, attamen praeter libellum *de liene* nihil typis mandavit. Ejusdem vero nepos, similis nominis exercitationem anatomicam in circulationem sanguinis *Harvaeanam* edidit.

§. CCLXVII.

A *Gallis* transitum facimus ad *Anglos* & *Scotos*, commemoraturi

moraturi paucis, quos ſuperius omiſimus, & citra dubium tamen ad hoc ſeculum pertinent & qualemcunque operam ad rem anatomicam illuſtrandam contulerunt. Spectant huc *Johannes Cajus*, *Guilielmus Bulleine*, *Helkiah Croocke*, *Petrus Lowe*, *David Kynalochus*, ut & *Johannes Baniſter* una cum *Thoma Vicario*, chirurgo Londinenſi.

§. CCLXVIII.

Quod ſpeciatim *Johanem Cajum* attinet, lucem is publicam adſpexit *Nordvici* in Anglia 1510. Praeceptore uſus eſt *Joh. Baptiſta Montano*, &, poſtquam gradu doctoris in Academia *Cantabrigienſi* exornatus, ea in arte ſalutari ſpecimina edidit, ut primum regis *Eduardi* VI. deinde *Mariae*, tandemque *Eliſabethae*, reginarum Angliae medicus factus ſit. Reliquit commentarium anatomicum in libros *Galeni* de *adminiſtrationibus anatomicis* nec non in ejusdem librum *de oſſibus* ad tyrones & in anatomiam *Hippocratis*.

§. CCLXIX.

Helkiah Crooke, Regis *Jacobi* medicus, auctor eſt *microcoſmographiae*, qua quidem non pauca comprehenduntur anatomica, ſed quae ex *Bauhino*, *Laurentio*, *Julio Caſſerio* aliisq; deprompta ſunt. Fuit diſcipulus *Petri* Pawii, Profeſſoris Leydenſis.

§. CCLXX.

Guilielmus Bulleine, lingua anglica ſcriptum chirurgicum imprimi curavit, in quo non pauca occurrunt anatomica, una cum figura ſceleti, ex chirurgia magna *Veſalii* depromti. Quo eodem modo cum *Johanne Baniſtro*, chirurgo Anglo, res ſeſe habet, qui quippe eadem lingua ſcriptum edidit, duabus figuris ſceleti humani ac totidem partium externarum ex *Veſalio* deſumtis, ſed, judice *Douglaſſio*, miſere depravatis, non tam exornatum quam potius vitiatum.

§. CCLXXI

§. CCLXXI.

Ex *Scotis David Kynalochus* libros II. de *anatome* ſcripſit, & ejusdem conterraneus, *Petrus Lowe*, *Glaſcuae* natus, auctor eſt operis chirurgici, in quo plurimae C. H. partes anatomice deſcriptae reperiuntur, v. g. anatome oculi, deſcriptio peritonaei, epiploi & inteſtinorum, teſticulorum itidem vaſorumque ſpermaticorum, nec non veſicae urinariae ipſiusq; penis. Agitur quoque de numero oſſium, & ſceleti humani figura, ex *Veſalio* tamen petita exhibetur, tandemque venae, quae ſecari ſolent, ſimul cum figura venarum cutanearum, per anteriora corporis diſſeminatarum, deſcribuntur.

§. CCLXXII.

Supereſt *Thomas Vicarius*, *Londinenſis* proto-chirurgus in noſocomio S. Bartholomaei, de quo *Douglaſſius* praedicat, quod *anatomica* anglico idiomate primus omnium conſcripſerit.

§. CCLXXIII.

Ex *Belgis* huc referimus *Adrianum Junium* & *Chriſtopherum Plantinum*. Prior *nomenclatore* omnium rerum, propria nomina, variis lingvis explicata, indicante ſatis innotuit, in quo etiam primo ſtatim titulo de humani corporis partibus egit. Poſterior vero, *Plantinus* nempe Antwerpienſis, ob tabulas anatomicas *Valverdae*, quas magna non minus induſtria quam artificio ſculpi curavit, in hoc ſcripti genere ſuum tuetur locum.

§. CCLXXIV.

Ejusdem nationis ſunt *Jacobus Bordingus*, Antwerpianus & *Balduinus Ronſaeus*, Gandenſis. *Ille* medicam artem in academia *Hafnienſi* publice profeſſus ſimulque archiatri munere apud *Chriſtianum* III. Regem Daniae eſt perfunctus. Ana-

tome ejus primum *Helmstadii* seorsim fuit evulgata, deinde vero junctim physiologiae nomine a *Levino Batto* edita. *Hic* vero in *centonibus*, ut ipse vocat, de *vitae humanae primordiis* nonnulla immiscuit, quae *anatomen* concernunt, uti sunt vasa seminaria utriusque sexus, situs vulvae & pauca alia de semine & formatione foetus, quae tamen, stricte loquendo, *physiologici* potius quam *anatomici* sunt argumenti.

§. CCLXXV.

Ex *Hungaris* solus est *Johannes Jessenius a Jessen*, qui in *historia anatomes* ideo aliquem sibi locum vindicat, quod anatomiam Pragae, cujus quippe academiae Cancellarius fuit, a. 1600. solemniter a se administratam descripsit ac publicae luci exposuit, cui ejusdem tractatus de ossibus accessit. Similiter *Andreae Vasalii* anatomicarum observationum examen in publicum produxit. Ei tamen jungendus est *Petrus Mon*, Lascovio-Hungarus, qui de homine, magno illo in rerum natura miraculo & partibus ejus essentialibus egit, & quidem duobus libris, in quorum primo de anima rationali, in altero vero de corpore hominis tractavit, quae tamen omnia a scopo medico sunt paulo alieniora.

§. CCLXXVI.

Germanis nostris, quorum in *historia anatomiae* nullam fecimus mentionem, adnumeramus adhuc *Conradum Gesnerum*, *Joachimum Camerarium*, *Henricum Paxmannum*, *Matthiam Dresserum*, *Melchiorem Sebizium*, *Christopherum Meurerum*, *Georgium Grasseccium*, *Hectorem Sclanovium*, *Davidem Herlicium* aliosque plures ordine nunc recensendos.

§. CCLXXVII.

Conradus Gesnerus, Tigurinus Helvetius, ob historiam animalium

nimalium, quam concinnavit, eruditis omnibus notiſſimus, quem propterea *Douglaſſius* polyhiſtorem eximium, Germaniae lumen & decus Helvetiae adpellat, ex profeſſo quidem anatomica non ſcripſit, interea tamen in *epiſtolis* ſuis *medicinalibus* non pauca hinc inde occurrunt, quae ſecandi artem ſpectant. Simile de *Joachimo Camerario*, Pabepurgenſi, ferendum eſt judicium, qui quippe alio nomine hic non commemoratur, quam quod in *commentariis* ſuis graecae & latinae linguae nomina, quibus partes H. C. adpellari ſolent, diligenter evolverit.

§. CCLXXVIII.

Similiter *Henricus Paxmannus* ob propoſitiones de partibus H. C. notus eſt. Et *Leonardus Thurneiſſerus*, Baſileenſis, non tam ob peritiam anatomicam, quam potius ob ſcientiam herbarum celebritatem eſt adſecutus. Interea tamen picturae & icones partium omnium H. C. externarum aeque ac internarum ad vivum artificioſe expreſſae una cum hiſtoria plantarum illius opera in publicum prodiêre.

§. CCLXXIX.

In eodem argumento, partibus nempe C. H. deſcribendis *Matthaeus Dreſſerus*, Erphordienſis, occupatus fuit. At *Melchior Sebizius*, Argentinenſis, qui, poſtquam raro exemplo in 27. academiis curſum ſuum medicum proſecutus eſt tandemque abſolvit, parentis ſui in profeſſoria dignitate ſucceſſor in univerſitate Argentinenſi dignisſimus conſtitutus eſt, cui etiam exemplo longe rariori, integros 62. annos laudabiliter praefuit, &, quod rarisſimum omnium, nulla unquam valetudinis interpellatione turbatus eſt. Habuit disſertationes IV. de *dentibus*, & exercitationibus ejus acceſſerunt diſſertationes quaedam de diſcrimine corporis virilis & mulie-

muliebris, nec non de notis virginitatis. Denique in prodromo examinis vulnerum descriptionem structurae atque compositionis singularum C. H. partium praemittit, quarum adfectus dicto in examine explicuit.

§. CCLXXX.

At vero *Johannes Albertus Sebizius*, in disputatione quadam publica ad ventilandum proposita problemata quaedam anatomica, respondente *Hainzel* Argentorati 1662. exhibuit.

§. CCLXXXI.

Hos inter singularem considerationem meretur *Georgii Bartischii*, ocularii Conisbergensis ὀφθαλμολογία, quam germanico idiomate in gratiam eorum, qui morbis oculorum curandis sese devoverunt, publici juris fecit. Et ut tanto majorem inde fructum colligere possent, anatomen oculi praemisit. Eandem professionem exercuit quoque *Hieronymus Brunswig*, sive, ut ab aliis scribitur, *Braunswig*, chirurgus Argentoratensis, qui similiter patrio sermone librum chirurgicum evulgavit, qui *anatomen* cum figura sceleti continet.

§. CCLXXXII.

Christophero Meurero, Lipsiensi, nullam aliam ob causam hic locum quendam concedimus, quam quia orationem de anatomia *Lipsiae* habuit. *Georgio* vero *Grasseccio*, Argentinensi, illum ideo denegare non possumus, quod suo in examine τȢ μικροκόσμȢ θεάτρȢ fabricam H. C. & masculum quidem praesentantem, ejusque praecipue partes tam externas & internas quam similares & dissimilares affabre τῇ αὐτοψίᾳ exhibuit, una cum icone masculi hominis dissecti, seorsim expressa.

CCLXXXIII.

§. CCLXXXIII.

Michaël Poll ſtructuram *ανθροπολογικην* ſive *σωματολογικην*, quam ex optimis quibusque phyſiologis & peritisſimis anatomicis apte conſtruxit, in medicinae ſtudioſorum gratiam publici juris fecit.

§. CCLXXXIV.

Jungimus huic *Hectorem Sclanovium*, qui *diaſcepſin anatomicam* de *vaſis umbilicalibus* & *ſecundinis* una cum *προσθηκη θεραπευτικη* ſecundinarum retentarum publico exhibuit.

§. CCLXXXV.

Ut vero, quid in hoc opuſculo praeſtiterit *auctor*, diſtinctius pateat, ſciendum eſt, octo capitibus illud conſtare, in quorum *primo*, *ſecundo* ac *tertio* de methodo hujus *διασκεψεως*, deinde de hiſtoria vaſorum umbilicalium ac denique de actionibus & vitalitatibus horum vaſorum agitur. Subjuncta ſunt quatuor problemata de ſitu umbilici, de vaſorum umbilicalium exortu & quae urachi in foetu humano ſit utilitas, nec non cur vaſa umbilicalia ſint contorta? Et num contorſio haec ſanguinis impediat tranſitum?

§. CCLXXXVI.

Capite *quarto* hiſtoriam ſecundinarum ſiſtit & in *quinto* de actionibus & vitalitatibus ſecundinarum agit, & problemate adnexo de infantum recens natorum galea & laqueo differit. Capite *ſexto* & *ſeptimo* cotyledones earundemque utilitates varias exponit, ſubjunctis aliquot problematibus de iisdem cotyledonibus, ac denique caput *octavum* *προσθηκην θεραπευτικην* continet.

§. CCLXXXVII.

Theodorus Caelicus, artium & medicinae Doctor a. 1572.

 brevem

brevem deſcriptionem corporis humani, diſcentibus admodum utilem *Wittebergæ* evulgavit, quae quidem genio temporis, quo vixit, eſt adcommodata: Ita tamen, ut non omnia temere ſint contemnenda.

§. CCLXXXVIII.

Diſtinxit opuſculum ſuum duas in partes, in quarum *prima*, praemiſſa membrorum homogeneorum, *cutis*, *pingvedinis*, *carnis*, *muſculi*, *nervi*, *ligamentorum*, *chordae*, *venarum*, *arteriarum*, *oſſium* & *cartilaginum* deſcriptione, de contentis capitis, pectoris & abdominis ſeorſim tractat, nullum certe alium in finem, quam ut *parte ſecunda ea*, quae *conſilia morborum a capite ad calcem* ſuppeditant, rectius intelligantur; Quae tamen prolixius diſcutere, non eſt hujus loci.

§. CCLXXXIX.

Pertinet huc *David Herlicius*, Cicenſis, qui de cura gravidarum, puerperarum & infantium tractatum evulgavit, in quo ſimul de materia nec non de formatione & nutritione foetus egit, quod argumentum partim *anatomicum*, partim *phyſiologicum* eſt.

§. CCXC.

Jacobus Schillingius & *Henricus Sigiſmundus* hujus quoque loci ſunt; *Ille* enim *Jacobus*, Winchemio-Francus, de natura oculorum tractatum germanico idiomate emiſit, in quo omnia viſionis organa ample deſcribuntur, & figuris ligno inciſis illuſtrantur: *Hic* vero auctor eſt diſcurſus phyſiologico-anatomici de microcoſmi miſeria & perfectionis excellentia. Reliquit inſuper tractatum oſteologicum ſeu oſteologiam microcoſmicam.

§. CCXCI.

Johannes Casparus Helblinus de oculi ſtructura epiſtolam exaravit, quae cum epiſtolis *Guilielmi Fabricii Hildani* exſtat. Et *Chriſtopherus Preibiſius* fabricam C. H. octo diſputationibus comprehenſam, in alma Lipſienſi publice diſcutiendam propoſuit.

§. CCXCII.

Matthias Ludovicus Glandorpius, Colonienſis, diſcipulus *Adriani Spigelii*, in *ſpeculo chirurgorum*, explicationem partis adfectae anatomicam, ut decebat, ſemper praemittit, atque adeo dicto in ſpeculo *cutis, cranii, cerebri, matris, maxillarum, frontis, palpebrarum, oculorum, aurium, labiorum, narium, aſperae arteriae, cordis, diaphragmatis, omenti* & *peritonei* anatome continetur.

§. CCXCIII.

Inter diſputationes medicas varii argumenti, quas *Johannes Jacobus Genathius* collegit, etiam occurrit *Johannis Burgoweri*, Scaphuſini, diſputatio *de corporis humani partibus*, decade ſexta reperiunda. Cui apte jungenda diſputatio *Gregorii Nymmaei*, Wittebergenſis Saxonis, qui profeſſoris anatomes in illa academia munere perfunctus eſt agitque de *vita foetus in utero, qua luculenter demonſtratur, infantem in utero non anima matris, ſed ſua ipſius vita vivere propriasq́ ſuas vitales actiones exercere, &, matre extincta, ſaepe vivum & incolumem ex ejus ventre eximi poſſe; Adeoque a magiſtratu non concedendum, ut vel ulla gravida vita defuncta ſepeliatur, priusquam ex ejus utero foetus exciſus, vel minimum ſectione; an infans adhuc vivus an vero mortuus ſit, exploratum fuerit?* Extat partim ſeorſim, partim cum *Franciſci Plazzoni* libro de partibus generationis.

§. CCXCIV.

Henrico Hoepffnero tractatum debemus *de signis virginitatis*, qui idem etiam de *observationibus quibusdam anatomicis* epistolam scripsit. Et *Johannes Schenckius*, Grafenbergensis, in observationibus suis medicinalibus, quae omnium manibus teruntur, multa quoque anatomen concernentia, est complexus.

§. CCXCV.

Agmen claudat par virorum omni eruditionis genere clarissimorum, *Thomas* nempe *Reinesius*, Gothanus, & *Daniel Sennertus*, Uratislaviensis. Quod *priorem* attinet, multam is quidem celebritatem & famam non solum *variarum lectionum* libris, sed epistolis ad Nesteros, patrem aeque ac filium perscriptis, est consecutus; Sed ejus tamen rei gratia hic a nobis non commemoratur, sed quod observationem plane singularem de *vasis umbilicalibus* eorumque ruptura reliquerit. Quoad *posteriorem* vero, satis constat inter omnes, quod in prolixis suis operibus, quae practica sunt, rerum ad anatomen spectantium rarius meminerit: Negari tamen interea nequit, quod in institutionibus, quae seorsim editae sunt, hinc inde non pauca anatomen spectantia legantur.

§. CCXCVI.

Unicum adhuc recensere liceat *Paracelsum*, antequam ad scriptores anatomicos seculi decimi sexti transitus fiat. Accusatur is, quod artis secandi penitus imperitus & ignarus fuerit. A *Freindio* homo *illiteratus* & *fanaticus* vocatur; Quae judicia cum grano salis accipienda esse puto. Equidem, si ingenue fatendum, quod res est, pauca in scriptis *Paracelsi* anatomes vel ruditer saltem excultae vestigia reperiuntur:

Ideo

Ideo tamen non ſtatim concludendum eſt, ipſum eandem contemtui plane habuiſſe. Satis agnovit is, anatomen medico ſumme neceſſariam eſſe; Ejus enim ope detectos eſſe vermes in cerebro; Proinde meminit vermis ibi inventi, qui duram pariter ac piam matrem perforaverit, unde phreniti-dis originem derivavit. Concedit porro, anatomes beneficio innotuiſſe Venetiis, tres lapillos in ventriculo eſſe repertos; Uſneam ſuper duram & piam matrem, lutoſam item vel lapideam materiam in orificio ventriculi, & uſneam in inteſtinis detectam eſſe &c. Fatetur quoque, ex anatomia artem medicam comprobari ac confirmari. Quibus tamen nihil obſtantibus, vehementer etiam diſputat contra anatomiam pſeudo-medicorum, ad quam claſſem ipſam plane *Galeni* anatomen reducere nullus dubitat, quam quippe vanam atque bachanticam doctrinam adpellat. Similiter anatomen cadaverum humanorum inſufficientem eſſe declarat. Quid vero ipſe hac in arte praeſtiterit, anatome oculi ſpeciminis loco eſſe poteſt. Reliqua enim, cum ejusdem propemodum indolis ſint, jure omni ſicco pede praetereo.

§. CCXCVII.

Quamvis autem, quae hucusque de ſcriptis anatomicis ſeculi decimi quinti enarravimus, ſint utique omni encomio digna, utpote praecedentium temporum ſcriptores multis paraſangis ſuperantia: Nullo tamen modo comparanda ſunt edocumatis ſcriptis, quae in hoc genere ſeculo proxime elapſo Anatomici Germani cum exteris certatim in lucem publicam produxerunt. Si enim in ſolis Germanorum operibus recenſendis noſtram locare vellemus operam, abunde haberemus, unde integram Bibliothecam anatomicam

erigere integrum esset. Quia vero consultius esse judicamus, ordini semel coepto constanter inhaerere, plenioremque scriptorum anatomicorum historiam exhibere: Hinc modestiae gratia dicendi rursus initium faciemus ab *Italis* & *Hispanis*, transituri inde ad *Gallos*, *Anglos*, *Danos*, *Suecos*, & ultimum denique locum *Germanis* nostris reservaturi, quamvis, si rem ex aequo aestimare vellemus, primum fortassis jure mererentur.

§. CCXCVIII.

Itaque inter Italos circa initium statim seculi non levem sibi famam comparavit *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, a patria ita cognominatus, quia *Aquapendente*, oppido Italiae natus est. Praeceptorem habuit *Fallopium*, cui etiam in Professione chirurgica in academia *Patavina* successit, in qua per integros 50. annos professioni anatomico-chirurgicae praefuit. Primus in theatro anatomico recens tunc exstructo anatomias publicas administravit, a Senatu Veneto mille coronatorum stipendio ad id conductus. Propter singularia sua merita, quibus rempublicam sibi devinxit, Eques D. Marci creatus est & catena aurea magni pretii donatus. Secuit non solum corpora humana sed & brutorum animantium, quo ipso & aliis exemplum praebuit similia tentandi, potissimum in academiis Germaniae, ubi rarissime cadavera humana secanda quondam obtingebant. Scripsit etiam varia opera anatomica, de instrumentis loquelae, de ostiolis seu valvulis venarum, quas si primus non detexit, ad minimum multum perfecit, quicquid ad earum notitiam pertinet, de instrumentis respirationis, de articulationibus ossium, de gula, ventriculo & intestinis, de artificio musculi, de integumentis totius animalis aliaque ad anatomiam spectantia. Integra ejus

ejus opera anatomico-physica *Patavii* prodiere splendida plane atque magnifica forma, nempe charta regali, literis non solum majusculis, sed & figuris nitidissimis. Obiit *Patavii* anno 1619. cum aetatem suam produxisset ad annum octogesimum secundum, ad quam longaevitatem fertur pervenisse prudenti usu aloes rosatae, quam invenisse & subinde adhibuisse dicitur.

§. CCXCIX.

Ejusdem discipulus & temporis successu plane aemulus, *Julius Casserius*, Placentinus, non minore secandi peritia clarus fuit. Natus est *Placentiae*, unde *Placentinus* dictus: Cum enim ex humili familia prodiisset, paupertate pressus famulatui *Aquapendentis* sese tradidit, ex famulo deinde discipulus, ex discipulo aemulus tandemque successor in professione anatomica & chirurgica *Patavii* factus est. Edidit tabulas anatomicas, omnes novas nec antehac visas, quae anatomiae novae titulo prodiit, & adcuratam organorum sensilium tam humanorum quam animalium brutorum & delineationem & descriptionem exhibet, speciatim vero de organis vocis auditusque & oculorum agitur. Tabulas istas tam editas quam non editas *Daniel Bucretius* ab interitu vindicavit, easque cum Spigelii libro anatomico aeri incidendas curavit, suisque interpretationibus illustravit.

§. CCC.

Posthaec vero eaedem *Placentini* ut & *Danielis Bucretii* tabulae anatomicae una cum necessaria earundem explicatione nec non *Adriani Spigelii* instructione de foetu in utero matris, ex latino in germanicum sermonem versae, prodierunt studio *Simonis Pauli*, anat. & chirurg. P.P. in Academia Regia *Haffniensi* una cum appendice de origine, incrementis & pro-

& progreſſibus ſummaque utilitate anatomiae. Reviſit tandem ſuisque additamentis & obſervationibus, oſteologiam praecipue & myologiam concernentibus locupletavit *Johannes Jacobus Fickius*, Med. D. ejusdemq; in Academia Jenenſi P. P. orbi medico ſatis ob indefeſſam operam notus, quam in erudiendis philiatris comprobavit. In quibus tamen verſionibus in vernaculam noſtram id cumprimis deſidero, quod, dum quam maxime laborarunt terminos artis anatomicae technicos germanice reddere, rem ipſam ſaepius magis obſcuraverint, quam illuſtraverint: Qua tamen in re peritos artis ſibi facile conſulturos ſperamus.

§. CCCI.

Johannes Baptiſta Corteſius varia etiam anatomica edidit in miſcellaneis ſuis medicinalibus, quae lucem hanc adſpexere Meſſinae anno 1625.

§. CCCII.

Aemilius Pariſanus, Romanus, nobilium exercitationum anatomicarum libros XII. ſcripſit.

§. CCCIII.

Julius Jaſolinus, in Gymnaſio *Neapolitano* anatomiae & chirurgiae Profeſſor, utramque ſibi demandatam ſpartam optime excoluit: Scripta vero non admodum multa reliquit, praeter quaeſtiones anatomicas & oſteologiam parvam. Poſſunt etiam aliqua ejusdem legi in collegio anatomico trium clariſſimorum virorum, *Severini*, *Jaſolini* & *Cabrolii*.

§. CCCIV.

In publicum prodiit dictum collegium Francofurti A. M. DCLXIIX. apud *Hermannum a Sande*, cujus praecipua conten-

contenta, quod historia in anatomiae neglectum est, hic exhibere, Lectori forte non erit ingratum. Primum locum occupant *Julii Jasolini*, Locri, medici *Hipponiatae*, quaestiones anatomicae & osteologia parva. In illis duae discutiuntur quaestiones de adipe cordis, in quarum prima, quid per adipem & pingvedinem intelligi debeat, inquiritur & utrumq; humanis in corporibus reperiri, evincitur; In secunda vero adipem, non pingvedinem in corde contineri, ostenditur tandemque probatur, adipem, ratione praecipue materiae, naturae providentia gigni, adjecto simul usu, quem a nemine hucusque excogitatum esse exstimat, quique in eo consistat, ut in ingentibus caloribus, inediis ac frequentibus exercitationibus deserviat. In tertia de aqua pericardii agitur, & primum quidem in ejus originem & substantiam inquiritur, &, refutata *Curtii* sententia, multa nova traduntur. In *osteologia parva* non modo mutua ossium humani corporis compositio ex nuda *Galeni* sententia recensetur, sed illa etiam tanquam caeteris verior ab *Ingrassia* (quem magnum vocat) interprete demonstratur, obscuriora ossium nomina enucleantur, *Galeni* opinio de ἐπιφυσιος usu contra *Vesalium* & *Fallopium* defenditur & ossium numerus ad ungvem enarratur.

§. CCCV.

His adjiciuntur ejusdem *Jasolini* nova observata de poris choledochis & vesicula fellea pro *Galeni* sententia adversus anatomicos neotericos, ubi primum *Gabrielis Fallopii* sententia de poris choledochis nec non ejusdem ut & aliorum anatomicorum lapsus deteguntur, deinde vera *Galeni* sententia adversus *Vesalium*, *Fallopium* aliosque anatomicos adse-

ritur, novus uſus amplioris meatus ab hepate ad duodenum panditur, rationeque & experientia probatur.

§. CCCVI.

Proximum in hocce collegio anatomico locum merito concedimus *Marco Aurelio Severino*, Thurio; Honori enim merito cedit *Jaſolino*, quod diſcipulum habuerit celeberrimum hunc Italiae chirurgum, cujus memoriam hodieque venerantur iſtarum regionum & aliarum quarumcunq; artifices. Perfunctus eſt *Severinus* noſter tam anatomiae quam chirurgiae profeſſione publica in Gymnaſio Regio *Neapolitano*, & ſicuti in operationibus chirurgicis exercendis verſatiſſimus fuit, ita anatomiam ſororio ſemper vinculo chirurgiae conjunxit & imprimis *Zootomiam* ſeu vivorum ſectionem ſerio commendavit. Proinde edidit *Zootomiam Democriteam*, h. e. anatomen generalem totius opificii animantium, libris quinque diſtinctam, opus certe, non omibus tantum bonarum artium ſtudioſis, ſed & ipſis Profeſſoribus artis medicae perquam utile. Scripſit vero etiam hiſtoriam anatomicam obſervationemq; medicam eviſcerati corporis, & inprimis quaeſtiones quatuor anatomicas, *primam* nempe de aqua pericardii, *alteram* de adipe cordis, *tertiam* de poris choledochis & *quartam* denique de oſteologia pro *Galeno*. Atque hae ultimae potisſimum ſunt, quae praedicto *collegio anatomico* inſertae deprehenduntur, & quae adcuratiorem recenſionem promerentur.

§. CCCVII.

Initio autem quam ſolemniſſime proteſtatur *Severinus*, ne *Jaſolini*, Praeceptoris ſui, manes, ipſi ſuccenſeant, quod alia inceſſerit via ſuper ea diſceptatione, qua quaeritur, an potulenta omnia ſolemni naturae decreto delabantur ad pulmonem

monem, an vero ad ſtomachum faceſſant? Exiſtimaverat enim *Jaſolinus*, aquam pericardii conflari partim ex ſero quatuor vaſorum cordis, partim ex potulentis per aſperam arteriam lente delapſis; Quam tamen ſententiam *Noſter* confutat, ſuaeque refutationis argumenta a materia, fine, formis medelarum, de lapſu vomicae in aſperam arteriam, crebro tuſſiendi vellicandique motu, ab aſſumptis acidorum, ab irrito naturae labore, a naturae providentia, officio pulmonis, piſciumque bronchiis mutuatur.

§. CCCVIII.

Secunda *Severini* ἐπιδοχὴ directa eſt in *Iulii Jaſolini* quaeſtionem de adipe cordis, ubi ejusdem negligentiam in eo notat, quod materiam illius adipis calore ſubigi atque compingi voluerit. Epidocha *tertia* perſtringit ejusdem *Iaſolini* quaeſtionem anatomicam de poris choledochis. In oſteologia denique capite *primo* agitur de ejusdem dignitate ac neceſſitate ad univerſam anatomen, in *ſecundo* de natura, generatione & cauſis oſſium, in *tertio* de partibus & quibusdam eorum appellationibus, in *quarto* & *quinto* de differentiis, compoſitione & ſyntaxi oſſium.

§. CCCIX.

Succedunt *Bartholomaei Cabrolii*, *Monſpelienſis* academiae anatomici chirurgique regii, cui tertium in hoc collegio locum conceſſimus, obſervationes variae, anatomiam potiſſimum concernentes, quarum primariae hae ſunt: Venae portae radices eſſe in inteſtinis, ramos vero in hepate, cujus tamen contrarium omnia anatomicorum theatra perſonuerit, adeo ut unanimi propemodum conſenſu docuerint, radices venae portae eſſe in hepate, ramos vero per meſente-

rium & inteſtina diffundi. Cujus rei contrarium ſuſtinuit *Noſter* multisque tum rationibus tum *Hippocratis* atque *Galeni* auctoritate comprobavit. Convellit etiam communem & hactenus a plerisque receptam ſententiam: *Nervos & patulos eſſe & per cavitatem ſuam ſpiritus animales ad ſenſum & motum in partibus excitandum tranſmittere;* Quod ille efficaciter iterum confutat, demonſtrans, nervos meatu ſenſibus obvio deſtitui, cum ſint duri compactique, maxime cum longius a cerebro abeunt, nec aliud, quo eos a venis arteriisque ſecernamus, occurrit, niſi haec cavitatis carentia: Unde non poteſt ſatis mirari, quid illis in mentem venerit, qui ſpiritum animalem nervis ut canali perferri voluerunt, cum nihil appareat, quod corpori huic tranſitum praebeat; Eo interim non obſtante obſoleta de ſpirituum per nervos influxu fabula in hunc usque diem tyronibus artis ex cathedris academicis denuo inculcatur.

§. CCCX.

Porro vero obſervatione *tertia* multas quidem rationes, auctoritates & experientias allegavit, quibus ſerio teſticulis virilbus vim σπερματοποιητικὴν competere negavit, quarum tamen pleraeque partim efficaciter nihil concludunt, partim manifeſte falſae ſunt. Majorem vero attentionem meretur, quod obſervatione *quarta* allegavit, nervos nimirum opticos non ab anteriori, ſicuti hactenus creditum eſt, ſed a poſteriori cerebri parti naſci; Idque reipſa ſic ſeſe habere, ad ſectionem cadaverum provocando probat. Conſenſum aurium atque laryngis, & cur immiſſo profundius in aurem auriſcalpio, tuſſis excitetur, *obſervatione quinta* ex fundamentis anatomicis ſic demonſtrat: Nervum quinti jugi, cum per anfractus auris oſſi petroſo ſeſe immiſit, priusquam tympani

regionem

regionem pervadat, in duos abire ramos, quorum alter satis magnus, alius admodum exilis existat. Ex magno membranae instar dilatato fieri tympanum; Alium inferiora pervadere & quasi comitem illius, qui ex sexta conjugatione derivetur, inseri propriis laryngis musculis, quorum origo a superiore parte laryngis, insertio in inferiorem: Contra quam est eorum, qui a parte illius inferna orti, superiori implantentur, & nervulos a recurrentibus suscipiant. Denique *observatione sexta* enarrat duo, raritate admodum commendabilia, quae secando deprehendit, quorum primum est: Porum choledochum, alias in ecphysin sese exonerantem, proxime pylorum egressum habuisse, ita ut non minus ventriculo, quam intestinis bilem transmitteret: Quam causam fuisse, ait observator, cur comes *Ausumondianus*, cujus cadaver secuit, saepius nausearet vomeretque, &, quod hinc sequitur, alvi esset durioris. Alterum vero est; Lien, qua mole, quo pondere visendum, quinque amplius libras pependisse, insuperque omnibus, quibus adnecti debuit, ligamentis solutum fuisse, ideoque per totam ventris cavitatem natitasse. Reliquas, utut curiositate eximia sese commendantes *Cabrolii* observationes lubens mitto, inprimis cum suo loco de ejusdem scriptis agendi iterata sese offerat occasio.

§. CCCXI.

Johannes Benedictus Sinibaldus, Leonissanus, *geneanthropiam* scripsit seu de hominis generatione decateuchon; Ubi ex ordine, quaecunque ad humanae generationis liturgiam, ejusdemque principia, organa, tempus, usum, modum, occasionem, voluptatem aliasque omnes affectiones, quae in aphrodisiis accidere quoquo modo solent ac possunt, dedita opera methodice & jucunde pertractantur. Verum, quod

 saepius

ſaepius jam, data occaſione, a me monitum eſt, tota haec tractatio non tam *anatomen*, quam *anthropologiam* illuſtrat.

§. CCCXII.

Franciſcus Platzonus, Patavinus, in ſchola *Pataviana* anatomiae Profeſſor fuit, ediditque libros II. de partibus generationi inſervientibus, quibus omnium ac ſingulorum organorum utriusque ſexus ad generationis opus concurrentium ſtructura, actiones, uſusque perſpicua brevitate explicantur & multa circa eadem problemata enodantur.

§. CCCXIII.

Caſparus Aſellius, Ticinenſis, quem alii Cremonenſem eſſe volunt, primus eſt, qui praecedentis ſeculi anno 1622. vaſa lactea per meſenterium decurrentia detexit & publice demonſtravit, quibus venarum lactearum nomen imponere placuit. Sunt tamen, qui veteribus quoque illarum notitiam vindicare non erubeſcunt, ſpeciatim *Galeno*, qui illas certiſſime quidem animadvertiſſet, ſed pro arteriis habuiſſet, quo proinde errore ſeductus, orificia arteriarum ad inteſtina pertingentium modicum quippiam alimenti recipere, docuiſſet. Neque deſunt, quibus probabile videtur, obſervaſſe illa vaſa etiam ex antiquis *Eraſiſtratum* in hoedis nuper lactatis, aſt cum *Galeno* habuiſſe pro vaſis arterioſis, majori lactis copia repletis. Quidquid vero horum ſit, non poteſt tamen laus iſta *Aſellio* noſtro denegari, quod adcuratius lacteas iſtas venas demonſtraverit & pro peculiaribus vaſis, diſtinctum uſum praeſtantibus, habuerit. Edidit hunc in finem diſſertationem de venis lacteis, quarto vaſorum meſaraicorum genere, noviter invento, qua ſententiae anatomicae multae vel perperam receptae convelluntur vel parum perceptae illuſtrantur.

§. CCCXIV.

§. CCCXIV.

Eſt autem probe notandum, quod harumce venarum lactearum originem, progreſſum & inſertionem, quatuor iconibus ex brutorum tantum ſubjectis repraeſentare fuerit conatus: Nam in homine demonſtrare illas non potuit, imo nequidem voluit, quod inhumanum eſſe judicaverit, hominem viventem ob ſciendi libidinem incidere.

§. CCCXV.

Patavii vixit nobile *Marſchettorum* par, *Petrus atque Dominicus de Marchettis*, quorum ille chirurgica, hic vero anatomica ſcripſit. *Illius* ſuo tempore, *hujus* vero hic facienda eſt mentio. *Dominicus de Marchettis*, Patavinus, *Petri*, Equitis & Profeſſoris filius, in juvenili ſua aetate edidit anatomiam, cui reſponſiones ad *Riolanum*, anatomicum *Pariſienſem* in ipſius animadverſionibus contra *Veslingium* additae ſunt. Neque vero exiſtimandum eſt, anxiis quaeſtionibus phyſiologicis vel pathologicis, quae nonnullorum perverſa conſvetudo eſt, immoratum eſſe *Noſtrum*, qui meram potius anatomen fideliter retulit, & quae in cadaveribus pene innumeris ſummo labore per annos haud paucos obſervavit, aliis communicare peraequum duxit. Ordinem, quem in hoc opere ſervavit, quod ſpectat, ad *Veslingii* methodum is accedit, in qua quippe ventres cum ſuis partibus exacte explicantur, & viſcera, quae putredinem facilius ſentiunt, primis diebus extrahuntur; Ut ſic paucorum dierum intervallo uno in cadavere omnia, quae in corpore reperiuntur, perluſtrari facile queant.

§. CCCXVI.

Hoc ordine agitur primum de integumentis corporis commu-

communibus, ubi contra *Veslingium* & *Spigelium* de cute observat, quod subjectae pingvedini tam arcte adhaereat, ut absque dilaceratione vix inde separari possit. Membranam carnosam seu panniculum carnosum more caeterorum tegumentorum sese habere totumque corpus tegere, suasque arterias, venas & nervos a vicinis partibus mutuari, imo ab ipsis perforari advertit, & contra *Riolanum*, qui membranam carnosam inter ipsam pinguedinem perfusam esse dixerat, notat, tam in obesis, quam etiam in extenuatis membranam dictam a pingvedine sine dilaceratione separari posse, cum sub ipsa pingvedine sita sit, quod & ipsum & alios anatomes Professores pluries docuit experientia..

§. CCCXVII.

Capite interim *secundo* loquitur *Marchettus* de ossibus, musculisque abdominis & peritoneo, *tertio*, *quarto* & *quinto* de omento, ventriculo & intestinis, de mesenterio, pancreate, jecore & liene, nec non de renibus, ureteribus & vesica urinaria: Quibus articulis cunctis non pauca iterum occurrunt, in quibus *Riolanum* reprehendi jure posse existimat: v. g. in curandis fistulis ani dixit *Riolanus*, musculum sphincterem secari totum posse; *Noster* vero sustinet, quod, licet consolidationem ejus in dubium vocare nolit, metuendum tamen sit, ne constringendi facultatem amittat, sicque tales homines involuntarium excrementorum alvinorum effluxum incurrant. Quare scindendum quidem esse sphincterem, concedit, observare tamen jubet artificem chirurgum, ut aliquam saltem portiunculam integram relinquat, ne faeces involuntarie egrediantur. De ductu *Wirsungiano* notat, quod non uno solum foramine intestinum duodenum perforet, sed quod alii ab ipso canales oriantur, qui in cadavere a se fuerint

rint

rint obſervati, quique verſus hepar quidem porrecti, extra pancreas anaſtomoſin ſive plexum fecerint, poſtmodum vero disjuncti ſupra venam portae, & arteriae coeliacae ramum dextrum ad hepar pervenerint, ipſumque ingreſſi ſint. Obſervavit itidem, quod poſtmodum a praedicto ductu alii anguſtiſſimi & exiliſſimi ductus exorti fuerint, qui per meſenterium ſparſi ad inteſtina tenuia pervenerint.

§. CCCXVIII.

Verum progrediamur cum *Marchetto* noſtro ad caput *ſextum* & nonnulla inſequentia, in quibus hiſtoriam partium genitalium tam virilium quam muliebrium exponit, cui deinde hiſtoriam foetus humani adnectit. Capite vero *nono* incipit explicare partes thoracis tam externas quam potiſſimum internas, cor nempe atque pulmones, ubi capite *undecimo* occaſionem capit agendi de vocis, ſermonis atque deglutitionis inſtrumentis, quibus omnibus prolixe declaratis, capite *duodecimo* muſculi ſcapulae, dorſi, colli & capitis enarrantur.

§. CCCXIX.

Hinc ad exponendas partes capitis externas pariter ac internas ſeſe accingit, &, poſteaquam de cerebro atque cerebello ſuccincte egit, ad organorum ſenſoriorum, oculorum, auriumque explicationem ſeſe convertit. A capite vero *decimo ſeptimo* ad finem anatomes uſque in artubus verſatur, & poſtquam oſſa recenſuit, muſculos manuum pedumque, nec non vaſa partium extremarum ſuccincte quidem, attamen valde accurate deſcribit: Quibus in capitibus cunctis non contemnendas hinc inde obſervationes immiſcet.

§. CCCXX.

Hujus generis ſunt: Quod cor conſpexerit tantae molis, ut integrum thoracem occupaverit; Quod ſupra muſculum pſoas ſeu lumbarem alium muſculum, ſed exiliorem invenerit, qui, unde pſoas principio carnoſo ortus, inque medio tendinoſus factus, eandem cum ſuperiori metam attigerit. Proinde notat *Riolanum*, qui hunc muſculum ſolummodo in viris reperiri ſibi falſo perſuaſerit, quem ipſe tamen pluries etiam in foeminis invenerit, & pluribus oſtenderit, cujus quippe uſus ſit, motum ipſius pſoas adjuvare; Quam etiam ob rationem, cum ſupra muſculum pſoas moretur, parvum pſoas eundem adpellari poſſe nullus dubitat. Praeterea & in eo reprehendit *Riolanum*, quod arteriam meſentericam ſuperiorem male omiſerit, aſſerendo, quod arteria coeliaca ramum meſenterio tribuat, cujus tamen rei contrarium & ipſi & aliis intuentibus adparuerit, cum & coeliaca & meſenterica ſuperior duae ſint arteriae, latitudine unius digiti ſeparatae, ab arteria interim magna ambae productae, quarum inferior meſenterica ſuperior nuncupetur. Plura alia ſilentio praetermitto, quae alioquin animadverſione non forent indigna.

§. CCCXXI.

Caeterum reticendum hic non eſt, anatomicum *Marchetti* noſtri opus captui tyronum admodum eſſe adcommodatum, facili quippe ſtylo conſcriptum, atque adeo dignum, quod philiatris in ſcholis praelegatur. Sicuti eodem nomine etiam commendabimus *microcoſmum Johannis van Horne*, cujus quippe explicationem uſibus academicis valde aptam propria experientia ſaepius deprehendimus, poſtquam inprimis novo ornamento, obſervationibus

nibus nempe & adnotationibus *Paulinis*, instructus prodiit *Hornius*. Fuit *Veslingii* in academia Patavina primum coadjutor, post ejusdem vero obitum successor ipsius declaratus, atque adeo anatomiam simul ac chirurgiam summa cum laude ibidem professus est.

§. CCCXXII.

Laurentius Bellinus, Florentinus, observationes anatomicas de structura renum edidit, quae a. 1711. Lugduni Batavorum recusae, iisque renum monstrosorum exempla adjecta sunt. Similiter de organo gustus novissime deprehenso aliquid evulgavit.

§. CCCXXIII.

Ocellus Italiae, & veluti anatomicorum phoenix, uti a non nemine vocatur, *Marcellus Malpighius*, hic etiam commemorandus est, qui plurimorum curiosorum scriptorum editione haud levem excitavit admirationem. Sicuti autem honores indivulsi virtutum comites esse solent: Ita illi abunde *nostro* quoque obtigerunt. Laurea nempe tam in medicina quam philosophia in academia *Bononiensi* patria exornatus, ac deinceps primum *Bononiae*, hinc *Pisis*, tum *Messanae* muneri professorio admotus est; Societati etiam Regiae Anglicanae per transmissum diploma anno 1669. adscriptus, ac summi denique Pontificis Romani, *Innocentii XII.* medicus secretior & cubicularius designatus est. In philosophicis praeceptores habuit *Franciscum Natalem* & *Johannem Alphonsum Borellum*; In medicis vero *Bartholomaeum Massariam* & *Andream Marianum*.

§. CCCXXIV.

Edidit observationes anatomicas de pulmonibus, quae cum *Thomae Bartholini* diatribe de substantia & motu pulmonum exstant, nec non epistolas anatomicas de lingva, cere-

bro, externo tactus organo, omento, pingvedine ductibusq; adiposis; Dissertationem itidem epistolicam de formatione pulli in ovo nec non de vegetatione cornuum, ut & de utero & ovis viviparorum, pariterq; epistolas quasdam circa dissertationem de ovo aliaque ex occasione natá argumenta, ultro citroque scripta, una cum appendice, repetitas auctasque de ovo incubato observationes continente. Et ut anatomen plantarum hac vice mittam, suam quoque operam utilissime collocavit in structura viscerum rimanda & evolvenda: Edidit enim exercitationes anatomicas de viscerum, nominatim pulmonum, hepatis, cerebri corticis lienisq; structura; Quae omnia tandem uno volumine juncta prodiêre.

§. CCCXXV.

In operibus quoque posthumis *Malpighii* non pauca occurrunt, animadversione omni digna. Sic graviter tulisse videtur, succi nervei existentiam apud complures in controversiam vocari, vel saltem ejusdem naturam pariter atque usum diversimode ab auctoribus exponi: Illud saltem hac in re maximum habere momentum ipsi videtur, quod, sectis nervorum extremis, ubi nempe in ultimas solvuntur propagines, succus erumpat. Concedit equidem, in nervis a spinali medulla immediate erumpentibus dictum succum non tam facile occurrere, cum ob mollitiem facile dilacerentur, quam proinde ob rationem solidiores extremosque nervos lustrandos commendat. Neque obstare putat, nervum ligatura facta non turgere, cum lateraliter propagines habeat reticulariter propagatas, in quas idem succus, impedito ulteriori progressu, derivari possit. Accedit, impetum, succo nerveo a cerebro impressum esse langvidum, unde ex quocunque impedimento comprimente & ulteriorem insinuationem

tionem intercipiente, progreſſum impediri, ſiſti & ad latera derivari poſſe exiſtimat. In exercitatione ad *Sponium* peculiare vas, uterum perreptans, primum in vacca detexit, quod deinde etiam in utero vetulae imperforatae obſervavit, ſicq; in ejusdem exiſtentiae veritate confirmatus fuit. *Nuckium*, diligentem alias glandularum ruſpatorem, in eo perſtringit, quod ſtructura glandularum ab ipſo deſcripta non ſolum naturae non conſonet, ſed & quod diminutam eandem exponat.

§. CCCXXVI.

Franciſcus Joſephus Burrhus ad *Thomam Bartholinum* duas ſcripſit epiſtolas de ortu cerebri, uti & de admirando artificio humores oculorum amiſſos vel deſtructos reſtituendi, quod tamen mera ſpeculatione *à priori* niti videtur, quia nemo non animadvertit, ejuſmodi reſtitutionem veram eſſe opus ſolius naturae; Obſervamus enim primo, ejusmodi reſtitutionem humoris oculorum aquei ſine ullis medicamentis ſponte natura ſuccedere, ſicuti in canibus viventibus ejus rei experimentum tota die capi poteſt. Deinde liquores infuſi, uti eſt aqua chelidonii majoris, phlegma vitrioli martis, in quo aurum candens extinctum &c. ejus efficaciae vix eſſe deprehenduntur, ut in ſubſtantiam humori cryſtallino vel aqueo analogam concreſcere valeant. Sed de his alibi dicendi occaſio erit.

§. CCCXXVII.

Carolus Fracaſſatus, medicus & profeſſor *Piſanus*, duas ſcripſit epiſtolas anatomicas, alteram de lingua, alteram de cerebro, quae cum *Malpighii* epiſtolis anatomicis proſtant. De cerebro quoque edidit diſſertationem epiſtolicam reſponſoriam.

§. CCCXXVIII.

Antonius Molinettus, medicus & anatomicus *Patavinus*, ſcripſit diſſertationes anatomicas de ſenſibus eorumque organis, item diſſertationes anatomico-pathologicas, quibus partes H. C. adcuratiſſime deſcribuntur, morbique ſingulas divexantes explicantur.

§. CCCXXIX.

Johannes Baptiſta Verle orbi anatomico exhibuit anatomiam oculi artificialem, inventam & recens fabricatam a dicto auctore, quod opuſculum deinde ex italico in latinum ſermonem translatum eſt.

§. CCCXXX.

Joſephus Zambeccarus ſcripſit experimenta circa diverſa e variis animantibus viventibus exſecta viſcera. Et *Johannes Guilielmus Riva*, anatomicus Romanus, & *Chiſianae* quondam legationis in Galliam Regis Chriſtianiſſimi & Pontificis *Clementis IX.* Chirurgus ad ſocietatem naturae curioſorum dedit duas obſervationes, quarum altera concernit reſtitutionem humorum oculi, altera vero triplex experimentum transfuſionis ſanguinis: Sed de his alibi agemus.

§. CCCXXXI.

Johannes Colle, Italus, *Beluni* in Italia uſura lucis hujus frui coepit, qui, poſtquam abſolutis ſtudiis ſuis in Academia *Patavina* Doctoris in medicina titulum honoresque impetraverat, in celeberrima *Venetorum* Republica medicinam practicam exercere coepit, ubi fama ejus tam late diſſeminata fuit, ut a *Franciſco Maria II. Urbini* Duce, proto-medicus & nobilis a cubiculo, adſignato annuo honorario 500. ducatorum, renunciatus fuerit. Tandem aulae valedixit otioque academi-

academico uti maluit; Ac proinde in cathedra medica ſucceſſit *Roderico Fonſecae*, inque academia *Patavina* profeſſionem ſumma cum laude ſuſtinuit. Scripſit elucidarium anatomicum, quod cum reliquis ejusdem tractatibus exſtat.

§. CCCXXXII.

Hippolytus Boſcus, Ferrarienſis, perbreves ſcripſit lectiones de facultate anatomica una cum quibusdam obſervationibus.

§. CCCXXXIII.

Joſephus Lanzonus, medicinae Doctor Ferrarienſis, edidit animadverſiones varias ad medicinam, anatomiam atque chirurgiam maxime ſpectantes, inter quas praeſertim attentiorem penſitationem meretur illa, in qua vaſa chylifera in cane a ductu thoracico verſus pectus & abdomen propagata & diſtributa adnotantur, quae filo intercepta inter ductum thoracicum & ligaturam, neutiquam vero inter hanc & partem pectoris intumuerunt. Curioſiori proinde indagine haec res digna nobis eſſe videtur, ut tandem phyſiologis rectius innoteſcat, an lac in mammis muliebribus ſecernatur in glandulis a ſanguine arterioſo, ſicuti plerisque hactenus viſum eſt, an vero potius chylus immediate per ramulos lactiferos eo deferatur, uti pariter nonnulli adſtruere conati ſunt, oculari vero demonſtratione deſtituti apud omes aequalem adplauſum non invenerunt? Anno hujus, in quo vivimus, ſeculi 1702. exercitatio medico-anatomica de ſaliva humana lucem adſpexit, quae neutiquam pure *phyſiologica* eſt, ſed in qua glandularum ductuumque ſalivalium natura ſedulo expoſita eſt.

§. CCCXXXIV.

§. CCCXXXIV.

Leal Lealis, olim *Xenodochii B. Francisci Patavii Chirurgus ordinarius*, poſtea vero chirurgicae artis *Profeſſor in academia Patavina*, ſcripſit epiſtolam de partibus ſemen conficientibus in viro, ad *Dominicum de Marchettis*, in qua obſervationes ſuas ex crebriori cadaverum humanorum ſectione hauſtas libere communicavit, &, quantum *Regneri de Graeff* antehac editis obſervationibus circa ſtructuram partium genitalium vel conformes eſſent vel ab iisdem recederent, vel confirmavit vel diſſenſum pro candore ſuo non diſſimulavit. Speciatim in eo recedit a *Graeffio*, quod adſerat, arteriam ſpermaticam ſiniſtram ordinarie non ex trunco aörtae, ſed emulgente oriri. Negat inſuper, arterias has recto ductu, ſicuti adſeverat *Graeffius*, ad teſticulos abire, & per ipſam potius autopſiam anatomicam oſtendit anaſtomoſes inter arterias & venas ſpermaticas, tanquam ſingulari experimento conſpicuas, cujus tamen rei fides ſit penes Auctorem. Meatum *Highmori* ſub nomine corporis olorini, quem *Graeffius* tantum pro membrana vaſa ſuffulciente habuit, quemque in omnibus animalium teſticulis reperiri adſeruit, & quidem pervium, ſimiliter adſtruit. Denique etiam veſicularum ſeminalium ſtructuram exhibuit, & unicum tantum eſſe canalem inteſtinulo haud diſſimilem demonſtravit, qui ſaltem per varios anfractus, juvante membrana, in unum collectus, figuram racemi prae ſe ferat, ſicque confutavit hypotheſin hactenus receptam, veſiculas nempe ſeminales variis inſtructas eſſe cellulis, quae racematim quaſi inter ſe diſpoſitae ſint, ſicut celluloſas iſtas cavitates video etiam agnoſcere clariſſimum *Verheyenium*, ita tamen, ut eam omnes inter ſe conjunctionem habeant, ut, inflata una, omnes intumeſcant.

§. CCCXXXV.

§. CCCXXXV.

Antonius Paschioni, Regiensis Italus, philosophus simul atque medicus, disquisitionem edidit anatomicam de fabrica & usu durae meningis, in qua rationem ac vim musculosam atque adeo ingentem energiam eidem adscribit. Ut vero majorem inveniret adplausum, Pontificis maximi *Clementis XI.* intimo cubiculario & medico a secretis, archiatro collegiali nec non in Romano archi-lyceo publico medicinae practicae Professori D. *Johanni Mariae Lancisio* dedicavit. Subjunxit calci ipsius operis observationes anatomico-practicas, ad durae meningis usum roborandum spectantes. Ut vero in toto opere de durae meningis fabrica nihil intactum relinqueret, edidit etiam dissertationem epistolarem de glandulis conglobatis durae meningis humanae, indeque ortis vasis lymphaticis ad piam meningem productis, ad virum Clariss. *Lucam Schroeckium*, *Caesareo-Leopoldinae naturae curiosorum academiae praesidem.* Licet enim *Nuckius* vasorum lymphaticorum & consequenter glandularum conglobatarum existentiam in meningibus diserte negaverit, imo & ipse *Malpighius*, felicissimus alioquin glandularum detector & ruspator, de glandulis durae meningis conglobatis nihil communicaverit, noster tamen in sinu longitudinali immediate sub membranosis expansionibus in areolis chordarum *Willisianarum* quin & supra easdem pene innumeras glandulas conglobatas, subrotundas, propria ac tenuissima membrana veluti in sacculo conclusas, sibi detexisse visus est: In sinubus vero lateralibus vel nunquam vel raro admodum talium glandularum vestigia animadvertit. Denique ut plenissima luce radiaret hoc argumentum, binas adhuc dissertationes ad virum spectatissimum, D. *Johannem Fantonum* dedit una cum ejusdem

responsione, quae illustrandis durae matris ejusque glandularum structurae atque usibus sunt concinnatae.

§. CCCXXXVI.

Alexander Pascolus, Perusinus, medicinae Doctor ejusdemq; in academia patria professor publicus, edidit lingva italica corporis humani brevem historiam, in qua nova atque succincta methodo omnia ejus organa & principales eorundem functiones delineavit, ita nempe, ut modo plerisque anatomicis contrario a descriptione partium internarum ad exteriorum periphericarum notitiam sensim progrediatur. Postquam enim priore libro organorum omnium descriptionem praemisit, posteriore eorundem functiones subjunxit, non tamen ex sua ubique hypothesi, verum potius in descriptione organorum & partium premit vestigia *Thomae Bartholini*, *Isbrandi a Diemerbroek*, *Stephani Blancardi*, *Raymundi Vieussenii* aliorumque, ex quibus, uti ipsemet in praefatione testatur, figuras quoque pro illustratione operi adjectas mutuatus est: De functionibus vero partium ratiocinatus est ad mentem *Borelli*, *Malpighii*, *Bellini*, *Rhedi*, aliorumque in arte celebrium virorum.

§. CCCXXXVII.

Antonius Maria Valsalva, Imolensis, philosophiae ac medicinae Doctor, inque *Bononiensi* universitate anatomiae professor & nosocomii incurabilium chirurgus fuit. Hic quamvis non ignoraret, in structura auris humanae investiganda laudabilem jam locasse operam clarissimos alios anatomicos, multa tamen adhuc in exquisitissimo tali organo investiganda latere existimavit: Quare adhuc penitius structuram auris humanae perlustrandam & evolvendam sibi sumsit, ac proinde tractatum de aure humana concinnavit,

in

in quo integram ejus fabricam, multis *novis inventis* & iconismis illustratam descripsit, omniumque auris partium usum indagavit, quibus detectionibus etiam interposita est ductus salivalis, uti & musculorum uvulae & pharyngis nova descriptio atque delineatio, in qua ea, quae ab aliis omissa fuere, supplentur & in lucem protrahuntur. Concernunt vero *nova*, quae in aure humana detexit, glandulas sebaceas, glandulam tragi, veram meatus auditorii figuram & incessum, corpus reticulare glandularum ceruminosarum meatus auditorii, venas auris, a peculiari vena occipitali oriundas, tubae *Eustachii* legitimam conformationem & alia complura.

§. CCCXXXVIII.

Agmen claudat *Paulus Franciscus Pallierius*, philosophus ac medicus *Genuensis*, qui *disquisitionem medico-anatomicam*, multis novis refertam, de vera lactis genesi & usu cum orbe medico communicavit. Ex mixtorum itaque genere est scriptum hoc, cum non pura *physiologica* sed & insuper *anatomica* in se comprehendat.

§. CCCXXXIX.

Ast relictis *Italis*, transitum facimus ad scriptores hujus seculi *Gallos*, inter quos primum merito locum tribuimus *Johanni Riolano*, patri pariter atque filio. Pater enim similiter anatomiam edidit, quae in operibus ejus exstat: Filius vero, *Johannes Riolanus*, Parisiensis, consiliarius medicus regum Galliae, *Henrici* Magni & *Ludovici* XIII. cui etiam *anthropographiam* suam dedicavit, insuper anatomiae atque botanices in academia Parisiensi professor regius fuit. Quid in re anatomica praestiterit, non aliunde rectius colligi potest, quam ex propria commendatione, philautiam tamen undique spirante, qua scripta sua reliquis

 omnibus

omnibus ad invidiam usque anteponere non dubitat. Protestatur enim, se novam hominis (microcosmi) descriptionem non ex aliorum relatione, sed oculatis manibus, quae credunt, quod vident, diligenter elaborasse. Alibi gloriatur, se reliquis anatomicis perspicaciorem & diligentiorem, vidisse, quod coeteri videre non potuerunt. A multis quidem corpus humanum dissectum & descriptum esse, a nemine vero (citra fastum tamen & arrogantiam) tam accurate sectum & descriptum esse, quam suis (Riolani) laboribus factum esset: Quibus verbis nimis magnifice sensisse videtur de opere suo, tanquam supra coeteros anatomicos omnes elaborato. Caeterum scripsit anthrographiam & osteologiam, scholam itidem anatomicam, novis & raris observationibus illustratam, encheiridion anatomicum, variaque opuscula anatomica nova, v. g. animadversiones in historiam anatomicam *Andreae Laurentii*, in theatrum anatomicum *Caspari Bauhini*, in librum anatomicum de fabrica humana *Hadriani Spilegii*, ad institutiones anatomicas *Caspari Bartholini*, ad anatomica *Caspari Hoffmanni*, in syntagma anatomicum *Johannis Veslingii*, de quibus alibi dicendi recurret occasio. Scripsit etiam explanationes apologeticas pro *Galeno* adversus novitios & novatores anatomicos. In singulis hisce scriptis multas proponit partim opiniones sibi proprias, partim novas detectiones, quas pro inventis suis haberi voluit, cujus generis sunt: Omentum esse conceptaculum sordium lienis & hepatis: Intra urethram supra carunculam, extremitates vasorum ejaculantium claudentem, esse membranulam circumtensam instar valvulae cujusdam, ad orificium colli vesicae sitam, quae seminis refluxum in vesicam prohibeat. Anastomosin per foramen ovale fere semper in hominibus adultis apertam manere. De tunicis testiculorum

culorum novam eo tempore propoſuit doctrinam, ad quinarium numerum eas reducendo, & duas *communes*, reliquas *proprias* vocando. Communium primam *ſcrotum*, alteram *darton* adpellavit. Ex propriis primam *erythroidem*, cremaſteris explicationem, alteram *elythroidem*, peritonei productionem, & tertiam *albugineam*, teſticulum immediate ſuccingentem, vocavit. In vena azygos valvulas ſibi detexiſſe viſus eſt intro-foras ſpectantes. Lineam albam primus negavit, dicens, eam pure imaginariam eſſe, quae ſcilicet a cartilagine enſiformi ſterni, per medium abdominis ad os pubis usque excurrit, & ex concurſu tendinum, qui ex muſculis abdominis eo mittuntur, oritur. Sed gravis eſt cenſura, quam addit *Diemerbroekius*, iſtam *Riolani* ſententiam recenſens, eum nempe prae ſenio coecutientem lineam iſtam amplius videre non potuiſſe. Novam quoque ſententiam de circulatione ſanguinis introducere conatus eſt, a *Slegelio* refutatus, contra quam tamen refutationem *Riolanus* defenſionem ſcripſit, item reſponſionem hujus argumenti ad experimenta nova anatomica *Johannis Pecquetti* adverſus haematoſin in corde, ut chylus hepati reſtituatur, & nova *Riolani* de circulatione ſanguinis doctrina ſarta tectaque conſervetur.

§. CCCXL.

Johannes Chiffletius, Gallus, edidit ſingulares obſervationes ex ſectionibus cadaverum hauſtas.

§. CCCXLI.

Carolus Sponius, chriſtianiſſimi Galliarum regis conſiliarius & archiater, Lugdunenſiumque medicorum collegio adgregatus, heroico carmine deſcripſit myologiam, ſoluto autem ſermone originem & inſertionem muſculorum microcoſmi.

§. CCCXLII.

Johannes Pecquettus Diepaeus, magnam nomini ſuo celebritatem conciliavit, invento receptaculo chyli communi & emergente inde ductu thoracico: Hunc in finem edidit experimenta nova anatomica, quibus incognitum hactenus chyli receptaculum & ab eo per thoracem in ramos usque ſubclavios vaſa lactea deteguntur. Poſthaec publicum quoq; adſpexit diſſertatio de lacteis thoracicis, in qua *Johannis Riolani* reſponſio ad eadem experimenta nova anatomica refutatur & inventis recentibus, *canalis Wurſungici* demonſtratur uſus & lacteum ad mammas a receptaculo iter indigitatur. Usque adeo proceſſit hoc noſtro tempore invidioſum illud contradicendi cacoëthes, ut, quicquid demum novi in publicum producatur, mox ab aliis proculcetur, contemnatur & jam in trivium vel antiquiſſimis temporibus notum fuiſſe, aliis perſuadeatur. Hinc non deſunt, qui ductum thoracicum jam *Bartholomaeo Euſtachio*, celebri alioquin anatomico cognitum atque perſpectum fuiſſe, exiſtimant. Sed deſcriptionem ejus, prout libro de vena ſine pari occurrit, legenti, clare ſtatim adparebit, notitiam illam *Euſtachii* admodum adhuc fuiſſe rudem, cum ignorarit verum principium, quod a ſubclavia eſſe dicit, ubi potius finis & inſertio quaerenda; Ignoret identidem veram quoque inſertionem, quam in lumbis quaerit, ubi potius principium eſt. Caeterum ad hunc *Johannem Pecquettum* de vaſis lacteis & receptaculo chyli epiſtolam ſcripſit *Adrianus Auzotius*, quae cum *Syboldi Hemſterhuſii* meſſe aurea proſtat.

§. CCCXLIII.

Bartholomaeus Cabrolius, *Monſpelienſis academiae* anatomicus regius Dominique *Monmorancii* Franciae Conneſtabuli chirurgus, reliquit nobis alphabetum anatomicum, h. e.

elenchum

elenchum adcuratiſſimam anatomes, omnes humani corporis partes ea, qua ſolent ſecari, methodo delineantem, cui acceſſere oſteologia variaeque obſervationes medicis pariter atque chirurgis perutiles. Prodierunt quoque ſeorſim variae obſervationes, quae cum *Severini* & *Jaſolini* opuſculis anatomicis conjunctim editae ſunt, nomine ac titulo collegii anatomici, cujus primaria argumenta ſuperius recenſuimus.

§. CCCXLIV.

Nicolaus Hobokenus, phil. ac med. D. hujusque in academia Gelro-Zütphanica, quae eſt Harderovici P. P. O. a. 1675. poſtquam nonnullos circa examen ſecundinae humanae conatus anatomicos cum publico communicaverat, triennio poſt edidit *anatomiam ſecundinae humanae* repetitam, auctam, roboratam, quam ipſe *foetum, ex foetuum humanorum ſecundinis, per anatomen luſtratis & illuſtratis genitum* adpellitat; Eſt illa quadraginta quatuor figuris, propria auctoris manu delineatis, inſuper exornata, quae praeter noviſſime obſervatam naturam & conſtitutionem, univerſae ſecundinae illius ac partium ſingularum uſum quoque & utilitatem docet. Praemittuntur litterae V. Cl. D. *Henrici Eyſenii* M. D. & Prof. Gröning. cum auctoris reſponſionibus.

§. CCCXLV.

Univerſum hoc examen duabus comprehenſum eſt ſectionibus; In *priore* illarum recenſentur, quae in *ſecundina foetus foeminini* obſervata ſunt; Ubi hunc ſervat ordinem *auctor*, ut I) *placentam* ea parte, qua foetum incluſum ſpectabat, intuitus ſit. II) Deinde oppoſita parte illa, qua continentem uterum maternum reſpexerat, & *convexa* dicitur, eandem

eandem attentius conſpexit, cumque caeteris intimam ejus ſubſtantiam perluſtravit. III) Membranas, foetum ordinarie involventes, omnes ac ſingulas, una atque altera parte inveſtigavit. Denique IV. funem, & quae in eo notatu aliquo modo digna occurrerunt, per repetitam animadverſionem, diligenter adnotavit, puta funis *quantitatem*, *colorem*, *ſuperficiem*, *figurationem* & *interiorem* conſtitutionem; Adeoque vaſa involuta umbilicalia, & horum tum *numerum*, tum *figurationem*, tum *ſitum*, tum *proceſſum*, uti & cum *placenta* cumque foetus *umbilico conjunctionem*.

§. CCCXLVI.

In *poſteriore* vero ſectione, qua ſecundinae humanae utriusque ſexus uſum atque utilitatem expoſuit, hunc ſervavit ordinem, ut I) quae ad univerſae ſecundinae humanae uſum ſpectarent, ſeorſim exponeret. II) Placentae tum univerſim, tum partes juxta ſingulas conſideratae, uſum explicate traderet. III) Ad membranarum foetum involventium munia atque miniſteria tum communia tum propria pergeret; Ac IV) quae ad funis, tum *univerſim* tum *particulatim* ſumti uſum atque utilitatem pertinerent, omnimode perluſtraret.

§. CCCXLVII.

Neque vero in hacce indagine utut curioſa & laboris plena adquievit *noſter*, ſed praeterea *anatomiam ſecundinae vitulinae*, triginta octo figuris, propria authoris manu delineatis illuſtratae publici juris fecit, quae praeter obſervatam naturam & conſtitutionem univerſae ſecundinae illius ac partium ſingularum uſum quoque & utilitatem docet. Praemisſae ſunt litterae D. *Thomae Bartholini* cum authoris ad eundem reſponſionibus.

§. CCCXLVIII.

§. CCCXLVIII.

Et cum ordo totius tractationis anima ſit, hunc potiſſimum ſibi religioſe ſervandum eſſe duxit, ut primo omnium conformationis organon, nempe uterum, deinde modo maſculini modo foeminini ſexus foetum concluſum contemplaretur, progreſſu tandem ad ſecundinae omnia ac ſingula facto. Et in ſecundina quidem obſervanda ante omnia ſibi ſumſit *membranas*, foetum cingentes, deinde his contentos *humores* ac ultimo *funiculum* & cum eo recondi ſuſtineriq; ſolita *vaſa umbilicalia*, ſubjuncta ſingulorum quam adcuratiſſima *delineatione* & *adumbratione*.

§. CCCXLIX.

Johannes Theodorus de Bry, chalcographus, edidit adpendicem ad *Louyſam de Bourgeois* cum figuris anatomicis (Anhang der Louyſe de Bourgeois mit anatomiſchen figuren) Qua de cauſa hic ſilentio praeteriri non debuit, etiamſi alias ſuum inter Anatomicos locum tueri vix poſſet.

§. CCCL.

Bartholomaeus Perdulcis, Pariſienſis, commentarios anatomicos ſcripſit in *Jacobi Sylvii* anatomen inque librum *Hippocratis* de natura humana, qui ex bibliotheca *Gabrielis Naudaei* prodiêre Pariſiis apud *Olivarium de Varennes*.

§. CCCLI.

Carolus le Noble, Rothomagienſis, ſcripſit obſervationes raras & novas de venis lacteis meſentericis & thoracicis, deprehenſis in corporibus bene paſtis, & poſt quatuor horas ſtrangulatis, mox ejusdem manu publice diſſectis.

§. CCCLII.

Severinus Pinaeus, edidit opuſculum phyſiologico-anatomicum

tomicum, duobus libris distinctum, & primo analytice tractans notas integritatis & corruptionis virginum, deinde graviditatem & partum naturalem mulierum, in quo ossa pubis & ilium distrahi, dilucide docuisse videri voluit.

§. CCCLIII.

Carolus Drelincourtius, natione Gallus, olim *medicus Regius Parisinus*, deinde vero in *academia Lugduno-Batava* anatomiae & chirurgiae professor valde clarus fuit. Hic ipse rem anatomicam suo tempore non parum illustravit, ac proinde edidit varia anatomiam & physiologiam concernentia, uti sunt hypomnemata de membranis foetus humani, meletemata de tunica foetus allantoide & animadversiones de tunica chorio, castigationes item de membrana foetus agnina & emendationes de foetuum pileolo, nec non meditationes elencticae super humani foetus umbilico.

§. CCCLIV.

Quanquam autem tam haec, quam reliqua mox commemoranda magni hujus anatomici scripta universalem propemodum adplausum adinvenerint: Placet tamen ex illis hic inprimis sistere ejusdem tractatum de foetus humani conceptione, membranis, umbilico, nutritione atque partu, ideo praecipue, quod ejus systema aliorum observationibus circa has partes factis, omnium exactissime congruere videatur. Systema ejus circa modum conceptionis tale est: Dum in foecundo coitu uterus mulieris libidine tentatur, flaccidae alias tubae adinstar mentulae virilis eriguntur, spiritibusque venereis turgidae expandunt fimbrias suas foliaceas, donec coeco impetu in testiculorum amplexus ruant. Elidunt itaque ovulum quoddam maturius suo compressu, juvante

insimul

insimul nisu proprio scrobiculi nerveo-carnosi, cui inhaeret ovulum; Nec obstat tunica testiculos investiens, quippe quae non minus diduci & expandi videtur ovis maturatis, quam pericarpia solent in plantis, cum semina maturuerint. Elapsum hoc modo ovulum, suisque inclusum membranis, excipitur a tuba illa uterina, atque ope fibrarum ejus per anfractus maximeque tortuosam viam in cavitatem uteri deducitur &c. Atque idem hoc systema jam olim nostrum fecimus & singulari observatione in corpore infanticidae detecta ulterius confirmavimus: Qua de re videri ac legi potest *observatio prima primae partis Exercitationum Francofurtensium.* Quae vero de seminis masculini fermento spirituoso, innumeris atomis acido-salinis constante ulterius differit *Auctor,* & qua ratione atomi istae ab corpore deciduae partiumque ideis instructae ovum petant ejusque porulos quaquaversum subeant &c. ea tanquam gratuitis hypothesibus subnixa mittimus.

§. CCCLV.

Edidit vero *Drelincourtius* plura adhuc scripta, uti sunt praeludium anatomicum, quod in *amphitheatro Lugdunensium* ad primam anatomes suae ἐγχείρησιν adhibuit. Scripsit de semine virili aeque ac muliebri, ovis, utero, tubis uteri cum corollariis de humano foetu. Reliquit insuper experimenta anatomica ex vivorum sectionibus petita & alia quaedam rari & selecti argumenti, de ovulis foeminarum, item de partu octimestri vitali. In magnis voluminibus conscribendis scrupulosior fuit, licet, qui ipsi intimius innotescendi occasionem habuere, dexteritatem ejus in anatomicis satis laudare nesciant.

§. CCCLVI.

Josephus du Vernay, academiae scientiarum Regiae socius, consiliarius & medicus ordinarius christianissimi Galliarum Regis, itidemque anatomiae & chirurgiae professor ordinarius, magno cum adplausu in *horto regio Parisino* anatomiam exercuit, deditque exactitudinis suae & dexteritatis in secando specimen, quod organon auditus adcurate descriptum nobis reliquerit, quod nempe non solum structuram sed & usum atque morbos omnium auris partium attinet.

§. CCCLVII.

Praestitit id *Duverneus* eo modo, ut totum curiosum scriptum *tres in partes* divideret, in quarum *prima* auris tam externae quam internae conformatio singularis exhibetur, in *altera* singularum illarum partium usus physiologice expenditur & in *tertia* denique earundem pathologia atque therapia sistitur: Cunctae vero partes singularibus observationibus adundant. Sic ceruminis aurium verum secretorium organon demonstrat esse glandulas, meatus auditorii tunicae substratas, suisque ductibus excretoriis instructas. In aquaeductu *Fallopii*, qui ex cavitate tympani ad extremum palati, circa narium basin abit, uti & in quatuor auditus ossiculis describendis longe adcuratior est reliquis anatomicis. Eundem hunc *Fallopii* aquaeductum plane membranaceum esse, ac tympani pelliculae aliam adhuc membranam (a *Kerkringio* jam visam) praetendi sustinet. Musculorum auriculae externae, quos communiter quatuor numerant, duos tantum, & internae, cui duos tantum concedunt, tres recenset; horum posteriorum binos malleo, stapedi tertium adsignat, cunctos vero pone tympani membranam collocat, aliter iterum, quam ab aliis anatomicis factum hucusque fuit. Varia quoque intuitu nervi

nervi auditorii exponit, a *Willisio* non adnotata, nervuli item, qui tympani membranae instar chordae subtendatur, meminit, non auditorii, sed quinti paris propaginem esse dicit. Plura qui de exquisita auris structura, per *Duverneum* detecta, nosse cupit, *Auctorem* ipsum evolvere potest.

§. CCCLVIII.

Praeterea vero publici etiam juris fecit novum vasorum humani corporis systema, in quo tam secretoriorum quam excretoriorum corporis ductuum originem pandere adlaboravit, & nomine isto potissimum intelligit uteri, cotyledonum, mammarum, vasorum sangviferorum lienis, hepatis, renum, pancreatis variarumque capitis partium vasa atque canales. Denique epistola ejus nomine circumfertur, quae multas novas observationes, osteologiam concernentes, continet.

§. CCCLIX.

Raymundus Vieussens, Monspeliensis, vestigia *Willisiana* pressit, inque anatome cerebri medullaeque spinalis pariter versatissimus fuit; Quem in finem edidit universalem *nevrologiam*, in qua non solum omnium H. C. nervorum simul & cerebri spinalisq; medullae anatomicam exhibet descriptionem adcuratissimam, verum & elegantes ac nitidas singulorum icones adjunxit, opus usque adeo absolutum, ut nihil addi posse videatur: Licet alii post ipsum invenerint, quod circa structuram *cerebri*, inprimis vero *cerebelli*, hinc inde monerent.

§. CCCLX.

Neque id mirum cuipiam videbitur, qui serio expenderit, scrutinium nervorum & arduum & intricatum & usque adeo laboriosum opus esse, ut *Diemerbroeckius*, rei difficulta-

tem perpendens fateri coactus fuerit, exactam nervorum descriptionem absolute impossibilem esse. Non obstantibus tamen cunctis istis difficultatibus, praeter *Willisium*, Anglum, *Noster* quoque arduum negotium herculeo animo adgressus, nihil magis habuit in votis, quam ut adsiduis cadaverum sectionibus, quorum in *Nosocomio Monspeliensi* copia ipsi fiebat, illam *nevrologiae* partem illustraret ac plenius evolveret, quam reliqui anatomici fere intactam reliquerant. Hinc ergo enata est *Vieussenii* nevrographia, quam decem integrorum annorum spatio consummaverat. Divisa est in *tres libros*, in quorum *primo* agitur ordine de generatione ac divisione cerebri, de dura meninge varioque ejusdem usu, de motu cordis & arteriarum, de pia meninge, arteriisque utramq; matrem cerebri ipsumque cerebrum irrigantibus, de reti mirabili, infundibulo & glandula pituitaria, de distinctis cerebri substantiis, de cerebro stricto sumpto ejusque muniis in genere, de cerebro & medulla oblongata, de natura & necessitate spiritus animalis, ubi simul etiam de succo nervoso disseritur, de ductibus capitis aquosis & emissariis, de muniis glandulae pinealis & plexuum choroidum, de materia spiritus animalis, loco & vera illius productionis ratione, de dispensatione ejusdem, ubi etiam distinctae viae, quas intra cerebrum inire solet, ostenduntur ac variae motus illius actiones explicantur, de differentiis motuum, qui spiritus animalis ope peraguntur, de facultatibus animalibus atque sensibus tam externis quam internis, imaginatione, sensu communi, memoria, judicio ac ratione. In *libro secundo* examen medullae spinalis tribus in capitibus instituitur ordineq; tractatur de membranis, de vasis spinalem medullam irrigantibus eorumque muniis nec non de spinali medulla ejusque usu. In *tertio* denique *libro* specialem de nervis tractationem suscipit

suscipit & naturali serie agit primum de nervis eorundemq; officiis in genere, deinde vero specialius prosequitur quatuor priores nervorum conjugationes intra cranium oriundas, ubi simul interna basis calvariae foramina describuntur. Subjungit hisce descriptionem quintae, sextae, septimae & octavae conjugationis, nervorum itidem intercostalium nonaeq; ac decimae nervorum conjugationis, qui ex cerebro prodeunt, tandemque colophonis loco tractatio de nervis spinalibus, sensu tactus & ratione motus muscularis additur.

§. CCCLXI.

In hac autem prolixa nervorum descriptione non pauca occurrunt plane nova aut saltem ab aliis tam exquisite non animadversa, uti sunt, quae de quatuor sinibus durae matris auctor commemoravit, quorumq; situs est in ea matris parte, quae cranii basi insternitur, ad prominentiam sellae equinae. Duo illorum superiores sunt & minores, duo vero inferiores ac majores. Fibrarum musculorum cordis dispositionem atque seriem longe aliter, quam ad ea usque tempora innotuerat, descripsit. Organon pituitosi humoris secretorium, qui in emunctione narium vel per screatum rejici solet, membranam esse pituitariam credit, variis hunc in finem vasis muciferis exornatam; In sinibus autem ossium maxillae superioris & basis calvariae, tanquam in cysternis adservari mucum istum a sanguine secretum putat, donec, data occasione, ad narium cavitatem aut in patentes ad fauces meatus deponatur. Plura alia ejus generis inventa nova in ipso auctoris libro legi possunt.

§. CCCLXII.

Idem *Raymundus Vieussenius novum* quoque vasorum corporis

poris humani ſyſtema concinnavit; *Novum* dicitur, quia ante eum vaſorum *Bartholinianorum* lymphaticorum principium a venis, cunctorum vero reliquorum tubulorum ſecretoriorum & excretoriorum exortum praeciſe ab arteriarum tunica ſpongioſa & nonnullorum finem in venis nondum, quantum conſtat, adſeruit ullus. Cum vero hoc in tractatu *auctor* ſecretoriorum & excretoriorum corporis ductuum originem demonſtrare apud animum ſuum conſtituerit, exponendum ante omnia duxit, quid canaliculorum ſe- & excretoriorum nomine intellexerit? Scilicet ſecretorios adpellat ductus, qui excrementitios ſolummodo ſuccos ex arterioſo ſanguine ſecernunt, uti ſunt membranarum & muſculorum lymphatici; *Excretorii* vero eidem dicuntur, qui humores excrementitios ſegregant, more ſpongioſo urinoſorum renum vel biliferorum hepatis ductuum: Qui denique ductus excrementitiorum humorum ſecretioni vacant, uti vaſa veſiculoſo-lymphatica uteri, illa partim pro ſecretoriis partim per excretoriis venditat.

§. CCCLXIII.

Horum autem ſecretoriorum vaſorum alia immediate, alia mediate oſtendit ſuccos ex arterioſo ſanguine ſecretos in venas exonerare, pariter atque excretoriorum ductuum alios immediate, alios mediate, humores excrementitios ex interioribus corporis eliminare, vaſis lymphatico-nerveis & adipoſo-nerveis titulum a nervulis mutuantibus iis, qui cum lymphaticis & adipoſis vaſis ſtrictiſſime coäleſcunt eorumque cavitatibus inhiant. In hoc interim vaſa lymphatica *Autoris* a *Bartholinianis* diſcernuntur, quod *priora* ex arteriis emergant, & in venas partim, partim in ſpongioſam alicujus partis ſubſtantiam deſinant; *Poſteriora* vero ex venis

oriantur

oriantur numerofa, *v.g.* lymphatica uteri muliebris ex venis membranae propriae, atque nunc in receptaculum lumbare, nunc in ductum thoracicum, nunc in venas alias terminentur.

§. CCCLXIV.

Haec vero omnia uti generalia ſunt: Ita deinde ſpecialius partibus ipſis, quae ex ejuſcemodi tubulis contextae ſunt, adplicantur, poſtquam nempe praevia coctione vel maceratione in aqua nec non exſiccatione earundem mediante microſcopio a *noſtro* detecti ſunt. Id quod in utero, mammis aliisque partibus fuſius deinde demonſtrat, quas deductiones omnes huc transferre nimis prolixum foret.

§. CCCLXV.

Sunt tamen non pauca memoratu digniſſima, quae in eodem tractatu *de novo vaſorum ſyſtemate* occurrunt, qualia ſunt: Laticem nutriendis & augendis oſſibus, quamdiu accretionis capacia ſunt, a perioſteo ſuppeditari. Vaſa adipoſa, pingvedinem continentia, ex arteriis immediate proficiſci, id quod comprobat exemplo omenti, omni fere pingvedine ſpoliati & cadavere alicujus, qui febre lenta perierat, extracti; In quo quippe vaſa adipoſa foraminibus maxime ſenſibilibus, licet exiguis a ſe invicem ita diſcreta, & ita ſimul intertexta apparuerint, ut telam ſericam reticulatam tenuiſſimae texturae referrent, adeoque ductus adipoſi hujus omenti juxta vaſa illius ſangviſera ita diſpoſita eſſent, ut illos e parietibus arteriarum immediate oriri, & in venas terminari, clariſſime patuerit. Idem tradit, in tota hepatis ſtructura venam portae cum vena cava ita dividi ac diſtribui, ut innumerae illarum propagines, ſtatim atque a truncis recedere incipiunt, in membranaceas cellulas figurae ovalis aemulas continuoq;

nexu simul ligatas abeant. Exilissimos autem venae portae & cavae propaginum surculos in memoratis cellulis diversimode in semetipsos pro jecinoris glandulis, membrana obvolutis, constituendis convolvi & vena simul anastomosi jungi; Cui tamen adserto contradicit *Ruyschius*, &, quamvis vasorum, speciatim venae portae & cavae fasciculi glandulas mentiantur & munia quoque glandularum exequantur, glandulae tamen recte dici nequeant. Idem vasorum lymphaticorum *Bartholini* exortum a venarum parietibus repetit. Adseruit quoque, venas cum arteriis continuari, nec poros utrumque vasorum genus intercedere, provocans ad autopsiam, sibique persuadens, microscopiorum usu talem continuitatem extra omne dubium positam esse. Arterias in quatuor discerpit tunicas, primam *nerveam*, alteram *vasculosam*, tertiam *spongiosam* & quartam denique *interiorem*, poris innumeris instructam vocando: Venis autem tres concedit tunicas, ab arteriis tamen mutuatas, & minori vasculorum apparatu instructas, quarum primam *communem*, alteram *mediam*, interioremque *spongiosam* adpellat. Folliculo fellis ductus biliferos tum primarios, tum secundarios vindicat, horumque originem ab illis, illorum vero ab arteriis petit. Pancreas nihil vult aliud esse, quam vasorum diversi generis congeriem. Eandem, nempe vasculosam structuram etiam renibus adjudicat, ea saltem differentia, quod exteriorem eorum substantiam ex arteriis, venis & tubulis lymphatico-adiposis, ex membranis nascentibus, interiorem autem ex arteriis, venis & ductibus spongiosis sive urinariis conflatam perpendat, communisque membranae texturam ab exiguis quibusdam nerveis propaginibus, permultis adiposis & paucissimis ductibus sangviferis derivet. Duram matrem ex sangviferis tantummodo & lymphatico-nerveis ductibus compingi, adstruxit

ſtruxit. Vaſculorum, corticem cerebri conſtituentium, exortum non ſolum in arteriis ſed & in tubulis piae meningis lymphatico-nerveis quaeſivit. In infundibulo, per horas tres vel quatuor aëri ſicco expoſito adnotavit arteriolas, venulas & vaſa lymphatica diſtinctius, quam in reliquis membranis; Glandulam ipſam pituitariam partim ab eadem meningis productione, quae infundibulum circumtegit, undiquaque immediate ſuccingi, partim ex meris vaſis lymphaticis & ſangvineis varie implicitis compingi, multum tamen a cerebri ſubſtantia diſtingvi adſeruit. Glandulam pinealem pro vera cineritiae cerebri ſubſtantiae appendice venditat ejusque contextum vaſculoſum, tam a vaſis lymphaticis tenuiſſimae membranae ambientis, quam a lymphaticis arteriolarum derivat. Quartum ſpinalis medullae involucrum non tam pro piae meningis productione, quam pro tenuiſſima membrana ex vaſis diverſi generis, ſangviferis inprimis & lymphaticis conflata eſſe reputavit. Duorum nervorum inſignium, qui per dorſum penis ſupra craſſam corporum nervoſorum membranam feruntur, originem a nervis oſſis ſacri, potiſſimum ultimo ſeu ſexto repetiit. Uterum ex tribus membranis, communi una & duabus propriis, atque intermedia ſubſtantia ſpongioſa coagmentari credidit. Mammarum quidem ſtructuram *Ruyſchius* totam vaſculoſam, ex meris ſcilicet vaſis ſangvifluis atque lactiferis contextam adſtruxit; Qua tamen deſcriptione non contentus *noſter*, addidit adhuc contextum vaſorum lymphatico-nerveorum. Plura alia ex hoc *Vieuſſenii* tractatu de novo vaſorum ſyſtemate huc transferri poſſent, niſi tempori & chartae parcendum eſſet.

§. CCCLXVI.

Anno 1686. *Anonymus* quidam, quem Clariſſimi Acto-

 rum

rum Lipſienſium Scriptores *Genevenſem Medicinae Doctorem* fuiſſe ſuſpicantur, nos dominum *Beddevole*, medicinae Doctorem eſſe novimus, tentamen edidit anatomicum (Eſſais d' anatomie) in quo conſtructionem organorum eorumq; operationem mechanicam, ſecundum novas hypotheſes clare ſeſe explicaturum promiſit. Suo loco relinquo, quae Auctor de glandulis, nervis, muſculis, cartilaginibus, oſſibus, membranis, vaſis lymphaticis, ore cum adnexis partibus, oeſophago, ſtomacho, inteſtinis, jecore, meſenterio, venis lacteis, receptaculo chyli & ductu thoracico, de corde, pulmonibus, pectore, liene, renibus, veſica urinaria &c. eorundemq; conſtitutione mechanica more anatomicorum diſſeruit; Verum quod novas attinet hypotheſes, ſecundum quas variarum illarum partium operationes, uſus & functiones explicare conatus eſt, de illis aliud feret judicium, qui ſequentia tantum ſpecimina, quae primo diſcurſu occurrunt, expendere operae pretium duxerit. Cui enim bono, tanta prolixitate de elementis agere in tentamine anatomico? Et quis credet, corpus humanum ſua in fabrica & conſtructione felicius intelligi poſſe, ſi corpus animatum eodem modo, ſicuti reliqua corpora ex elementis conſtructa eſſe, ſupponatur? Quid juvat noſſe, ex congerie infinitorum corpuſculorum in motu conſtitutorum, quam aetherem vocamus, nonnulla ſibi invicem adhaereſcentia conſtituere moleculas, quae commode elementa corporum vocari, & quae, non obſtante infinita inter illas varietate, in quinque genera diſpeſci poſſint, quorum primum comprehendat moleculas valde ſolidas & angulis acutis praeditas, ſecundum multis iisque ſatis patulis poris inſtructas, tertium ramoſas, quartum oblongas, ſed in extremitatibus ſuperficie ovali donatas, quintum tandem illas, quae ad genera praecedentia referri nequeant,

queant, quae ſpecialibus nominibus acidi, alcali, ſulphuris, phlegmatis & terrae inſignire nullus dubitavit? De ſpiritibus animalibus, more aliorum, qui quidlibet in corpore animato fingendi licentiam ſibi arrogant, ſupponit, conſtare illos maximam partem ex alcali & ſulphure volatili. Pluribus in re manifeſta teſtimoniis non eſt opus.

§. CCCLXVII.

Pertinet huc eximia obſervatio Dn. *Buisſiere*, anatomici & chirurgi Gallici de ovo in tuba *Fallopiana* cadaveris foeminini diſſecti reperto. Singularia in hac ſectione deprehenſa fuerunt ſequentia: In ovario lateris ſiniſtri aperturam notavit, ex qua ovum, quod priori inſervierat infanti, exiverat, quae adhuc dum valde lata fuit, & cujus extrema paululum adhuc diſrupta viſa ſunt. *Tubam Fallopianam* dextri lateris verſus extremitatem ſuam praeter ſolitum diſtenſam deprehendit, quae diſtenſio in maxima latitudine complectebatur paulo plus, quam pollicem unum in diametro & paulo ultra ſeſqui pollicem extendebatur, verſus matricem paulatim diminuta. Ea pars hunc in modum dilatata ſeſe incurvabat, totumque fere ovarium amplexabatur, cujus etiam membranae tam firmiter adhaerebat, ut ab ea non niſi vi divelli poſſet. Tuba tandem ab ovario ſeparata liquoreque delapſo, ovum aperte conſpectui fuit oblatum. Tres ovuli illius quadrantes extra ovarium per factum ibi foramen jam exiiſſe notavit autor, ita ut illi non amplius videretur annexum; Nihilominus cum ille auferre illud niteretur, adhaerere illi deprehendit per petiolum quendam ſatis durum, per quem vaſa ſanguinea pertranſibant, intra ovulum & ſuper illo diſpergenda. Tubam ſiniſtri lateris in ſtatu naturali conſtitutam offendit, ſicuti & ovarium, excepta apertura, per quam ovulum prioris infantis exierat.

§. CCCLXVIII.

Anno 1709. *Lugduni Batavorum* prodiit descriptio ossium, triga tractatuum comprehensa, quos *Curtialis*, *Petitus* & *Lemerius* A. 1704. & 1705. seorsim *Parisiis* ediderunt. Quod observationes *Courtialis*, anatomici *Tolosani* attinet, illarum aliae ossa in genere, eorundem formationem, structuram, medullam, nutritionem, filtrationem morbosque, speciatim strepitum, fragilitatem, incurvationem, emollitionem ac molem majorem concernunt; Aliae vero nova hepatis vasa lymphatica, vesicularem vesicae urinariae hydropem, vulnus cordis, ventriculum perforatum, membranosam intestini recti constipationem, bubonocelen, liquorem pericardii, molam &c. spectant. *Petitus* vero, chirurgus juratus *Parisiensis*, artem medendi morbis ossium tradidit, quam *quinque* in *libros* dividere placuit *auctori*, in quorum *primo* theoriam pariter ac praxin luxationum, in *secundo* vero fracturas partium durarum exhibuit; In *tertio* de exostosi & carie egit, in *quarto* diversas anchyloseos species & dentium morbos exposuit & in *quinto* seu *ultimo* rachitidem explicuit. Descripsit insuper lignoque incidi curavit iconem machinae cujusdam, quam extensioni vel reductioni brachii luxati rite adornandae longe felicius servituram sperat, quam alias hucusque in usum vocatas machinas, quae brachio luxato reponendo adcommodata fuerunt. *Lemerii* denique dissertationem de nutritione ossium quod attinet, magis illa physiologici, quam anatomici fori esse videtur.

§. CCCLXIX.

Commode hic suum quoqe inveniunt locum, quae ex regiae scientiarum academiae historia, auctoribus *Johanne Baptista du Hamel* & *Fontenellio*, excerpta sunt. Spectat huc usus

illius

illius canalis, per quem in foetu vena portae cum vena cava in jecore communicat, qui talis assignatur, ut aer, qui a matre per venam umbilicalem ad cor foetus pervenire debet, circulari sanguinis motui in foetu sufficiat, longo alias itinere nimium suo de motu perditurus. Digna quoque relatu est observatio de ovario mulieris, quod in illa tantum in tumorem excrevit, ut post mortem 35. librarum pondus aequaverit. Rarum itidem est, quod in senis propemodum centenarii corpore dissecto novem postremae dorsi vertebrae in unum & continuum os coäluerint. Curiosa quoq; est ventilatio controversiae de motu sanguinis circulari in foetu per foramen ovale & canalem arteriosum, quae huc redit: An sanguis, qui per foramen ovale transit, ex dextra cordis parte in sinistram juxta communem sententiam; An vero ex sinistra cordis parte in dextrum juxta D. *Mery* opinionem impellatur? Ubi D. *du Verney* antiquum systema probat asseritque, ad foramen ovale dari valvulam, quae fluxum sanguinis a dextra in sinistram partem admittat, ex sinistra vero in dextram impediat. Contra D. *Mery* non modo negat usum sed & plane existentiam hujus valvulae.

§. CCCLXX.

Neque negligendum est, quod D. *Littre* ex trium subjectorum sectione cognovisse testatur de calculis, qui inter ipsas vesicae tunicas aliquando substiterint & augmentum ceperint. Eorum primordia ab ipsis renibus repetere tanto minus veretur, quanto distinctius in cadavere Juvenis cujusdam vidit, a duobus calculis tum eam ureteris partem, quae inter tunicas vesicae procedit, primum perforatam, hinc a quolibet eorum meatum intra vesicae substantiam ad locum usque, ubi detinebantur, efformatum fuisse, tum duo pariter ulcera,

ulcera, in rene alterum, alterum vero in pertuſo uretere excitata, per hujus canalem materiam purulentam excernentia. Quemadmodum autem ejuſmodi calculos ad veſicae collum locatos digito indice in viri inteſtinum rectum, in foeminae autem vaginam uterinam immiſſo explorare jubet: Ita pro ipſis removendis, ſi minores fuerint, tunicam veſicae internam cathetere applicato ſupra indicem alterius manus ſuppoſitum frequentius atterere, atterendoque, quo exitus iisdem ad veſicae cavum detur, rumpere ſvadet, in majoribus tantum lithotomiam ordinariam ita admittens, ut tenaculo ſimul tumor veſicae apprehenſus ac blande hinc inde agitatus laceretur. Quae omnia in theoria ſic ſatis plauſibilia ſunt. Optandum tantum, ut ſpeculationi felix in praxi reſpondeat eventus! Praeterea idem D. *Littre* exemplo canis monſtroſi, qui ſine ore & naribus vivus non modo, ſed & craſſus editus eſt, probat, foetum in utero ſaltem aliquando, ſi non ſemper, per ſolam chordam umbilicalem nutriri. Idem quoque naturalem glandulae pituitariae conformationem uſumque expoſuit: Dictae nimirum glandulae pituitariae, quam nonnullae fibrae carneae ac multi nervuli paris ſexti & rami anterioris paris quinti, arteriae retis mirabilis & venulae ſtipant, e duplici ſubſtantia coagmentari oſtendit, cinerea altera, altera vero rubicunda: Cineream pauciorem & molliorem intra ſellam oſſis ſphaenoidei poſterius haerere in parva durae meningis foſſa, quae non ſolum per aliquot foraminula cum dictae meningis ſitu pone proceſſus clinoideos poſteriores locato, communicet, ſed & ſub ſe ſinum aliquem tranſverſalem habeat, veſiculisque humore albo repletis conſtet: Rubicundam vero copioſiorem & firmiorem reliquum ſellae occupare atque veſiculas multo minores ſubtilioremque & candidiorem humorem continentes recondere: Veſiculas ta-

men

men utriusque ſubſtantiae foraminulis multis in cavitatem intermediam communem hiare, per quorum minora aliquid a veſiculis rubicundae portionis evacuetur, per majora vero aliquid a veſiculis cinereae recipiatur. Lympham namque tenuem in glanduloſis veſiculis ſubſtantiae rubicundae ſecretam & immediate & mediate, nempe mediante cavitate communi ad veſiculas ſubſtantiae cinereae deferri; Lympham vero cum aëre in glandulis plexus choroidei ſequeſtratam a ventriculis cerebri per infundibulum in communem cavitatem ibidem infundi, ut cum lympha priori partim hic, partim in veſiculis portionis cinereae, majoris attenuationis ergo, commixta per venas & ſinum tranſverſalem & ovalem ſuperiori ſellae meningi inſculptum amandetur, ſicque primum ſanguis ille, cui glandula pituitaria immergitur, deinde etiam omnis, qui per duos ſinus inferiores ſellae ſphaenoideae refluit, floridior ac fluidior reddatur.

§. CCCLXXI.

D. *Mery* libere fatetur, ſe in tunica oculi uvea, praeter fibras rectas, nullas obſervare potuiſſe circulares, quas tamen *Drelincourtius* in *praeludio anatomico*, tanquam veteribus ſub coronae titulo jam cognitas, deſcripſit. Idem ſingulari exemplo mulieris, ultimo menſe gravidae & infelici lapſu ſubito enectae demonſtravit, circulum ſanguinis matrem inter atque foetum medio placentae uterinae intercedere; Nam in diſſectione abdominis cavitatem ſanguine turgidam, e diverſo cuncta vaſa ſanguinea tum propria tum foetus una mortui prorſus vacua deprehendit, etiamſi placenta uterina matrici etiamnum integra ſine ulla ſanguinis extravaſatione adhaereſceret. Denique adprobavit ſententiam chirurgi, *Antonii Maitre-Jean* & medici *Briſſaei* (Briſſeau) imo ipſius quoque

Guerneri Rolfincii de ſede cataractae, poſtquam nempe in duobus oculis, quorum cataractam membranae deberi crediderat, ipſum humorem cryſtallinum glaucomate affectum, tam ſolemni modo a ſe detruſum, quam nova ratione per inciſam corneam a *Petito* extractum eſſe vidit. Idem in milite quodam defuncto omnes fere partes C. H. internas inverſas deprehendit.

§. CCCLXXII.

In veritatem ejusdem hujus ſententiae, quam de ſede cataractarum fovent medici, etiam diligenter D. *de la Hire* inquiſivit; Variis enim experimentis, in oculis boum inſtitutis, deprehendit: Membranam, qua humor cryſtallinus involvitur, ab humore vitreo facile ſeparari, acu per ſcleroticam inter ligamentum ciliare & uveam in humorem cryſtallinum intruſa; Hunc quidem rotari, at nunquam ſub vitreum deprimi, nec ab acu rurſus niſi per ſcleroticae reſiſtentiam removeri potuiſſe, dum extraheretur. Interdum etiam contingere, ut ligamentum ciliare acu gyrata non rumpatur, ſed ut humor cryſtallinus a tunica ſua ſeparetur atque acu retracta pupillam obtegat. Idemque cum D. *Mery* cataractae a glaucomate differentiam obſervationibus edocere ſunt adniſi; Poſterior enim exiſtimavit, pelliculam humoris aquei ſive cataractam, ſi minus iridi adhaereſcat, per vulnus tunicae corneae inferius inflictum commodius totam educi poſſe, quam via ordinario tantum deprimi: Eo quod humorem cryſtallinum glaucomate affectum, nec humori vitreo amplius annexum per inciſam corneam prompte viderit extractum, vulnusque ſatis cito cum reſtitutione humoris aquei, qui ſimul effluxerat, denuo conſolidatum.

§. CCCLXXIII.

§. CCCLXXIII.

D. *Gandolphus*, medicus *Massiliensis*, stupendum utriusq; ovarii tumorem in foemina 26. annorum observavit, in quo lymphatica vasa usque adeo distendebantur, ut eorum nonnulla arteriis ampliora, lymphatica vero synistri ovarii in duas glandulas & dextri in quatuor, minus adhuc notas, desinentia apparuerint.

§. CCCLXXIV.

D. *Poupartus* sub utrorumque obliquorum & transversalium musculorum abdominis annulis immediate duo teretia ligamenta abdominis suspensoria notavit, a spina ossis pubis excurrentia & ossium instar indigitatos tres musculos magnos sustinentia.

§. CCCLXXV.

D. *Winslow* demonstravit, vasa secretoria in glandulis lanugine admodum tenui vestiri, cui primae in filtratione partes sint tribuendae; Ubi, ut ratio facilius reddi possit, cur in singulis organis secretoriis peculiares humones separentur, supponit, lanuginem istam a prima formatione imbutam esse liquore quodam particulari, v. g. bile, si bilem separare debeant &c. Liquorem vero separatum per canales glandulae excretorios exire statuit. His omnibus adhuc jungimus D. *Fauvellum*, chirurgum, qui in ovario foeminae hydatides tantae magnitudinis inventas esse testatur, ut ovula mentirentur.

§. CCCLXXVI.

D. *Roubautus* singulari studio in placentam uterinam & chordam umbilicalem inquisivit, &, quae adnotavit singularia, ad haec tria capita reduci sese patiuntur. *Primum* est;

Aërem & ſanguinem, ſi placenta per vaſa umbilicalia infletur, facile tranſire per ſuperficiem graviditatis tempore utero continuam, nequaquam vero per alteram foetui oppoſitam; Qua obſervatione in rem ſuam uſurus *Mery*, inde confirmavit, quod jam alias defenderat, ſuperficiem priorem membrana eſſe deſtitutam, perinde ac uterum, eadem tamen veſtire poſteriorem, unde porro concludit, ſanguinem a matre deferri ad foetum ac inter foetum & matrem circulationem eſſe reciprocam. *Secundum* eſt: Chordam umbilicalem praeter venam & duas arterias, quam iſta diametrum habet diametri arteriae duplam, formari ex corpore ſpongioſo, cujus cellulae ſint liquore limpido, ſed glutinoſo, gelatinae inſtar, plenae, ut non modo vaſorum mollities & flexilitas conſervetur, verum etiam, ne foetus motus ſanguinis in iisdem motum impediat. *Tertium* eſt: Membranam inter chorion & amnion mediam, quam nonnulli, judice *noſtro*, perperam *urinariam* vocant, ipſe a loco *mediam* dicere mavult, hunc habere uſum, ne vaſa capillaria, in qua tum vena tum arteriae chordae umbilicalis diſperguntur, ad evitandum in partu haemorhagias periculi plenas, motibus matris diſrumpantur.

§. CCCLXXVII.

D. *Paulus Bernhardus Calvo*, chirurgus *Taurinenſis*, cum academia ſcientiarum Regia communicavit obſervationem oppido raram de foetu, in ſacco ex membrana tubae dexteriore formato, concluſo. Poſt nonum menſem cum mater tumorem prope umbilicum contraxiſſet, eundem aperuit, & foetum jam putredine correptum extraxit, matre undecim ab operatione diebus elapſis mortua. Et notatu inprimis dignum eſt, quod mater toto geſtationis tempore omni prorſus lacte in mammis deſtituta fuerit.

§. CCCLXXVIII.

§. CCCLXXVIII.

D. *Winslovius*, cujus paulo ante meminimus, insuper refert, situm cordis non esse verticalem, sicuti vulgo creditum fuit, sed fere horizontalem, & orificium ventriculi alterum esse superius, alterum vero inferius, sicuti jam veteres anatomici adnotarunt. D. *Mery*, cujus itidem jam superius facta est mentio, in consessu Academicorum ostendit, nervum opticum cum retina originem trahere a cerebro, choroidem a pia matre & corneam a dura matre. Deinde a nervo optico tam piam quam duram matrem eodem modo separavit, quo a cerebro separari solent, &, incisione nervi secundum longitudinem facta, substantiam medullosam cerebro similem expressit. Retinam eadem repletam esse docuit, atque adeo negat, quod vulgo creditur, nervum opticum esse congeriem filamentorum nerveorum in fasciculum collectorum, nec retinam concedit esse membranam ex fibrillis nerveis contextam.

§. CCCLXXIX.

Anno 1690. Parisiis idiomate gallico, auctore tamen incerto, prodiit osteologia nova, in qua ossium formatio & nutritio mechanice explicantur, una cum sceleto foetus & dissertatione de incessu hominis & animalium, avium volatu & piscium natatu. In genere demonstrat anoymus, ossa, licet sint partes corporis durissimae, ex iisdem tamen fibris, nempe arteriis, venis, nervis vasisque lymphaticis coagmentari, ex quibus musculi, tendines aliaeque partes molliores solidescentes sunt coagmentatae, quod vel in foetu quinque vel sex septimanarum ad oculum conspici potest. Corpus vero adultum, sepositis ossibus sesamoideis & hyoides, a bis centum triginta & novem ossibus compaginari, ostendit, &

 differen-

differentiam ossium in foetu & hominibus adultis in sceleto foetus conspiciendam praebet. Pertinent huc *Lamy* discursus anatomici, & *Bourdonis* descriptio anatomica omnium partium H. C. una cum earundem usibus.

§. CCCLXXX.

Itidem chirurgus quidam gallus, *Xenodochii Parisiensis*, quod *Hotel Dieu* adpellant, magister ordinarius, cognomine *Dupré* (praenomen ejus ignoratur) edidit descriptionem 5. parium musculorum, diversis capitis motibus super primam & secundam cervicis vertebram inservientium, nec non duorum ligamentorum vel caput cum prima vertebra vel hanc cum secunda connectentium. Quamvis autem magnifice admodum de hoc suo invento sentire videatur auctor: Merito tamen dubitatur, an tanto hiatu digna sint ejus conamina, quia non difficile est unum eundemque musculum in multo plures dividere, siquidem in curiosa eorundem indagatione multum temporis, operae atque laboris impendere quis vellet.

§. CCCLXXXI.

Anno 1686. Auctori *novellarum Reipublicae litterariae* curiosam observationem circa tubas uteri muliebris communicavit *Postellus*, Professor medicinae in *academia Cadomensi* sequentis tenoris; *In cadavere mulieris libidinosae & furacis annorum circiter 24. mense decembri 1684. in scholis nostris dissecto, circa partes genitales haec observavimus: Testes, quam pro foemineis ampliores, solidiores, rotundiores & minus depressi, ut viriles quadantenus aemularentur, semine turgebant absque ullo ovorum vestigio. Tubas vero quod spectat, dextra quidem duplo, sinistra vero quadruplo naturalem modum excedere visa est; Utraque sed praesertim haec glandulosa,*

glandulosa, instar testiculorum vel potius epididymidis virilis, quam substantia non minus quam figura tereti & longa prorsus referebat, ita ut, dum utramque confero, mentem subierit, tubas forsan mulierum viriles epididymides saltem analogice referre, & ab iis situ solummodo diversas, quod in viris hae quidem testibus incumbant, unde & nomen sortiuntur, in foeminis vero testes & uterum interjaceant, in caeteris autem, praesertim in officio seminis generandi convenire. In praedictis quippe tubis copiosum semen reperimus, non ex testiculis affluens, cum vasorum deferentium nulla portio, sed praeparantium duntaxat arteriarum & venarum propagines in tubas disseminarentur, quae ideo semen in testiculis confectum non recipere, sed potius in seipsis genitum ductu manifesto & pervio, sic ut specillum mediocre admitteret, in uteri fundum excernere visae sunt. In testiculis vero sua quoque deprehensa sunt vasa deferentia, paulo inferius cervicem uteri subeuntia, specillo quamtumvis tenui prorsus impervia. Num ergo, problematice quaerit auctor, *ut in virili sexu semen in testiculo & epididymide, sic in foemineo in tubis & testiculis pariter aequaliterque generantur?*

§. CCCLXXXII.

Josephus de la Charriere, medico-chirurgus gallus, postquam novas operationes chirurgicas in lucem ediderat, integram quidem meditatus est H. C. anatomiam, eam tamem per partes communicare coepit, facitque tractandi initium de sectione capitis humani, ubi, praemissa historia integumentorum communium cuticulae, cutis, pinguedinis, musculorum, pericardii ipsiusque calvariae, ad interiora demum progreditur, evolvendo cerebrum, cerebellum & medullam oblongatam, ubi fibras medullares cerebri omnes concavas esse statuit. Hinc sese diffundit ad enodandas varias quaestiones physicas de sede, facultatibus & pathematibus animae & com-

& communi ſubſcribit hypotheſi de ſpirituum animalium generatione in cerebro, ita tamen, ut dictos ſpiritus cum ſanguine in cerebrum delato, in corticali ejusdem ſubſtantia primum formari, deinde in medullari ſubtiliores reddi, ac demum in protuberantiis medullae odlongatae perpoliri exiſtimet. Quae omnia qua ratione cum partium cerebri ſtructura conciliare poſſit aut velit, optaremus certe, ut diſtinctius nos edoceret, qui alioquin ab hypotheſi ſpirituum ita dictorum animalium ſumus paulo alieniores.

§. CCCLXXXIII.

Daniel Tauvry, itidem Gallus, medicinae Doctor, edidit anatomiam novam ratiociniis inſtructam imo potius uſum ſtructurae C. H. & nonnullorum aliorum animalium ſecundum leges mechanicas ſiſtentem. Latinitate eandem donavit *Melchior Fridericus Geuderus*, Med. D. & *Poliater Stutgardienſis*, praefationem vero praemiſit *Johannes Fridericus Ortlobius*, anat. & chir. P. P. in *academia Lipſienſi*, quam quippe ille, morte praeventus addere non potuerat. Quod vero legibus iſtis mechanicis, quarum ſolemnem obſervationem omnes hodie plenis buccis crepant, egregie pro temporum noſtrorum more fuerit abuſus, ex hiſce paucis ſpeciminibus oppido cognoſcere licebit. Corpus humanum habet pro machina quadam ſtatica hydraulico-pneumatica, ſicuti paſſim à Phyſicis ita deſcribitur, cujus hypomochlia & vectes ſint oſſa, funes muſculi, antlia cor cum pulmonibus, canales vaſa, in quibus humores curſum circularem peragunt. Muſculorum fibras ex veſiculis conſtare adſerit, in quas ſanguis ab arteriis continuo impellatur; Quod ſi vero nerveae fibrae, extrema carnearum cingentes ſeſe contrahant, non patere exitum ſanguini atque ideo muſculum intumeſcere & partem mobi-

mobilem ad ſe trahere, lepide ſomniat. Ab omento oleoſas particulas ad praeparationem bilis conferri, quibus obvolvantur ſalina ejusdem ſpicula. In ovulis foemellarum non prima foetus ſtamina, ſed ſemen illarum contineri, idque cogitationibus venereis indulgendo exprimi, & in uterum delatum ibidemque per menſis circiter ſpatium detentum acorem contrahere, quo vaſculorum ſangvineorum orificia reſerentur, unde deinde menſtrui ſanguinis origo procederet. Quod vero bruta animantia ab hoc tributo menſtruo ſint immunia, inde procedere exiſtimat, quod oſcula vaſorum uteri in illis obſita ſint glandulis, impedientia quippe, quo minus tam facile arrodi, ſicque ſanguinem fundere queant. Aſt quid quaeſo eſt ſpeculari, ſi hoc non eſt? Abſint ex anatomiis tales naeniae!

§. CCCLXXXIV.

Nihiloſecius ſine exemplo id non fecit *Tauvryus* noſter: Fuerunt enim ante ipſum plures alii, qui phaenomena oeconomiae animalis ex ſtructura partium, per anatomen cognita, explicaturi, nil niſi fictiones & ſomnia mentis de illarum actionibus attulerunt. Ideo tamen omnem *Tauvry* laborem irritum fuiſſe, nemo jure dixerit. Agnovit multa, quae apud alios fruſtra quaeruntur. Ita ſpiritus animales, prout vulgo in ſcholis explicari ſolent, vere in corpore humano exiſtere, negavit ac pernegavit, licet interea cerebrum liquorem quendam ſubtiliſſimum a ſanguine ſecernere, qui nervos imbuens tantam ipſis rigiditatem conciliet, ut ab objectis ſenſilibus debita ratione commoveri queant, lubens conceſſerit. In uſu lienis explicando non communem tantum fabulam, *ſine omni animalis noxa hoc viſcus extirpari poſſe*, refutavit, ſed & ſubſidiarias hepati operas in ſe-

 cernen-

cernenda bile praestare, sanguinem subtilem reddendo & ad depositionem particularum biliosarum disponendo, recte adstruxit. In ipsarum quoque partium descriptione non pauca hinc inde occurrunt, quae de ejusdem dexteritate secandi non sinunt dubitare. Sic glandulam lacrymalem, quae in brutorum tertia palpebra gaudentium majori oculi cantho sita deprehenditur, quamque una cum ductibus excretoriis delineavit atque descripsit *Steno*, in homine nullatenus reperiri, cum *Duverneo* adfirmat *noster*. Musculos biventres maxillae inferioris notat, masticationem adjuvare, quatenus glandulas maxillaras internas comprimendo, uberiorem salivae se- & excretionem promovent. Palatum praeter alios usus ad salivae quoque augmentum concurrere. In oesophago, praeter fibras longitudinales, admittit etiam transversas seu *spirales*. Praeterea non omnia lymphatica receptaculo chyli communi ac ductui thoracico implantari, sed, quae lympham a capite manibusque revehunt, in venas subclavias, circa axillaris jugularisque praecipue confinia, cum *Bartholino*, *Nuckio* atque *Stenone* adnotavit. Substantiam lienis totam membranosam esse credit, in plurimas exiles cellulas divisam; Hasce cellulas fibris corpus lienis trajicientibus connexas esse sustinet & valde verosimile esse reputat, parvula illa puncta candida, quae in cellulis videntur, esse tendines harum fibrarum, non vero glandulas, uti *Malpighius* auguratus est. Taceo alia ejus indolis plura.

§. CCCLXXXV.

Caeterum tota *anatomia Tauvryana* duas in partes divisa est, in quarum *prima sedecim* capitibus agitur ordine de primis alimentorum praeparationibus & mutatione eorundum in chylum, de motu & via chyli, de mutatione, quam chylus

chylus cor pertransiens subit, de motu, colore & compositione sanguinis, de utilitate respirationis, de depurationibus & secretionibus sanguinis, de modificationibus, quas sanguis in pancreate & liene recipit, de secretione bilis, urinae, liquoris seminalis tam virorum quam mulierum, de reliquis secretionibus particularibus, in infimo ventre ac thorace contingentibus, de nutritione tam partium ossearum, tendinosarum ac membranosarum, quam carnearum & glandulosarum. In secunda vero *novendecim* capitibus tractatur de ascensione sanguinis in caput & cerebrum, de partibus capitis tam externis quam internis, ubi etiam sensationes, illarumque diversa ratio & habitudo explicantur, de motu, somno & vigiliis, de sensibus, potissimum externis & motibus tam voluntariis quam involuntariis, de motu capitis, spinae dorsi, brachiorumque & manuum, de incessu & natatu, de artuum inferiorum structura, deque ascensu & saltu &c. Quorum omnium explicationem ita prosequitur, ut primum figuram, situm, structuram & connexionem partis, cujus functionem explicare cupit, describat, deinde vero ex principiis physico-mechanicis usum partium ac viscerum deducat.

§. CCCLXXXVI.

Postremus *Tauvry* nostri labor est, quem tractatui de generatione & nutritione foetus impendit; Siquidem anno aetatis trigesimo primo & dimidio phthisi extinctus est. *Capite* autem *primo* hujus tractatus inquirens in originem foetus, primo statim in limine monet, leges motus generationi explicandae non sufficere. Negat quoque animum, nempe rationalem corpus tanquam domicilium formare sibi posse, cum hanc machinam propriis viribus ne movere quidem possit, multaque in corpore contingant, quorum mens prorsus

ſus ignara. Explodit varias alias ſpeculationes, quas de formatione foetus ſibi formarunt phyſiologi, tandemque ſubdit, in generationem ovi & ejus quoad majores partes ſtructuram inquirendum eſſe, ubi ſimul de explicatione diverſarum ovi partium diſſerit atque oſtendit, quam multa eaq; ardua hic adhuc ignorentur. *Capite ſecundo* exponit modum, quo ovulum foemineum ad uterum devolvatur, & ovulorum nomine intelligit parvas veſiculas, ab hydatidibus teſticulorum diſtinguendas. *Capite tertio* recenſet membranas foetum involventes cum chorda umbilicali & placenta uterina; *In quarto* de humoribus in membranis foetus contentis diſſerit & prolixe comprobare ſatagit, foetum in utero nutriri per chordam umbilicalem, concedens tamen, per os quoque foetum nutriri poſſe, quia inter liquorem in amnio contentum & illum, qui in ventriculo ejus deprehenditur, perfecta reperitur ſimilitudo. In *ultimo* tandem *capite* ſingularis ſanguinis circulatio, quae in foetu obtinet, expenditur; Qua proinde occaſione de foramine ovali, per quod vena cava cum vena pulmonali communicat, & de canali arterioſo, per quem arteria pulmonaria cum aörta commercium colit, prolixe diſſeritur.

§. CCCLXXXVII.

Agmen inter ſcriptores gallos claudat *Dionis*, defunctae Delphinae chirurgus primarius & *juratus Pariſienſis*, qui anno 1672. a Rege Chriſtianiſſimo pxofeſſioni anatomicae atq; chirurgicae publicae admotus fuit, ut in *horto regio Pariſienſi*, magnificis eum in finem ſumptibus exſtructo, utramque publice demonſtraret, quod etiam tanto cum ſucceſſu praeſtitit, ut ante complures jam annos anatomiam ediderit plane novam, nempe juxta ſanguinis circulationem

tionem & obſervationes recentiorum in horto regio demonſtratam, quae non ſine adplauſu a publico excepta eſt, cujus rei non obſcurum praebet teſtimonium, quod jam quarta editio defectu exemplarium adornanda fuerit, ut votis atque deſideriis illorum, qui librum iſtum ardenter expetierant, ſatisfieret. Cogitari facile poteſt, quod integro quadraginta annorum ſpatio, quo tot cadaverum publicas habuit demonſtrationes, multas egregias fecerit detectiones, ſicuti mecum fatebuntur, qui librum ipſum evolvere non dubitabunt. Conſtat autem univerſa anatomia aliquot demonſtrationibus, in quarum *prima* & *ſecunda* agitur de oſſibus in genere, in *tertia* & *quarta* ſpeciatim de oſſibus capitis, in *quinta* & *ſexta* de oſſibus artuum. In demonſtratione partium molliorum priores quatuor viſceribus abdominis impenduntur, ſubſequentes viſceribus thoracis, & quae has immediate excipiunt, partibus capitis, & quae ultimo reſervatae ſunt loco, artuum tam ſuperiorum quam inferiorum demonſtrationi vindicantur.

§. CCCLXXXVIII.

A Gallis progredimur ad hiſtoriam ſcriptorum Anglorum, Danorum atque Suecorum, qui ſeculo proxime elapſo floruerunt & rem anatomicam illuſtrare cordi habuerunt. Primi ergo in ſcenam prodeant duo *Bartholini*, *Caſparus* & *Thomas*, quorum lucubrationes univerſa ſchola medica in deliciis habet.

§. CCCLXXXIX.

Caſparus Bartholinus, Danus, natus eſt *Malmogiae Scanorum* anno 1585. qui, poſteaquam in *academia Witebergenſi* philoſophiae ſtudio aliquamdiu incubuerat, in eaque gradum acceperat, animum ad medicinam adplicuit. Factis deinde

aliquot peregrinationibus per universam fere Europam, concessit *Basileam*, inque perantiqua ista atque celeberrima academia gradum Doctoris in medicina accepit, atque non multo post in *Universitate Haffniensi* professor medicinae constitutus est. Scripsit institutiones anatomicas, corporis humani utriusque sexus historiam & declarationem exhibentes, cum plurimis novis observationibus nec non illustrium, quae in *anthropologia* occurrunt, controversiarum discussionibus ac decisionibus. Hae deinde institutiones a filio, *Thoma Bartholino* recognitae & locupletatae editae fuerunt, sub titulo *anatomiae reformatae*, quam D. *Cornelius Bontekoe* pallio pannoso non inepte comparavit, quale ex laciniis novis & antiquis consarcinatam esse solet. Discussit alias singulari scripto nobiliores ac rariores controversias anatomicas, & plura procul dubio praestitisset, nisi professioni medicae renunciasset, & ad Theologicam promotus fuisset. Obiit anno 1620. cum aetatem suam vix ad annum quadragesimum quintum produxisset.

§. CCCXC.

Ejusdem filius, *Thomas Bartholinus*, natus est *Hafniae* anno 1616. qui absoluta, quam susceperat, peregrinatione, *Basileam* venit, ibidemque honores & privilegia Doctoralia petiit & obtinuit. Anno proxime insequente in regiorum Haffniensium professorum numerum receptus est, & sparta anatomica eidem demandata, quam etiam ita dextre exornavit & exercuit, ut multorum novorum inventorum auctorem eundem extitisse, grato hodie animo agnoscamus. Primus enim detexit vasa lymphatica, licet laudem istam dubiam ipsi reddere adlaboraverit *Olaus Rudbeckius*, unde acerrima inter eosdem pugna de prima hujus inventionis gloria exorta est. Qua de controversia rebusque eam concernentibus qui plenius

nius informari cupit, evolvere poteſt *Martini Bogdani* inſidias, *Thomae Bartholini* ſtructas vaſis lymphaticis & ab *Olao Rudbeckio* in ſuis ductibus hepaticis detectas. Hi duo celebres medici aliud quid quaerendo anno 1650. & 51. ſolo caſu & fortuito in vaſorum horum detectionem inciderunt, neutro forte de alterius inventione conſcio, ſicuti fieri interdum ſolet. Quod cum admodum probabile videatur, ſimul manifeſte liquet, utrumque male litigaſſe de gloria ſibi ſoli adſcribenda, quae tamen optimo jure aequalis utrique debebatur. Sicuti vero invidiae & aemulationis ſtudium inter nullum hominum genus peſtilentius regnat, quam inter eruditos, ac potiſſimum, quod invitus moneo, medicos: Ita non defuerunt, *Gliſſonius* praecipue ac *Charletonius*, qui orbi erudito perſvadere laborarunt, jam dudum ante *Bartholini* evulgatam vaſorum lymphaticorum inventionem *Londini* eadem detecta ac demonſtrata fuiſſe a *Jolivio*, medico Anglo. Exiſtimo autem, *Bartholini* proteſtationi locum utique relinquendum eſſe, dum bona fide adſerit, ſe ante inventi ſui publicationem *Jolivium* natum nequidem ſciviſſe, eumque nec de nomine nec de fama ſibi unquam innotuiſſe. Voluit etiam videri primus inventor ductus thoracici, quam tamen laudem iterum dubiam ipſi reddidit *Johannes Pecquettus* & *Johannes van Horne*, qua de controverſia dicemus ſuo loco. Hunc in finem edidit hiſtoriam anatomicam de vaſis thoracicis in homine brutisque nuperrime obſervatis, itemque vaſorum lymphaticorum nuper *Haffniae*, in animanlibus & homine inventorum demonſtrationem, porro hiſtoriam novam vaſorum lymphaticorum, item dubia anatomica de lacteis thoracicis, & occaſione litis, intuitu horum inventorum exortae, ſcripſit etiam defenſionem vaſorum lacteorum & lymphaticorum adverſus *Johannem Riolanum*. Edidit quoque hiſtoriarum anatomicarum

micarum & medicarum rariorum centurias VI. & obſervationes anatomicas ſelectiores *Petri Pauw*, quae cum centuria III. & IV. ſuarum obſervationum anatomicarum rariorum prodiere. Edidit quoque conſilium de anatome practica ex cadaveribus morboſis adornanda, item domum anatomicam Haffnienſem breviſſime deſcriptam, tandemque diſſertationem anatomicam de hepate defuncto, novis *Bilſianorum* obſervationibus oppoſitam, multaque alia, quae prolixius nunc recenſere non eſt hujus loci.

§. CCCXCI.

Reliquit duos filios, patriarum virtutum ex aſſe haeredes, *Caſparum* nempe & *Thomam Bartholinos*; *Caſparus* itidem variorum ſpeciminum anatomicorum editione ſeſe celebrem fecit, & ductus ſalivales inferiores minores primus detexit & promulgavit.

§. CCCXCII.

Praeterea ſcripſit de ovariis mulierum & de hiſtoria generationis epiſtolam anatomicam, item ſtructuram diaphragmatis novam, cui novus quoque modus acceſſit viſcera praeparandi per injectiones liquorum. Edidit quoque ſpecimen adminiſtrationum anatomicarum cum *Michaëlis Lyſeri* cultro anatomico, item exercitationes miſcellaneas varii quidem, potiſſimum tamen anatomici argumenti. *Thomas* vero, *Thomae filius* de anatomia, quantum mihi quidem conſtat, nihil evulgavit.

§. CCCXCIII.

Bartholinis ſubjungimus *Olaum Rudbeckium*, Upſalienſem Svecum, qui, ut modo dictum fuit, litem movit *Thomae Bartholino* de prima inventione ductuum lymphaticorum, quos ipſe aquoſos vocat: Unde epiſtolam ſcripſit ad *Thomam Bar-*

tholinum

tholinum Danum, qua ſibi primam inventionem *vaſorum ſeroſorum hepatis* invictis rationibus contra *Bogdani* cujusdam Drisna-Marchici impudentiſſimas calumnias, ſub apologiae nomine pro *Bartholino* (*) editas aſſerit, & inſuper vaſa ſeroſa *cordis, pulmonum, mediaſtini, ligamenti ſuſpenſorii hepatis, ventriculi, lienis, teſticulorum maris* & *foeminae, uteri, lumborum,* omni ſeculo incognita & anno 1653. 54. & 55. ab ipſo Lugduni Batavorum & Upſaliae inventa deſcribit. Edidit alium quoque librum, cui hunc praefixit titulum: *Olai Rudbeckii* inſidiae, ſtructae ductibus hepaticis aquoſis & vaſis glandularum ſeroſis, *Aroſiae* editis a *Thoma Bartholino.* Scripſit quoque novam exercitationem anatomicam, exhibentem ductus hepaticos aquoſos & vaſa glandularum ſeroſa, nunc primum inventa aeneisque figuris Tabl. XIII. delineata. De hac lite anno 1654. inter illos agitata, noſtrum paulo ante tulimus judicium, dicendo, nihil repugnare, quo minus uterque ſeorſim uno eodemque tempore ductus illos detegere ſicque induſtriae ſuae fructus & proemia reportare valuerit. Negandum tamen non eſt, utrumque imparibus armis contendiſſe, cum *Rudbeckius* adhuc juvenis & lingvae latinae vix mediocriter peritus eſſet: *Bartholinus* contra in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus fuit; Unde ille tanto veluti eruditionis

Hh flumine

(*) Recte monuit *Stollius*, errorem calculi ſubeſſe, ſi haec ipſa controverſia ad annos 1650. & 1651. referatur; Nam ſi & *Rudbeckius* & *Bartholinus* haec ſua inventa non niſi a. 1653. publicam in lucem produxerunt, conſequitur, litem hanc anno demum ſequente exarſiſſe. Verum haec talia etiamſi non magni admodum ſint momenti, veritati tamen hiſtoricae contrariari non debent.

flumine obrutus propemodum ſuccubuit. Qui tamen extra ſtudium partium conſtituti ſunt, nihil habent, quod in adcurata horum vaſorum lymphaticorum deſcriptione *Rudbeckiana* deſiderent.

§. CCCXCIV.

Johannes Rhodius, Danus, ſcripſit mantiſſam anatomicam, quae cum *Thomae Bartholini* hiſtoriarum anatomicarum rariorum centuria V. & VI. exſtat.

§. CCCXCV.

Gvilielmus Harvaeus, Anglo-Britannus, Regis Angliae Archiater & medicus ſui temporis famigeratiſſimus, anatomiam quidem perfectam ex profeſſo non edidit: Immortalem tamen nominis ſui gloriam adſecutus eſt detecta ſanguinis circulatione, veritate quidem mundo coaeva, ſed quae, neſcio quo fato, per tot annorum millia abſcondita latuit. Omnem quidem lapidem moverunt *Aemilius Pariſanus* & *Fortunatus Plempius*, ut novam hanc & per tot annorum millia occultatam doctrinam conculcarent & convellerent: Fruſtra tamen omnes ſuos labores impenderunt, *Harvaeo*, vel potius, veritate per *Harvaeum* detecta in hunc usque diem triumphum agente. Id ſolummodo dolendum eſt, quod pro futuris uſibus phyſiologico-pathologicis medici ſequentium temporum nobiliſſimum hoc inventum rectius non adplicuerint. Edidit exercitationem anatomicam de motu cordis & ſanguinis in animalibus, item exercitationes de generatione animalium, quibus accedunt quaedam de partu, de membranis & humoribus uteri.

§. CCCXCVI.

Nathanael Highmorus, Oxonienſis Anglus, edidit diſquiſitionem anatomicam corporis humani, in qua ſanguinis circula-

circulationem in quavis corporis particula plurimis novis typis ornatam prosequutus est, licet non citra rationem forte desideraveris, elegantes illos typos rei non undiquaque semper exacte respondere, quod fatum cum plurimis aliis anatomicis commune habetur videtur, quorum delineationes interdum a natura rei longissime abire videntur, sicuti in anatomia *Blancardiana* non pauca ejus rei specimina legentibus occurrunt. Taceo, quod minutias tales studiosius prosequi, plus curiositatis quam utilitatis, praesertim pro futuris usibus medico-chirurgicis habeat.

§. CCCXCVII.

Quicquid vero sit, *noster* tamen in tres libros suam disquisitionem distinxit, ita quidem, ut in *primo*, praemissis generalibus de cuticula, cute, pinguedine &c. de contentis abdominis, in *secundo* de visceribus thoracis & in *tertio* de partibus in capite contentis ageret.

§. CCCXCVIII.

Franciscus Glissonius, Anglus, medicinae Doctor ejusdemque in academia *Cantabrigiensi* Professor publicus & socius *Collegii medici Londinensis*, tractatum edidit de partibus continentibus in genere, & de iis abdominis in specie, insuperq; alium tractatum de ventriculo & intestinis; Praecipue vero anatomiam hepatis adcuratissime evolvit, cui non solum praemittuntur quaedam ad rem anatomicam universim spectantia, verum etiam de lymphae ductibus nuper repertis quaedam ad calcem adjiciuntur. Excarnationem hujus visceris variosque ejus modos diligentissimo huic viro debemus, nec non descriptionem ductus *cyst-hepatici*, vel, uti rectius eundem adpellare liceret, *hepati-cystici*, quia bilem ex hepate in vesicam devehit.

§. CCCXCIX.

Theodorus Aldes, quo ſub nomine *Mattheum Sladum*, celebrem ſuo tempore medicum *Amſtelodamenſem* latere plerique exiſtimant, ſcripſit diſſertationem epiſtolicam de generatione animalium contra *Harvaeum*, item obſervationes naturales in ovo factas, variis nempe incubationis diebus. Edidit quoque ſciagraphiam nutritionis pulli in ovo, foetusque vaccini in utero ſuo.

§. CCCC.

Thomas Warthonus, Londinenſis Anglus, adcurata glandularum deſcriptione orbi medico notum ſeſe reddidit. Tribuitur ipſi nova *ductuum ſalivalium inferiorum majorum* prima detectio, ſicuti *inferiorum minorum* primam inventionem jam ſuperius vindicavimus *Caſparo Bartholino*. Audiamus quaeſo, quid hac de re ſentiat *Bartholinus* in hepatis exauctorati cauſa deſperata: *Quanquam*, inquit, *veſtigia obſcura leguntur apud veteres novarum obſervationum, nemo tamen illorum ductu quicquam profecit. Ita apud Galenum*, Haly Abbatem, Abenſina, Iſaacum *aliosque Arabes, fontes ſalivae indicari videntur in ore latere, nemo tamen de iis quicquam cogitavit, antequam* WARTHONI *felicitas tot ſeculis abditos ductus ſalivales detegeret; Lymphaticorum ſoboles, cum quo gloriam partiri debet* Stenonius *noſter, qui augmentum dedit per exteriores ductus a ſe deſcriptos.*

§. CCCCI.

Adenographiam *Warthoni* quod ſpectat, illa A. 1664. edita & *Collegio medicorum Londinenſium* dedicata eſt. Conqueritur equidem in praefatione ad Lectorem, quod, cum corpora humana privatim diſſecanda haud crebro ipſi occurrerint, neceſſe habuerit, animalia alia in eorum locum ſubſtituere. Simul tamen fidem facit eidem, id ſemper a ſe factum

eſſe,

esse, ut, quicquid in illis noviter reperisset, data quacunque occasione, cum humanis cadaveribus conferret. Auxiliarem quoque adhibuisse *Glissonium* & cum eo non paucas administrationes communicasse, simulque D.D. *Entii* consilio & opera usum fuisse, fateri non erubescit.

§. CCCCII.

Ipsius vero operis hic est ordo atque distributio: Capite *primo* omnes totius corporis glandulae ad certas suas reducuntur classes: An lingva sit viscus, glandula vel musculus? Num cerebrum ad glandularum numerum vel viscerum accedat, an potius sit membrum ab utroque distinctum? An lien sit glandula? Qua etiam occasione viscerum & glandularum inter se communitates ac differentiae proponuntur. Capite *septimo* de glandulis mesenterii specialior instituitur tractatio, & ratio redditur, cur a mesenterii glandulis auctori nostro fuerit exordiendum? Cumque per idem illud mesenterium venae quoque lacteae decurrant, descriptio & distributio earundem interseritur, & anatomicorum sententiae tam de actione & usu glandularum mesenterii quam venarum lactearum, ad examen vocantur & affectus glandularum mesenterii explicantur.

§. CCCCIII.

Capite *duodecimo* & sequentibus historia glandularum continuatur, & speciatim agitur de glandulis omenti, pancreatis, renum, vel quae ad plexum abdominis nerveum sitae sunt, de glandulis abdominis vagis, de glandulis thoracis ac primum de thymo, deinde de glandulis oesophago adnexis nec non de glandulis thyroideis, de glandulis insuper jugularibus, de parotidibus, de tonsillis, de glandulis maxillaribus, de glandula pineali, de glandulis plexus choroidei,

oculorum, de pituitaria, de glandulis artuum, de glandulis ſpeciei conſervationi dicatis in maribus & primum de teſticulis, de epididymidibus & vaſis deferentibus, de veſiculis ſeminalibus, de proſtatis, de glanduloſa ſubſtantia corporum nervoſorum deque glande penis, de glandulis prolis propagationi in foeminis inſervientibus, & primum quidem de teſtibus, deinde de alis, clitoride & carunculis myrtiformibus, de glandulis prolem nutrientibus, ſpeciatim de placenta uterina, de mammis, de glandulis adventitiis earumque primis rudimentis & productionis modo; Quibus omnibus *capite trigeſimo octavo* & ſequentibus ſubjungitur diviſio glandularum in *ſanas* & *morboſas*, quarum poſtremarum genera atque differentiae, ſpeciatim ſtrumae ac ſcrophulae earundemque differentiae enarrantur ac recenſentur, tandemque univerſae adenographiae finis imponitur.

§. CCCCIV.

Nicolaus Steno, Danus, in eadem glandularum & ductuum lymphaticorum exploratione operam ſuam laudabiliter collocavit. Primus demonſtravit ductus ſalivales ſuperiores majores, ſicuti minores *Antonius Nuckius* detexit. Proinde edidit obſervationes anatomicas, quibus varia oris, oculorum & narium vaſa deſcribuntur, novique ſalivae, lachrymarum & muci fontes deteguntur, novumqve *Bilſii* de lymphae motu & uſu commentum examinatur & rejicitur. Sunt eaedem illae obſervationes, quas diſputationis academicae forma ſub praeſidio DD. *Johannis van Horne*, praeceptoris ſui in inclyta *Lugdunenſi academia* publico eruditorum examini expoſuit. Evulgavit etiam ſpecimen obſervationum de glandulis & diſſertationem de anatome cerebri. Specimini obſervationum de muſculis & glandulis adnexae ſunt duae epi-

ſtolae

ſtolae anatomicae, *prior* ad *Guilielmum Piſonem*, de anatome *Rajae*, poſterior vero ad *Paulum Barbette* de vitelli in inteſtina pulli tranſitu. Quod vero etiam artificium muſculos nitidiſſime praeparandi ac demonſtrandi calluerit, oſtendunt elementa myologiae, quibus muſculorum demonſtrationem plane geometricam pandere adlaboravit. Scripſit quoque obſervationes circa motum cordis ejusque auricularum & venae cavae, ex variis animalium ſectionibus hinc inde factis excerptas. Patriae ſuae valedixit, tanquam quem peregrinae religionis amor â ſtatione ſua abſtraxit.

§. CCCCV.

Richardus Lowerus, Anglus, non quidem per totum anatomes latifundium ſeſe diffundere e re ſua judicavit, ſed partem tantum, nempe ſtructuram cordis ſibi evolvendam ſumpſit, quam etiam nemo ipſo adcuratius nobis evolutam & delineatam exhibuit.

§. CCCCVI.

Gualtherus Needham, Anglus, de membranis atque partibus foetum involventibus adcuratam ſuppeditavit deſcriptionem, ſicuti diſquiſitio anatomica, quam de formato foetu edidit, clare loquitur. A. 1706. *Lugduni Batavorum* recuſae ſunt obſervationes ejusdem anatomicae foetum, placentam uterinam, membranas foetus & vaſa potiſſimum umbilicalia illuſtrantes. *Robertus Bayfield*, Anglus, ſcripſit exercitationes anatomicas; *Thomas Norton*, pariter Anglus, edidit anatomiam, quae cum *Johannis Betti* tractatu de ortu & natura ſanguinis proſtat.

§. CCCCVII.

Thomas Willis ſeu *Williſius*, Anglus, poſtquam in *academia*

mia Oxonienſi gradum in medicina impetraverat & profeſſionem philoſophicam in eadem ſuſceperat, ſimulque inclyti medicorum Londinenſium collegii & ſocietatis Regiae membrum exſtitit, *Londinum* evocatus eſt, ubi cum ſummo omnium adplauſu medicinam exercuit. Cerebrum methodo curioſiſſima ſecandi artificium calluit, eoque ipſo omnes, qui ipſum anteceſſerant, ſuperavit: Unde reliquit nobis anatomen cerebri valde adcuratam, cui etiam acceſſit deſcriptio & uſus nervorum, quos tanta cum induſtria & exquiſita methodo recenſuit, quanta ante ipſum nemo fecerat. Reliquit etiam deſcriptionem primarum viarum, item diſſertationem de organis & uſu reſpirationis, itemque deſcriptionem arteriae anatomicam. Multi tamen in eo deſiderant, quod, cum analogice omnia, quae in brutorum animantium corporibus obſervaverat, promiſcue ad humana tranſtulerit, ſubinde erraverit. Natus eſt anno 1620. denatus anno 1677. cum ad annum 57. aetatem ſuam produxiſſet.

§. CCCCVIII.

Johannes Mayow, Anglus, collegii in univerſitate Oxonienſi ſocius, ſcripſit tractatum de reſpiratione, itemqne alium de reſpiratione foetus in utero & ovo. Similiter quoque tractatum de motu muſculari, ubi etiam obiter de motu cerebri, nec non de uſu lienis atque pancreatis egit.

§. CCCCIX.

Guilielmus Briggs ſcripſit ophthalmographiam curioſam, in qua non ſolummodo examinavit omnes oculorum partes, muſculos, membranas, humores, arterias, venas, glandulas & vaſa lymphatica, verum etiam directionem & adminiſtrationem cultri anatomici in diſſectione oculi artificiali. Edidit

quoque

quoque novam viſionis theoriam, quae artificioſae iſti ſtructurae ſuperſtructa eſt.

§. CCCCX.

Sciendum vero hic eſt, illum ipſum *Briggii* librum de viſu, obligaſſe *Guenellonem*, medicum *Amſtelodamenſem*, ut in ſtructuram tunicae reticularis adcuratius inquireret. Quid ſcrutinio iſto detexerit, ex epiſtola *Guenellonis* ad *Charletonum*, nobilem *Anglum* data, per modum excerpti communicarunt *Acta eruditorum Lipſienſia* Menſ. Jun. A. MDCLXXXVI. Quae tamen experimenta & diſquiſitiones, cum non in oculo humano, ſed in aſſello tantum majore aeque ac minore inſtituta ſint, eas huc non transferimus.

§. CCCCXI.

Clopton Havers, Doctor medicus Anglus, ſocietatis Regiae membrum, exhibuit publico oſteologiam novam, ſeu potius obſervationes novas de oſſibus eorumque partibus; Quo in ſcripto non tam in eo verſatur *Auctor*, ut extrinſecam oſſium figuram atque compagem, quippe ab aliis jam dudum adcurate deſcriptas delineet, verum potius, ut, quae ab aliis neglecta vel inſufficienter tractata ſunt, ſuppleat atque ulterius illuſtret, adjectis variis experimentis & obſervationibus tam circa hominum quam brutorum oſſa factis & inſtitutis. Aſt miſſis hac vice iis, quae ad propoſitum noſtrum non pertinent, primaria tantum capita anatomici argumenti excerpemus. Pertinet huc adcuratior deſcriptio membranae oſſa inveſtientis, quam alias perioſteum vocant. Hanc oſtendit auctor a duplici veluti fonte ſcaturire, fibras nimirum, ex quibus componitur, quaſdam & eaſdem quidem ſemper oſſi contiguas & ab una oſſis extremitate ad alteram excurrentes a dura matre, per diverſa cranii loca

 prode-

prodeunte & ſic per univerſam oſſium compagem ſeſe diffundente, ipſis ne quidem articulationibus curſum ejus interrumpentibus, originem ducere; Alias vero his ſuperincumbentes, perioſtei fibras a muſculis atque tendinibus ſingularum corporis partium ſubnaſci & pro diverſo muſculorum ſitu diverſum quoque poſitum obtinere obſervavit. Dentium ſubſtantiam a reliqua oſſium conditione non parum differre, atque ex duplici conſtare materia exiſtimat, altera nempe molliori & vere oſſea tantum, altera vero duriori & quaſi lapidea, quae alteri illi in partibus extra gingivas exſtantibus inſtar corticis incumbat, eamque a detritione immunem praeſtet. Medullam oſſibus incluſam totam oleoſam eſſe adſerit, neque tamen confuſo acervo intra cavitatem oſſium jacere, verum intra utriculos ſeu lobulos membranaceos a communi illa tunica, intrinſecam oſſis ſuperficiem inveſtiente, ſubminiſtratos comprehendi. Uſum medullari huic oleo hunc adſcribit, quod non tam oſſium nutrimento impendatur, quam potius unctuoſitate ſua oſſa in debito temperamento jugiter conſervet, ne ob nimiam ſiccitatem evadant fragilia aut prorſus rimas contrahant; Inſuper vero non minoris momenti uſum praebere in oſſibus articulatis, nempe inſervire inſtar axungiae articulationibus lubricandis, ſicque prohibere, ne oſſa in ſeſe mutuo colliſa inter movendum aut invicem incaleſcant aut atterendo abſumantur. Singularem etiam format diſcurſum de *glandulis mucilaginoſis*, quarum naturam ac fontes a nemine ante ſe detectos inquirit, cui indagationi occaſionem ſibi dediſſe viſcidum illum liquorem, circa articulorum regionem nunquam non ſeſe offerentem, ipſemet fatetur. Haſce glandulas titulo *mucilaginoſarum* inſignire placuit, quia viſcidae cuidam mucagini ſecernendae illas dicatas eſſe deprehendit. Duorum vero generum

generum illas esse perhibuit, alias nempe pusillas & agminatim super membranis articulationum dispersas, aequalis omnes magnitudinis, alias vero majores & in locis quibusdam dictae membranae ossiumque articulatorum finibus adeo conglomeratas, ut separatas conspicuasque per se forment glandulas.

§. CCCCXII.

Atque haec potiora novae hujus *osteologiae* momenta sunt, quae in universum *quinque discursibus* comprehenditur. In *primo* illorum agitur de natura ossium partiumque tum illa constituentium tum investientium. *Secundus* explicando negotio nutritionis tam totius corporis, quam speciatim ossium destinatus est. *Tertium discursum* impendit auctor medullae ossium clarius, quam ab aliis hucusque factum fuerat, exponendae. *Quartus* glandularum macilaginosarum descriptioni totus dicatus est, & *quintus* cartilaginum naturam exponit, quam ossium naturae usque adeo cognatam esse adserit *noster*, ut etiam tractu temporis in osseam duritiem multae cartilagines converti soleant. Versioni novae accessit *Johannes Chr. Heyne*, Sueci, tentamen cheirurgico-medicum de praecipuis ossium morbis.

§. CCCCXIII.

Guilielmus Cowperus, chirurgus Londinensis, edidit anatomiam corporis humani longe nitidissimam, figuris ad vivum delineatis aeque illustratam atque amplis earundem explicationibus, observationes novas cum anatomicas tum chirurgicas comprehendentibus, exornatam. Id vero non abs re a *Cowpero* dictum esse, paucis tantum speciminibus comprobari liceat. Sic ex structura nervorum existentiam spirituum animalium recte vocavit in dubium, quia, cum nervi

non exiſtant tubuloſi, nec per omnem longitudinem exhibeant cavitatem, libere illos tranſmittere non poſſunt. Vaſis lacteis primi generis duplicem vindicavit originem, alteram, ab extremitatibus arteriarum petendam, & per injectionem mercurii in illas detegendam, alteram vero ab oſculis, in inteſtinorum cavum hiantibus. Ligamentis coli fibras adſcripſit carneas, excretionem foecum, ut putat, facilitantes. Vaſcula ſangviſera, glandulas in teſticulis conſtituentia, longe minora quam aliis in glandulis eſſe, ex eo demonſtravit, quod mercurius in arteriam ſpermaticam injectus neutiquam revertatur per venam, ſed perruptis extremitatibus intra tunicam albugineam potius colligatur, nec vaſa lymphatica a flatu in arteriam ſpermaticam impulſo intumeſcant. In pudendo muliebri praeter glandulas, meatui urinario adſitas, obſervavit duas inſignes inferius prope anum, quarum canaliculi ad radices caruncularum myrtiformium patent, & quarum uberiorem deſcriptionem exhibuerunt acta eruditorum Lipſienſia menſe Junio MDCC. Conferatur, ſi placet, ipſius *Cowperi* deſcriptio, quam ex anglico in latinum ſermonem translatam una cum nova glandula ſiſtunt eadem acta Lipſienſia menſe novembri A. MDCCII.

§. CCCCXIV.

Quod ſi autem fatendum ſit, quod res eſt, nullum aeque anatomicum opus medicorum ordini innotuit, quod huic ullo modo comparari valeat, niſi quis forte *Bidlovianum* excipere velit, quamvis & hoc corrigendi ſubinde libertatem ſibi ſumat *Cowperus*, imo & multas partes vel a *Bidloo* omiſſas, v. g. muſculos omnes externos in ſitu, glandulas inguinales, labiorum, epiglottidis, ſubclavias, tonſillarum &c. vel minus adcurate delineatas, v. g. arterias

in

in foetu, organon auditus, laryngem, lingvam, veſiculas ſeminales, baſin calvariae & cerebri, dilucidare cordi habeat. Praecipue vero ductum thoracicum, prout in homine reperiri ſolet, primus ad vivum delineavit, quem reliqui ad unum omnes anatomici analogice tantum, ſicuti in brutis reperitur, delinearunt. Scripſit inſuper myotomiam reformatam ſeu adminiſtrationem novam cunctorum corporis humani muſculorum, in qua veri uſus muſculorum explanantur, errores ſuperiorum anatomicorum circa eosdem confutantur, ac muſculi diverſi hactenus ignoti deſignantur, una cum figuris ad vivum expreſſis. Scripſit quoque epicriſin in D. *Dupré* deſcriptionem quinque parium muſculorum, diverſis capitis motibus ſuper primam & ſecundam cervicis vertebram inſervientium.

§. CCCCXV.

Evulgavit denique deſcriptionem duarum glandularum una cum ductibus excretoriis anno 1699. detectarum, quam ex actis philoſophicis anglicanis latine redditam exhibuerunt *auctores actorum Lipſienſium.* Reperiuntur nempe ad quartam circiter pollicis partem ſub proſtatis glandulis duae aliae minores glandulae, utrinque ad urethram, paulo ſupra bulbum corporis ſpongioſi locatae, quas a nemine alio adhuc deſcriptas eſſe adſerit *noſter.* Obſervavit, glandulas haſce depreſſa fuiſſe figura ovali, nec phaſeoli parvi magnitudinem exceſſiſſe. Separata videlicet ea muſculi acceleratoris parte, quae dictas glandulas tranſcendit, deprehendes easdem, inſtar duorum corporum durorum utrinque ad urethram ſitas. Proſtatarum more ad flaveſcentem vergunt colorem. Excretorii eorum ductus in ſuperficie interna prope internam urethrae membranam apparent, ad longitudinem dimidii

Ii 3 pollicis,

pollicis, inde deſcendentes, priusquam attenuati membranam hanc oſculis intra urethram hiantibus ac ſecretum liquorem eructantibus, oblique perforent. Superiori namque urethrae parte ad penis dorſum inciſa ejusque membrana expanſa, ubi glandulas ejuſmodi compreſſeris, humorem earundem valde tranſparentem ac tenacem per duo diſtincta egredi orificia notabis, intra urethram praeciſe infra hujus flexuram, ſub oſſibus pubis in perinaeo patentia.

§. CCCCXVI.

Atque hic potiſſimum admiratur *Cowperus* ſtupendum naturae artificium, dum ſcil. memoratis glandulis earumque canaliculis excretoriis talem aſſignavit ſitum, ut in penis erectione bulbique ſpongioſi urethrae corporis diſtenſione, neceſſario ſimul comprimantur, ſicque liquor, ductibus excretoriis comprehenſus, per duo oſcula in urethrae cavitatem urgeatur, compreſſionem tamen ea acceleratoris muſculi portione, quam glandulas ipſas ſupergredi antea notavit, multum adjuvante. Qualem agentium in comprimendo conſpirationem requiri omnino exiſtimat, quod liquor ab iisdem ſecretus & tenacisſimus ſit & neceſſario propter uſus, quibus impenditur, eſſe debeat.

§. CCCCXVII.

Quos proinde uſus adhuc clarius delineaturus *noſter*, deſcriptas glandulas primario propter magnum generationis negotium a natura fuiſſe efformatas exiſtimat, idque e ſimilium organorum in aliis quoque animalibus conſpicuorum fabrica atque examine probat, exemplo glirium, erinaceorum aliorumque animalium. Monet inſuper & tanquam notatu dignum commendat, tales glandulas in foeminis deprehendi

a ſe

a ſeſe non potuiſſe, quae nempe cum illis virorum convenirent, quamvis analogis quodammodo gaudere non neget. Nihilominus cum hae excretoriorum ductuum oſculis ad egreſſum urethrae pateant, non niſi nymphis ac pudendi labiis ab urinoſis ſalibus tuendis inſervire, liquoremque ſecretum in coitu emittere credit, univerſa interim urethra ita brevi in mulieribus exiſtente, ut ſphincteris veſicae contractio quibusvis urinae reliquiis ex eadem expellendis ſufficiat,

§. CCCCXVIII.

Caeterum uſum glandularum in praeſenti exhibitarum duplicem deſcribit: Et primum quidem exiſtimat, penis dum erigitur, tantum liquoris in urethram ab iis deponi, quantum omnibus urinae reliquiis ejiciendis harumque cum ſemine commixtioni praecavendae ſufficit. Deinde vero, quae alio tempore liquoris ab ipſis in urethram jugiter emittitur, portio, canalem hunc, ab urinae ſalibus defendit.

§. CCCCIX.

Addit tandem, ſua probabilitate non carere, glutinoſam illam materiam, quae ſub finem curationis venereae luis exſtillat, à glandulis hactenus deſcriptis, non autem a proſtatis vel veſiculis ſeminalibus ex hypotheſi ordinaria promanare, ideoque injectionem in talibus caſibus egregie conferre, easque longe utiliores fore credit, catarticis fortioribus, imo ipſis quoque adſtringentibus, quibus aegrotantes alias onerare ſoleant practici. Prompte enim concipi poſſe putat, quomodo ejuſmodi glutinis excretio aliquando pertinaciſſima, ſi non penitus incurabilis evadat, modo ab ulcere tunc ipſa ejuſmodi ductuum excretoriorum oſcula ſupponatur eroſa. Denique *Cowperum* habet auctorem relatio eorum,

quae

quae in diſſecto cadavere Dn. *Dove* ex actis philoſophicis ſocietatis regiae anglicae excerpta exhibuit.

§. CCCCXX.

Johannes Broewn, Caroli II Britanniarum regis nec non *noſocomii D. Thomae in Soutwarck* chirurgus ordinarius, ſcripſit epiſtolam anatomicam ad unum ex Secretariis *Societatis Regiae Londinenſis*, in qua ſententiam ab anatomicis tantum non omnibus hodie receptam & adprobatam de ſubſtantia hepatis glanduloſa confirmat, exhibita obſervatione de hepate quodam manifeſte & ad ſenſum glanduloſo viri cujusdam, qui in dicto noſocomio ex hydrope deceſſerat, & frigore male adfectus, dum noctu miles excubias egerat, ex multo aquae frigidae potu morbum iſtum contraxerat.

§. CCCCXXI.

Quanquam autem de hiſtoriae fide vix quisquam dubitet, credo tamen, multos repertum iri, qui ſerio objicient, *a ſtatu morboſo & praeter naturam ſeſe habente ad ſtatum corporis ſanum atque naturalem non eſſe concludendum.* Corpora enim ſphaeroidea, quae nonnulli alii quoque in ſubjectis morboſis, atrophia vel hydrope denatis detexerunt, non fuerunt glandulae, ſed tubercula morboſa, atheromata, ſteatomata, grandines, congeſtiones tartareae, in formam globulorum compactae, uti recte obſervavit *Heiſterus.* Unde male concluſerunt, qui ſphaeroidea talia corpuſcula in hepate defunctorum morboſo obſervarunt, quod verae fuerint glandulae & quod ſub tali etiam forma reperiantur in hepate hominis ſani. Quae tamen omnia tanto facilius fidem invenient, ſi quis ea, quae *Ruyſchius epiſtola problematica quinta* de ſtructura hepatis demonſtravit, ad animum rite revocaverit: Inde enim, ſtructu-

ſtructuram hepatis mere vaſculoſam eſſe, ex innumerorum minimorum vaſculorum congerie contextam, clarisſime convincetur.

§. CCCCXXII.

Edidit praeterea *myographiam novam*, ſive muſculorum omnium, in corpore humano hactenus repertorum, adcuratisſimam deſcriptionem, in ſex praelectiones diſtributam, quibus nomina ſingulorum, in ſuo quaeque loco ſituque naturali, in aeneis muſculorum iconibus exarantur, eorum item origines, inſertiones & uſus graphice deſcribuntur, additis inſuper ipſius authoris & aliorum nuperrimis obſervationibus & inventis. Prodiit Lugduni Batavorum A. MDCLXXXVII.

§. CCCCXXIII.

Neque oblivisci decet ejusdem *oeconomiae animalis*, quae, dum in functionibus partium explicandis verſatur, anatomes ope carere neutiquam potuit. Itaque variae ibidem obſervationes leguntur, quas inter ea, quae de venis cordis, in auriculas ſeſe exonerantibus agit, omni conſideratione digna eſt.

§. CCCCXXIV.

Thomas Gibſon, Anglus, medicinae Doctor & *collegii medici Londinenſis* ſocius, edidit compendiariam totius C. H. anatomen, in qua tamen nihil ſingulare praeſtitit, niſi quod ab aliis abunde jam praeſtitum fuit. Dividit enim corpus humanum more omnibus anatomicis hactenus ſolemni, nempe in tres ventres, caput, thoracem & abdomen, & *primum* agit de abdomine ejusdemque viſceribus, *ſecundo loco* de thorace ac *tertio* demum de partibus capitis, hinc denique tranſit ad arteriarum, venarum, nervorum, muſculorum atque oſſium deſcriptionem.

§. CCCCXXV.

Martinus Lysterus, medicus *Oxoniensis*, scripsit epistolam ad *Henricum Oldenburgium*, *societatis Regiae Anglicanae secretarium*, in qua continetur observatio de usu intestini coeci in figurandis quorundam animalium excrementis. Quam *Lysteri* sententiam sequentibus verbis explanant *actorum Lipsiensium* eruditorum *auctores*: 1) Determinatam figuram *Lystero* intelligi in excrementis, in multas minutas partes similis figurae divisis, qualia sunt ovium, cervorum, cuniculorum, leporum &c. 2.) Laxiore sensu in omnibus excrementis, quae liquida non sunt, qualia sunt stercus columbinum, anserinum, humanum &c. Coecum putat ambobus figurandis inservire, sed hoc maxime manifestum esse in prioris generis excrementis. Nimirum videri hujus intestini usum in eo consistere, ut excrementa in cavitatem ejus delata (quod ipsius opinione in sanis saltem animalibus, vel omnibus fecibus alvinis vel maxime earum parti contingat) tam diu ibi serventur, donec satis exsiccata, indurata ac justam consistentiam nacta sint, ut figuram in colo & recto melius recipiant. Hoc in animalibus prioris generis sibi manifestius apparere. Nam in mure majori, e. g. cujus excrementa utique constanter figuram similem servant, coecum valde amplum esse ipsoque stomacho capacius, & mirabilem coli structuram in hoc animali adjuvare conjecturam. Non statim infra valvulam intestini coli esse spirales quasdam fibras, quae cochleae quoddam genus componant: Unde colligit, faeces mora in coeco justam consistentiam nactas, atque inde propulsas in spirales illas plicas coli, non recta & ad perpendiculum, ut ante in tenuibus intestinis, descendere posse, sed lente per cochleae anfractus, atque inde figuram accipere. Itaque si ligaretur

retur coecum, aut alia ratione faeces non admitteret, credit inevitalem animali fore diarrhoeam. Verum licet multa circa hanc *Lysteri* sententiam moneri possent, anatomiae tamen cancellos hac vice transilire nolumus.

§. CCCCXXVI.

Admodum quoque curiosus fuit in observanda natura conchiliorum rerumque eo pertinentium: Unde exercitationem anatomicam edidit, in qua exactam cochlearum terrestrium, testaceorum & limacum dissectionem proposuit, licet *Franciscus Rhedi*, & *Harderus* in anatomia cochlearum perpolienda jam laudabilem collocaverint operam.

§. CCCCXXVII.

Henricus Ridley, collegii medici *Londinensis* socius dignissimus, suscepit post aliorum curiosas disquisitiones non contemnendas, anatomiam cerebri, una cum novis inventis atque veterum pariter atque modernorum emendationibus circa idem subjectum. Quamvis enim *Willisius*, *Vieussens* aliique solertissimi cerebri nervorumque scrutatores utilissimum jam laborem consumpserint in harum rerum adcurata pervestigatione; Nondum tamen omnem adeo fundum expiscati sunt, quin nostro aliquid vel de novo adjiciendum vel saltem emendandum restare videretur. Ex multis, quae in scripto ejus legi possunt, unius tantum exempli mentionem faciam. Meningem mediam cerebri, quam *Bohnius*, Lipsiensis, & *Bidloo*, Belga commemorant, & *Ruyschius*, Amstelredamensis, in epistola *responsoria nona* ad epistolam problematicam D. *Goelicke* plane delineat, ille tantum habet pro externa piae meningis lamina, in quas cogitationes meminit sese descendisse, occasione hydropici dissecti, in quo omnia

ejus interſtitia aqua repleta fuerunt. Dubium vero exinde remanet, quod nihilominus membrana illa, *Ruyſchio arachnoidaea* dicta, eodem modo, uti reliquae, non cerebrum tantum, verum etiam univerſam ſpinalem medullam ubique inveſtiat.

§. CCCCXXVIII.

Edidit praeterea obſervationes medico-practicas & phyſiologicas, quibus tamen etiam nonnullae anatomicae ſunt permixtae. Auctor quoque eſt diſſertationis de *ſtructura vaſorum cordis in embryone, & ſanguinis juxta eum circuitu;* Cui ſcribendae occaſionem dubio procul dedit controverſia, quae eo tempore inter *Meryum* & alios de *foraminis ovalis uſu in foetu* vigebat. Adjectae ſunt novae figurae, totum negotium magis illuſtrantes.

§. CCCCXXIX.

Commode hic ſuum quoque locum invenit ejusdem D. *Ridley* experimentum *anatomicum*, ad veram durae matris motus cauſam detegendam ab ipſo inſtitutum: Cum enim *Baglivus* in ſuo ingenioſo *libello de fibra motrice* cauſam hujus oſcillationis vindicaſſet propriae durae meningis ſubſtantiae & texturae; Noſter vero longe probabilius judicaſſet, ut pulſui arteriarum, per totum cerebrum copioſiſſime diſperſarum, adſcriberetur: Hinc, ut clarius adpareret, utra harum ſententiarum veritati propior eſſet, ſequens adornavit experimentum, quod iisdem plane verbis exhibeo, quibus clariſſimi *auctores actorum Lipſienſium* menſe majo A. MDCCV. p. 216. & 217. uſi ſunt: *Canis ſcilicet ſuperiori bregmatis parte terebrata, membranam duram non ſine aliqua ſanguinis jactura denudavit. Hinc cohibita hamorrhagia, abſterſoque ſanguine, durae matris ejusque ſinus longitudinalis, qui per marginem foraminis decurrebat,* *motum*

motum systalticum cordis vibrationis, quae justo citatior erat, aemulum hujusque rythmo ad amussim respondentem deprehendit. Post lapsum unum horae quadrantem, eandem hamulo acuto suspensam perforavit, quam perforationem acute persentiscere videbatur canis, convulsionis tamen cujusvis expers. Comparuit scil. motus cerebri systalticus, tantillum sanguinis, quod in membrana continebatur, foras propellens. Postea cuspide forficis obtusa caute in aperturam membranae vulneratae immissa eam transversim in parte ejus a sinus longitudinalis transitu maxime remota dissecuit; Hinc protrusum fuit cerebrum pia matre tectum, perseverante adhuc motu ejus ad tactum satis forti, licet membrana ipsa, ob vim restitutivam fibrarum suarum a plaga accepta imminutam, ad oculos obscurius vibrari videretur. Toto hoc tempore vegetus adhuc erat canis, levibus tantum tremoribus, cum quodam horrore per universum corpus affectus. Postquam igitur per aliquot horas hic vexatus, multum sanguinis effuderat, ut omnem vim pulsificam, quae vel huic membranae inesse, vel aliunde accedere supponi potest, adimeret autor, guttulas aliquot olei vitrioli leniter illinebat; Unde nigro colore tingebatur haec, & nulla, saltem exigua & obscura percepta est ejus vibratio, admoto tamen digito satis distinctus cerebri pulsus sentiebatur. Peractis his, cum cultri mucronem ad unius unciae crassitiem in cerebri substantiam intrusisset, vehementer se agitavit canis, hactenus adhuc vegetus & in horrendas corporis jactationes & pedum anteriorum & posteriorum convulsiones incidit, & cerebrum fortius quam antea movebatur. Postea specillo profundius adacto, sensus dolorifici indicia maxima dedit animal, cultro tandem usque ad latus cranii oppositum trajecto horrendis agitatum fuit spasmis; Et interim systolen & diastolen cerebri, cum maximo renisu factam digito autor aeque ac alii adstantes perceperunt. Quibus pensitatis phaenomenis, patere existimat clarissimus Ridley, *motum cerebri & meningis a peculiari durae matris textura non dependere.*

 §. CCCCXXX.

§. CCCCXXX.

Eduardus Tyson, ſocietatis anglicanae membrum & Xenedochii Bethlehemenſis medicus, inque collegio chirurgorum anatomiae profeſſor publicus, edidit obſervationes quasdam anatomicas circa pilos, uti & circa dentes, oſſa &c. quas ex collectionibus philoſophicis anglicanis excerptas exhibent acta eruditorum Lipſienſia menſis maji MDCLXXXIII. Scripſit praeterea anatomen pygmaei cum cercopitheci, ſimiae & hominis anatomia comparatam, nec non anatomen *phocaenae*, in collegio *Gershamenſi* disſectae. Prius vero, quam aquatilis hujus, quod alias *turſionem*, meerſchwein, vocant, deſcriptionem anatomicam adgrediatur *auctor*, anatomen in genere atque hinc comparativam commendat, ſimulque, qua methodo naturalis animalium hiſtoria erui & formari debeat, edocet. Inde vero demum diſſectionem *phocaenae*, methodo commendatae conformem exhibet, quod facietenus & forma externa piſci per pleraque ſimile eſt; Quoad internarum vero partium ſtructuram quadrupes potius dicendum foret, imo ſecus, ac reliqui piſces, ſanguine fervente gaudet. Reliqua ſingularia hoc in animali reperta in compendio ſiſtunt *acta eruditorum Lipſienſia* menſ. Januar. Anno MDCLXXXII.

§. CCCCXXXI.

Circa idem propemodum tempus, nempe anno 1682, *Anonymus* quidam, *Anglus*, *collegii phyſici Londinenſis* ſocius, edidit *Londini* anatomiam corporis humani in compendio quaſi traditam, in qua ſiſtuntur conformationes, actiones & uſus omnium partium H. C. Comprehendit *auctor* univerſam anatomiam ſex partibus, quarum *prima* agit de abdomine, *altera* de thorace, *tertia* de capite, *quarta* de vaſis artuum cujus-

cujuscunque generis, *quinta* de musculis & *sexta* de ossibus totius corporis.

§. CCCCXXXII.

J. Case, M. D. *Londinensis* compendium anatomicum nova methodo, ut ipsi videtur, institutum concinnavit, quod *tribus libris* constat, in quorum *primo* integris XIV. capitibus de anatome in genere, de ossibus, cartilagine, ligamentis, membranis, fibris, venis, arteriis, nervis, musculis, carne, cute, pingvedine, ungvibus & pilis agitur. In *secundo*, praeter receptam C. H. divisionem, viscera tam abdominis, quam thoracis & capitis explicantur; Et in *tertio* uterus una cum vasis spermaticis mulierum exponitur.

§. CCCCXXXIII.

Nehemias Grew, Doctor medicus *Anglus*, societatis regiae membrum, edidit anatomen comparatam ventriculorum & intestinorum, quae descriptioni rerum rariorum naturalium pariter atque artificialium, ad societatem regiam pertinentium, subjuncta est.

§. CCCCXXXIV.

Non audemus equidem ejusmodi institutum penitus improbare: Nihilosecius tamen id quoque monere non inconsultum ducimus, omnem adhibendam esse circumspectionem, ne, quod in sectionibus brutorum recte observatum est, ob qualemcunque analogiam improvide ad anatomicen hominum transferatur, quia multiplicem errandi occasionem inde natam esse, neminem rerum anatomicarum peritum latere potest. Caeterum non desinunt curiosae, quas *auctor* variis in brutis fecit, detectiones salivam movere. Exponitur nempe in appendice ad catalogum & descriptionem
rario-

rariorum tam naturalium quam artificialium ad *ſocietatem regiam Londinenſem* pertinentium, ſtructura ventriculorum & inteſtinorum, prout variis in animalibus pro ipſorum animalium alimentorumque, quibus veſcuntur, varietate, diſtincta atque varia reperta eſt.

§. CCCCXXXV.

Cujus rei ſucceſſus ut unicum ſaltem exhibeamus ſpecimen, ex primo capite breviter repetimus, exhiberi ibi anatomen ventriculi atque inteſtinorum ſex quadrupedum carnivororum, ſcilicet *muſtelae*, *furonis*, *putorii*, *felis*, *canis* & *vulpis*, in quibus omnibus ad haec tria potiſſimum reſpicere jubet: Et primum quidem ad ſtructuram & texturam harum partium, tam quoad ſubſtantiam plus minus membranoſam vel carneam, qua ratione inteſtina felis in muſcularem & membranaceam partem dividuntur, quam quoad earundem ſecundum tres dimenſiones quantitatem; Una cum reſpectivis earum differentiis, cum muſtela ſimpliciſſimam inteſtinorum habeat conformationem, canis & vulpes ſolum obtineant coecum, colo omnia careant. Deinde ad glandulas inteſtinales horum animalium, non quidem in muſtela, ſed in quatuor ultimis copioſas, easque vel *ſociatim* in racemos junctas, & has fere minores, ex oppoſito inſertionis vaſorum in inteſtina ſitas, quorum racemorum quilibet *pancreas inteſtinale* vocari poſſit, ſaltem quod non unum communem ductum habeant, cum ſingulae glandulae propria ſua orificia mucoſi liquoris excretoria habeant: Vel *ſeparatim* hinc inde diſperſas, easque majores & ampliores. Denique ad folliculos ſeu ſacculos binos prope anum ſitos, quibus omnia haec animalia gaudent, & quos exiſtimat proprios ſaltem carnivoris quadrupedibus, interius cavos & liquorem, foetorem animali propri-

proprium ſpirantem contingentes, quos analogos arbitratur iſtis folliculis, in quibus *Zibethum* in *Civetta* continetur. Speciatim obſervat, in muſtela expanſum eſſe ſuper hos folliculos ſphinčterem, qui eos & anum una comprimendo, ad ſimultaneam evacuationem has partes cogat. Quae reliquis novem capitibus continentur, in epitome exhibuerunt *acta eruditorum Lipſienſia*, Calendis martii publicata A. MDCLXXXII.

§. CCCCXXXVI.

Waltherus Charleton, medicus *Londinenſis*, auctor eſt *exercitationum phyſico-anatomicarum de oeconomia animali*, (quae novis quidem, dummodo veris in medicina hypotheſibus eſt ſuperſtructa & mechanice explicata,) tres promulgavit lectiones anatomicas, quarum *prima* concernit motum ſanguinis per venas & arterias, *ſecunda* ſtructuram cordis organicam, & *tertia* cauſas pulſationis cordis efficaciter proſequitur.

§. CCCCXXXVII.

Nihil vero hiſce in lectionibus praeſtitit *auctor*, quod non alii dudum praeſtiterint; Optandum ſaltem foret, novam non dediſſe occaſionem eundem, alienas ſpeculationes in artem invehendi. Ita quod motum ſanguinis circularem attinet, non diffitetur quidem, hoc argumentum ab aliis jam tractatum eſſe, interim tamen ſe actum acturum non eſſe exiſtimat, ſi ſaltem in cauſas, conditiones, circumſtantias & rationem inprimis mechanicam motus hujus circularis inquireret. Dum vero ſponte fatetur *noſter*, ſe doctrinae clarioris gratia demonſtrationes aliquot mechanicas ex *Johannis Alphonſi Borelli* libris de motu animalium mutuatum eſſe, id quod etiam ex mutua utriusque ſcripti collatione ſic ſeſe habere deprehenditur, quid lectione iſta opus erat? Quanto

 interim

interim auctoritatis praejudicio laboraverit *noster*, inde liquet, quod ab *hypothesibus Borellianis* ne latum quidem ungvem recedere ausus fuerit, exceptis gratuitis quibusdam ac plane chymaericis explicandi modis, quando is v. g. pro fibrarum cordis pariter ac reliquorum musculorum motu peragendo quandam sanguinis fermentationem ejusdemque cum succo nerveo ebullitionem in subsidium vocare non veretur, vix interim meliorem fiendi rationem substituens, quando solis succi nervosi guttulis, poris fibrarum cordis rhomdoidalibus instillatis, hosque cuneorum instar dilatantibus systolen cordis in acceptis referre non dubitavit. Verum hae similesque speculationes inanes merito hodie peritioribus nauseam imo risum movent.

§. CCCCXXXVIII.

Idem quoque disquisitionem instituit physiologicam de causis catameniorum & uteri rheumatismo; Prius tamen, quam ad eam perveniat, praemittit historiam uteri anatomicam, in qua non modo locum in corpore ab utero occupatum una cum ejusdem differentiis ratione magnitudinis in virgunculis, marito maturis, vetulis, praegnantibus ac partum saepius expertis, sed & substantiam ejus, vasa ac partes, quibuscum connectitur, descripsit. Quod vero causam catameniorum in foemellis & rhevmatismum uteri attinet, illorum disquisitionem, tanquam ad physiologiam potius, quam anatomiam spectantem, hic merito praetermittimus.

§. CCCCXXXIX.

Curiosa experimenta circa liquorem coeruleum ad vasa lactea transmissum in *Actis Philosophicis Anglicanis* exhibuit D. *Guilielmus Musgrave*, *Regiae Societatis Londinensis Socius*. Quanquam

quam enim *Listerus* saepius tentaverit, vasa lactea colore quodam tingere, sicque hoc artificio ea magis in conspectum aliorum deducere, sperato tamen ejus institutum caruit successu: Unde suo marte experimenta ista repetere congruum duxit; Atque adeo in intestinum jejunum canis, qui pridie non nisi parum alimenti assumpserat, solutionis *Indigo*, aqua fontana factae duodecim circiter unicas injecit, quo post trium horarum intervallum denuo aperto, multa vasa lactea coeruleo colore imbuta conspexit, quae, licet extenso mesenterio aliquoties evanescerent, evidenter tamen in oculos denuo incurrebant, ubi laxum illud servabatur, indicio manifesto, colorem coeruleum non vasis, quod homines suspicari posse metuerat *Listerus*, verum potius liquori contento proprium esse. Paucis diebus post idem experimentum in cane, 36. horas inediam passo, coram aliis cum solutione ultramarini in aqua fontana facta repetens *Auctor*, multa vasa lactea, paucis ab injectione minutis, colore perfecte cyaneo infici observavit; Qua quippe facie apparuerunt, antequam intestinum consuere liceret.

§. CCCCXL.

Hisce utut satis manifestis experimentis nondum satis fidens, alia vice in canis accipitrarii, 36. horas jejuni, tenue intestinum decocti ultra marini, aqua simplici facti ac probe saturati sextarium injecit, ac tribus horis post, abdomine inciso, multa vasa lactea perquam egregie coeruleo colore tincta invenit, quorum nonnulla dissecta liquorem coeruleum per mesenterium exstillarunt. Hinc ductum thoracicum cum vicinis vasis prius ligatum examinans, hunc aeque ac receptaculum chyli, quamvis levius ac vasa lactea propter affusam lympham, tinctum vidit, magis tamen coeru-

coeruleum, quam naturaliter eſſe ſolet, vel qualem colorem vaſa etiam lymphatica ſub hepate prae ſe ferebant. Propriis interea oculis nunquam ſatis confiſus, plures ſemper medicos in experimenti fidem adſcivit, qui vaſa lactea cum ipſo omnes tincta pronunciarunt.

§. CCCCXLI.

Jacobus Dracke, Collegii medicorum & Societatis Regiae Socius, novum conſcripſit anatomiae ſyſtema ſeu anthropologiam novam, in qua oeconomia animalis deſcribitur. Adnotarunt vero Dni. *Collectores Actorum Lipſienſium*, duo eſſe, quae dictam oeconomiam minus commendent. *Primum* eſt, quod *Auctor* ipſe fatis prius ceſſerit, quam ultimam operi manum admovere valuerit. *Alterum* vero eſt, quod easdem figuras comprehendat, quas *Blancardus* in anatomiae ſuae editione prima ex aliis auctoribus, nulla eorum mentione facta, & quidem maximam partem inverſas inconſiderate & ſine judicio exhibuerat, qua de cauſa etiam ſuo tempore noſtras cenſuras, &, quas juſtisſime promeruit, cribrationes, non effugiet. Si vero figurae *Blancardianae* mala fide ex aliis mutuatae, multis modis mutilae ab ipſo exhibentur, quis dubitaverit, foedius adhuc easdem deturpatas fuiſſe ab auctore, qui inde illas deprompſit? Nihilominus aliqua ex parte utile eſſe non deſinit opus, poſtquam *Cowperus* obſervationibus errorumque correctionibus & figurarum quam plurimarum ſubminiſtratione, operam ſtrenuam eidem commodavit.

§. CCCCXLII.

Similiter anatomiam corporis humani, figurarum, potiores partes ad vivum adumbrantium, viginti tribus tabulis aeneis illuſtratam edidit W. *Cheſelden*, chirurgus & ſocietatis regiae ſocius, & quidem in eorum gratiam, qui in chirurgia

rurgia & medicina proficere adnituntur: Quem in finem, omiſſis variis ſupervacuis ſubtilitatibus ac diviſionibus minus neceſſariis, eas ſolum partes deſcripſit, quae figuram ſitumque conſtantem ſervare ſolent, eo quidem ordine, ut, quae ſine praevia alterius deſcriptione intelligi nequeunt, praemittantur. Itaque hiſtoriam partium ab oſſibus orditur, quod ſine oſſium notitia muſculi, qui quippe illis implantantur, intelligi nequeant. Agens tamen *libro primo* de oſſibus, ſimul cartilaginum, ligamentorum & glandularum juncturas lubricantium non obliviſcitur. *Libro ſecundo* ad deſcriptionem muſculorum progreditur, quia ſine eorum cognitione vaſcula, quae per illos feruntur, recte intelligi non poſſe exiſtimat. *Libro tertio* viſcera cum integumentis eo modo explicat, qui ad oeconomiam animalem tanto melius explanandam conducere poſſit, ſiquidem praeter integumenta corporis communia glandulae ſalivales, omentum, ductus alimentaris & meſenterium, hepar, folliculus fellis, pancreas, lien, vaſa lactea, pulmones, cor, pericardium, arteriae, venae, vaſa lymphatica, glandulae, utraque meninx, cerebrum ipſum cum medulla oblongata & ſpinali diſtinctis capitibus deſcribuntur. Denique *quarto* in *libro* circa urinae & generationis organa in utroque ſexu occupatus eſt, deſcribens ſimul foetum in utero, oculos aureſque, & figuras, ubique deſcriptas partes ad vivum repraeſentantes adjiciens, una cum propriis obſervationibus hinc inde interſperſis.

§. CCCCXLIII.

Suum denique locum hic adhuc invenit A. *Moulins*, medicus collegii *Trinitatis* prope *Doublinum*, qui in eodem ſeſe exercuit argumento, quod jam ante ipſum duo celebres Zootomi, *Severinus* nempe & *Blaſius* tractandum in ſe ſuſceperant,

perant, & *ille* quidem in *Zootomia Democritea*, *hic* vero in *anatome animalium.* Inſcriptio operis haec eſt: *Hiſtoria anatomica elephantis Dublini caſu incendio peremti, una cum relatione novarum quarundam obſervationum anatomicarum in animalium oculis.* Sunt duae epiſtolae, in quarum *priore* ad Dn. *Guilielmum Petti* de elephante perſcripta auctor pollicitus eſt, ſe defectus aliorum Zootomorum ſuppleturum; In *poſteriore* vero, ad Dn. *Boyleum* data, quaedam nova circa oculos à ſe detecta exponit.

§. CCCCXLIV.

Hos omnes, quos hucusque recenſuimus, partim ſcriptorum anatomicorum numero, partim claritate, ſi non ſuperant, certe haud imparia ipſis praeſtiterunt noſtri *Germani*, quibus etiam *Batavos* adnumeramus. Prius vero, quam ad ſpecialem anatomicorum Germanorum recenſionem, provehamur, quaeſtio praeliminaris decidenda eſt? *An anatome jure divino & humano licita ſit?* Cauſam medicorum in ſe ſuſcepit *Georgius Tobias Schwendendörfferus*, qui quaeſtionem hanc *medico-legalem* in diſputatione *Lipſiae* habita adfirmative decidit. Inter hos itaque locum primum tribuere non dubitamus *Caſparo Bauhino*, Baſileenſi, *Johannis Senioris* filio, qui in ſtudio anatomico non exiguam gloriam adſecutus eſt, & in academia patria integros 40. annos medicinam docuit. Fuit etiam archiater *Principis Würtembergici* & famam ſuam longe lateque diſſeminavit. Varios edidit tractatus anatomici argumenti, nempe de partibus humani corporis ſimilaribus, quo tamen libro non multum operae precium feciſſe exiſtimatur. Theatrum vero anatomicum non methodo ſolum egregie ſeſe commendat, verum etiam omnium fere reliquorum ſententias clare

in con-

in conspectum producit. Similiter scripsit universalem methodum anatomicam, multis novis iisdemque raris propriis observationibus refertam, quam ad *Vesalii* tabulas potissimum adcommodavit; quam ob causam etiam a *Riolano* plagii adcusatur, a quo tamen crimine liberari facile potest, quia ipsemet nunquam dissimulavit, a *Riolano* se fuisse adjutum. *Conringius* miratur, *Bauhinum* tam pauca proprio marte detexisse, etiamsi integros quadraginta annos rem anatomicam exercuerit; Sed huic quidem imputationi contrariari videntur pomposi tituli, quos passim operibus suis tribuit. Scripsit enim libros IV. de corporis humani fabrica, sectionibus publicis atque privatis comprobatos, multisque novis inventis auctos, librum quoque de partibus humani corporis externis, i. e. universalem methodum anatomicam, multis novis iisdemque raris observationibus propriis refertam, item epistolam anatomicam curiosam ad D. *Voglerum*, in qua nova sua inventa complexus esse videtur. Edidit praeterea anatomicam corporis tam virilis quam muliebris historiam & institutiones anatomicas, tyronibus artis non contemnendas. Primus detexit valvulam admodum insignem, crassam atque membranaceam orificio intestini ilei in colon hianti adstantem, quam in hunc usque diem *Bauhinianam* dicimus: Licet non defuerint, qui primam ejus inventionem aliis adscripserunt, qua de re mordacissimam pro more litem movere non dubitat *Riolanus*: Hic enim *antropologiae suae Libr. I. Cap. XII.* prolixe probare suscepit, valvulam coli jam dudum ante natum *Baubinum* eleganter descripsisse *Varolium* & *Solomonem Albertum*, atque hinc plagii reum esse *Bauhinum*: Addit quoque, *Archangelum Piccolhomineum*, medicum Romanum, in suis praelectionibus anatomicis, quas anno 1586. edidisset, jam insinuasse mirificum naturae artificium ad principium

coeci

coeci collocatum, videlicet tres valvulas eo fine constructas, ut remeantibus sordibus obsisterent.

§. CCCCXLV.

Reliquit idem brevem descriptionem *domus anatomicae Haffniensis*, in qua permulta curiosa, ad rem *naturalem, anatomen* & *Zootomen* spectantia, olim adservabantur, & quorum catalogum hac in descriptione exhibuit. Idem author est disputationis de *hepate defuncto*, quae novis *Bilsianorum* observationibus potissimum opposita est. Obiit anno 1623. cum annum aetatis suae sexagesimum tertium attigisset, & reliquit filium, *Johannem Casparum Bauhinum*, pariter Professorem in *academia Basileensi*, qui non solum Galliae Regis, verum etiam variorum principum Germaniae archiater exstitit, anatomica vero ad exemplum patris sui non scripsit.

§. CCCCXLVI.

Circa initium statim seculi ab *anonymo* quodam edita est Isagoge anatomica graece, cum interpretatione *Petri Laurembergii*, quae a *Joachimo Morsio* in lucem publicam emissa est.

§. CCCCXLVII.

Adrianus Spigelius, Bruxellensis, *Casserii* & *Aquapendentis* auditor, in *academia Venetorum Patavina* anatomiae & chirurgiae Professor longe celeberrimus fuit. *Casserio*, vivente adhuc *Aquapendente*, in professione successit, in cujus administratione talem se gessit, ut merita ejus ad dignitatem equestrem ipsum evexerint. Edidit Libros X. de fabrica H. C. 98. tabulis elegantissimis nec ante hac visis exornatos, quos *Daniel Bucretius* jussu auctoris in lucem protulit. Constat universum opus *decem* libris, in quorum *primo* externarum partium appel-

appellationes, figura, magnitudo & mutua inter ſeſe proportio exponuntur, in *ſecundo* oſſium hiſtoria proponitur; in *tertio* de cartilaginibus & ligamentis, in *quarto* de muſculis agitur, & uti in *quinto* venarum, ita in *ſexto* arteriarum natura earumque per univerſum corpus ſeries atque diſtributio explicatur, in *ſeptimo* nervi, in *octavo* partes & viſcera infimi ventris, in *nono* praeter integumenta communia medii ventris ſeu thoracis organa, & in *decimo* capitis viſcerumque in eodem contentorum hiſtoria deſcribitur. Exhibuit etiam cataſtrophen anatomiae publicae in *Lyceo Patavino* feliciter abſolutae, fauſta adclamatione inclytae nationis germanicae exceptam, item duas epiſtolas anatomicas, & ſingularem *librum de formato foetu*, figuris aeneis exornatum, curaque ac ſtudio *Liberalis Cremae Tarviſini*, philoſophiae ac medicinae Doctoris poſt *Auctoris* fata editum. Natus eſt anno 1578. & mortuus ex empyemate ſub axilla orto anno 1625. cum aetatem ſuam ad annum quadrageſimum ſeptimum produxiſſet.

§. CCCCXLVIII.

Georgius Graſeccius, Argentinenſis, examen theatri microsmici in publicum produxit, in quo ceu viva imagine fabrica H. C. maſculum repraeſentantis ejusque praecipuae partes tam externae quam internae, tam ſimilares quam diſſimilares affabre τῇ αὐτοψίᾳ demonſtrantur; Cum cujusque partis, quo quaelibet p. n. affectu tentari poteſt, ſuccincta notatione, methodo anatomica in unum quaſi corpus congeſtum. Ut vero, qua ratione penſum ſuum abſolverit auctor, diſtinctius pateat, unico tantum exemplo rem totam illuſtrabimus. Acturus namque de capitis collique ut & aliarum partium adfectibus morboſis, anatomice primum partes iſtas deſcribit, atque adeo agit primum, poſt externarum capitis

partium nomenclaturam, de partibus colli externis, poſthaec de partibus externis medii ventris, & tunc demum, his praemiſſis, adfectus huc pertinentes exponit. Eodem modo in deſcriptione infimi ventris morborumque illi propriorum ſeſe gerit.

§. CCCCXLIX.

Matthaeus Merianus, chalcographiae quidem artem ſolummodo exercuit, interea tamen ad exornandam artem anatomicam ſuum contribuit, eumque in finem edidit vivas imagines partium H. C. aeneis formis expreſſas, ex theatro anatomico *Caſpari Bauhini.* Ut vel hanc ob cauſam anatomici eruditi ſufficientes rationes non habeant nobis ſuccenſendi, quod honorificam ejusdem mentionem hic fecerimus, etiamſi alias nomen anatomici ipſum non mereri, probe ſciamus.

§. CCCCL.

Sebaſtianus Bloſſius, ſcripſit diſquiſitionem totius ſcepſeos anatomicae, quae *Tübingae* lucem publicam adſpexit anno 1622.

§. CCCCLI.

Laurentius Strauſſius ſcripſit conatum anatomicum, aliquot diſputationibus exhibitum, item microcoſmographiam metricam ſive humani corporis hiſtoriam elegiaco carmine exhibitam, & ad circulationem ſanguinis & pleraque nova anatomicorum inventa adcommodatam. Eidem quoque debetur reſolutio caſus *Musſipontani*, foetus nempe extra uterum in abdomine retenti, cum adnexis judiciis celeberrimorum medicorum, cui acceſſit *Antonii Deuſingii* conſideratio phyſico-anatomica ejusdem foetus cum replica *Strausſii* & epiſtola *Johannis Chriſtophori Euſenmengeri* cum reſponſo

Johan-

Johannis Danielis Horstii, opus & lectu jucundum & admirandum, atque ad generationis humanae mysterium addiscendum utilissimum. Quemadmodum autem eorum quilibet, qui suum de mirabili hac historia aperuit judicium, suo abundat sensu: Ita nonnulli de ipsa plane fide historica dubitare ausi sunt. Quicquid vero sit, non cessant interea considerationes, a celeberrimis Viris circa foetum hunc *Mussipontanum* institutae, suam exhibere utilitatem.

§. CCCCLII.

Johannes Remmelinus, Suevo-Ulmensis, philosophiae ac medicinae doctor, catoptrum microcosmicum suis aere incisis visionibus splendens edidit. Si quis mirabilem hanc operis *anatomici* inscriptionem miretur, ex *Remmelino* ipso explicationem ejus audiat. Inscripsit *catoptrum microcosmicum*, quod quis in eo, ceu speculo hominem, qui parvus mundus est, contueatur. Vult autem, catoptrum istud tribus splendentibus orichalco incisis visionibus construi, pluribus variis figuris refertis visionibus constantibus, quae justa proportione, veroque naturali situ, in masculi, foemellae & infantis effigie, omnes externas internasque hominis partes videndas exponunt, additis sua *historia microcosmographica* tactas partes describente, & *pinace*, litteras & characteres, figuris insculptas explicante, quo primis saltem lineis mirabilis C. H, structura depingatur.

§. CCCCLIII.

Ut vero paullo distinctius pateat, quid in *catoptro* hoc *microcosmographico* praestiterit Auctor, sciendum est, totam tractationem 5. absolvi capitibus, ita quidem, ut praemissis prolegomenis, *primo* in capite homo ejusque externa species

ſeu ſuperficies conſpicienda exhibeatur, in *ſecundo* partes ſimilares, totum corpus, ejusque partes circumvolventes & inveſtientes explicentur, in *tertio* eaedem ſimilares partes, totum corpus nutrientes & vivificantes proponantur, in *quarto* partes animantes ac ſuſtentantes, in *quinto* diſſimilares, imo ventre concluſae, & in *ſexto*, eaedem diſſimilares partes medio ventre contentae & in *ſeptimo* partes ſupremo in ventre collocatae ob oculos ponantur. Poſtremo ſeu *octavo* capite regimen partium hominis unitarum animae domicilium extantium enarratur, ſimulque toti operi finis imponitur.

§. CCCCLIV.

Chriſtophorus Meurerus, Lipſienſis, patrem habuit *Wolffgangum Meurerum*, medicinae Doctorem ejusdemque in *Alma Lipſienſi* Profeſſorem. *Noſter* vero, poſtquam in *Academia Lipſienſi* gradum in medicina acceperat, ibidem in urbe patria praxin exercere coepit & medicus Xenodochii publicus conſtitutus eſt. Scripſit orationem de anatomia & vel hoc nomine penitus praetereundus non fuit.

§. CCCCLV.

Johannes Matthaeus Viringus edidit tabulam anatomicam oſſium humani corporis, quae in folio prodiit.

§. CCCCLVI.

Johannes Veslingius, Mindanus, *academiam Patavinam* condecoravit ibidemque anatomiae & botanices Profeſſor famigeratiſſimus fuit. Cultoribus artis reliquit ſyntagma anatomicum, publicis diſſectionibus in auditorum uſum adaptatum, quod proinde locis quam plurimis auctum, emendatum novisque iconibus diligenter exornatum prodiit, tandemque obſervationibus *Blaſii* illuſtratum lucem adſpexit publicam. Vixit circa initium ſeculi praecedentis.

§. CCCCLVI.

§. CCCCLVII.

Johannes Georgius Virſungus ſeu *Virſungius*, Bavarus, in anatomicis ad invidiam usque clarus fuit, id quod etiam internecionem ſceleratam, a nebulone quodam intentatam ipſi tandem conciliaſſe dicitur: Cum enim ſupra omnes ſuos anteceſſores in publica cathedra quotidie triumphos ageret, crabrones tantopere irritavit, ut ab Italo quodam (ſine dubio mercede conducto ad illum interficiendum) in muſeo ſuo ſclopeto trajectus fuerit. Primus anno 1642. detexiſſe dicitur *ductum pancreaticum*, per totam pancreatis longitudinem ſeſe extendentem, eodemque in homine oſculo cum ductu choledocho in cavum inteſtini duodeni hiantem. Quamvis enim ab aliis anatomicis ante ipſum quoque viſus ſit hic ductus, pro arteria tamen habitus, nec pro peculiari vaſe, peculiarem ſuccum vehente & in duodenum infundente agnitus fuit. Licet igitur praematura violenta morte orbi erudito ereptus nihil ſcriptis conſignaverit; Habet tamen hic ductus ab illo ſuam denominationem, & *Wirſungianus* in hunc usque diem dicitur; Idque ob communem famam, quae primam *Virſungio* inventionem adſcripſit. *Bartholinus* ad autopſiam provocat hiſce verbis, quae anatomiae ſuae cap. XIII. leguntur: *Ductus Pancreaticus, a nullo hactenus deſcriptus, primo* Patavii, *nobis praeſentibus 1642. initio Martii menſis,* Johanne Georgio Virſungo, *anatomico plane diligenti, ſed cruento fato extincto, apparuit.*

§. CCCCLVIII.

Verum ſciendum eſt, *Mauritium Hoffmannum*, qui eo tempore *Patavii* commoratus & familiari Viri converſatione quin *Virſungiano* hoſpitio uſus eſt, verum fuiſſe hujus ductus detectorem, qui proinde, cum pro mutuis amicitiae legibus

Virſurgio inventi ſui copiam feciſſet, ſuppreſſo vero inventoris nomine id ſibi vindicavit, quod meliori jure *Hoffmanno* debebatur. Idem mecum ſenſiſſe video *Heiſterum*, Profeſſorem *Altorffinum*, nunc *Helmſtadienſem*, qui id etiam *Verheyeno* vitio vertere non dubitat, quod ſiluerit, *Mauritium Hoffmannum primum ductus pancreatici inventorem fuiſſe.* Verum cum pauciſſimis id innotuerit, me etiam communis fama quondam ſeduxit, ut prima hujus *Hiſtoriae anatomices* editione ſcriberem, *Virſungium hunc ductum pancreaticum primum detexiſſe:* Id quod nunc emendare aequum fuit, ut ſuum cuivis relinqueretur: Inprimis cum videam, *Johannem Mauritium Hoffmannum* tam in diſſert. ad *Hornii* microcoſmum, quam in *Idea machinae humanae* primam ductus hujus inventionem parenti ſuo vindicaſſe.

§. CCCCLIX.

Menelaus Winſemius, Leowardienſis, in *academia Franequerana* Profeſſor publicus, edidit compendium anatomiae 30. diſputationibus ſub ejusdem praeſidio propoſitum.

§. CCCCLX.

Otto Caſmannus anthropologiam, i. e. fabricam H. C. methodice deſcriptam reliquit.

§. CCCCLXI.

Petrus Lauremhergius, Roſtochienſis, ſcripſit anatomiam C. H. ſeu collegium anatomicum 12. diſputationibus comprehenſum & in *academia Roſtochienſi* propoſitum; Item Iſagoges anatomicae graece interpretationem latinam nec non proceſtria anatomica, in quibus pleraque, quae ad generalem anatomiae & partium contemplationem attinent, proponuntur, quaedam etiam infimi ventris membra explicantur & hiſtoria anatomica *Andreae Laurentii* multis modis caſtigatur. Edidit denique in cujusdam *Anonymi* Iſagogen anatomicam ſuas commentationes & alia.

§. CCCCLXII.

Tobias Knoblochius reliquit diſputationes anatomicas & ψυχologicas figuris novis variisque illuſtratas, quae licet omnia anatomici argumenti non ſint, omittenda tamen hic non fuere.

§. CCCCLXIII.

Hic *Tobias Knoblochius*, Fr. Marcobrettanus, poſtquam ſtudiorum ſuorum curriculum abſolverat, in *academia Patavina*, Promotore *Baſſiano Lando*, A. MDLVI. gradu Doctoris in arte medica condecoratus, eodemque anno in itinere Italico adhuc haerens in Facultatem medicam *Academiae Viadrinae* receptus & Anno MDLXII. Profeſſor conſtitutus, poſt aliquot vero annos in *Academiam Wittebergenſem* evocatus eſt, in qua etiam diſputationes anatomicas, mirificam corporis humani fabricam & uſum explicantes, publice ventilandas propoſuit. Argumenta dictarum diſputationum ſunt ſequentia: In *prima* agitur de hominis praeſtantia hujusque corporis partibus in genere; In *ſecunda* de partibus ſimilaribus in genere; In *tertia* de partibus infimi ventris continentibus communibus & propriis; In *quarta*, *quinta*, *ſexta*, *ſeptima*, & *octava* de partibus χυλοσει & αἱματωσει famulantibus, de liene, renibus & veſica, deque genitalibus tam in viris quam in foeminis procreationi famulantibus diſputatur; Fit inde tranſitus capite *nono* ad partes medii ventris continentes, & capite *decimo*, *undecimo* ac *duodecimo* tractatur de corde, pulmonibus atque collo. Capite *decimo tertio* exponuntur partes continentes capitis, & duobus inſequentibus de cerebello & ſpinali medulla nec non de altera capitis parte agitur. Tandem vero agmen claudit tractatio de artubus, ubi capite *decimo ſeptimo & octavo* de oſſibus tam in genere quam in ſpecie tracta-

tractatur, subjuncta capite *decimo nono* & *vigesimo* doctrina de humoribus & spiritibus. Et nequid intactum relinqueret *Noster, ultimo loco* commodum adhuc ipsi visum est subjungere disquisitionem de anima in genere, qua ejus definitionem, originem, sedem & immortalitatem explicuit, a qua generali tractatione deinde descendit ad declarandas varias animae facultates, vegetativam nempe, sensitivam ac rationalem, quam omnium reliquarum nobilissimam esse, non injuria reputat.

§. CCCCLXIV.

Nicolaus Fontanus, Amstelredamensis, scripsit adnotationes ad epitomen anatomiae *Andreae Vesalii*. *Laurentius Eichstadius*, veteris Sedanensis Pomeranus, M. D. & Gymnasii *Gedanensis* P. P. *Collegium anatomicum* seu quaestiones de natura C. H. ad disputationes 16. in inclyto *Athenaeo Gedanensi* propositas edidit. Recte ac prudenter cum *Galeno* monuit, *cognitionem C. H. non tam lectione & auditu, quam diligente inspectione singularumque partium examine comparari;* Additque cum eodem: *Contemplatorem naturae non libris anatomicis, sed propriis oculis credere debere, cum scientia, quae ex libris conquiritur, saepius sit* nugatoria faciatque *κυβερνητην ἐκ βιβλιυ, nautam ex libro.* Id quod in arte anatomica tanto magis necessarium est, quoniam posterior aetas semper aliquid detexit, quod prior ignoravit, pluraque adhuc ventura aetas additura est. Utilitatem ingentem anatomes optime agnovit: Nam, inquit, quo quis in anatome est versatior, eo melius de idea & causis morborum judicare potest.

§. CCCCLXV.

Syboldus Hemsterhuys, variorum celebrium anatomicorum scripta collecta edidit, iisdemque titulum messis aureae seu

ſeu collectaneorum anatomicorum praefixit, in quibus continentur (1) *Johannis Pecquetti* experimenta nova anatomica. (2) *Thomae Bartholini* de lacteis thoracicis hiſtoria anatomica cum ejusdem de iisdem dubiis & vaſorum lymphaticorum hiſtoria nova. (3) *Olai Rudbeckii* ductuum hepaticorum aquoſorum hiſtoria, item de vaſis glandularum ſeroſis obſervationes, epiſtolae variorum, ejusdemque de vaſis lymphaticis tabulae XIII. aeri inciſae.

§. CCCCLXVI.

Franciſcus de le Boe Sylvius, Germanus, lucem hanc adſpexit *Hanoviae*, comitum ejusdem nominis ſede. Abſoluto curſu, ut vocant, academico, primum in patria, deinde vero *Amſtelredami* praxin medicam non ſine adplauſu exercuit, tandem vero, mortuo *Kypero*, in *academiam Leydenſem* evocatus eſt, inque illa ſtatione obiit anno 1675. Nota ſunt ſub ejus nomine dictata quaedam ad Inſtitutiones anatomicas *Caſpari Bartholini*, item obſervationes quaedam anatomico-medicae, quae cum *Henrici Meibomii*, *Johannis van Horne* & *Friderici Ruyſchii* obſervatis ſimul prodiere Amſtelredami anno 1674.

§. CCCCLXVII.

Locum hic ſuum merito tribuimus *Chriſtiani Ludovici Welſchii*, phil. & med. D. *tabulis anatomicis*, univerſam C. H. fabricam perſpicue ac ſuccincte exhibentibus, modernis potiſſimum obſervationibus accommodatis inque gratiam tyronum conſcriptis & *Lipſiae* a. MDCXCVII. editis. Patriam habuit *Lipſiam* & prodiit ex lumbis *Godofredi Welſchii*, Profeſſoris medici admodum celebris in dicta academia, A. 1700. adſeſſor Facultatis medicae declaratus eſt, & a. 1719. naturae debita perſolvit.

§. CCCCLXVIII.

In praefatione, tabulis hisce, quarum in *historia anatomiae* nulla a (*) me facta est mentio, praemissa, summas quidem artis hujus praerogativas merito extollit, quod nempe *ad cognoscendas corporis actiones, indagandas morborum periculosissimorum caussas, salvandas* miserorum aegrotantium vitas auxiliorumque tutas applicationes ducat, viamque praemonstret; Non reticuit tamen etiam impedimenta, quibus permulti ab addiscendo hoc studii genere deterrentur; *Timent enim*, inquit ille, *periculum, credentes firmiter, crebriores cadaverum sectiones vitam abbreviare posse*; Id quod tragicis nonnullorum anatomicorum v. g. *Vesalii, Fallopii, Casserii, Spigelii, Plazzoni, Veslingii, Marchetti, Stenonis, Nuckii, Malpighii* aliorumque exemplis comprobare nituntur, *non reputantes, multos etiam ad summam usque senectutem hoc studium non sine singulari & delectamento & industria continuasse*; quorum praecipui *Hieronymus Fabricius a Aquapendente, Johannes Riolanus, Severinus, Wepferus, Carolus Drelincourtius* aliique fuerunt. Aliud impedi-

(*) Tabularum *Welschianarum* nullam in *historia anatomiae* a me factam esse mentionem, lubens fateor, sed quo me ideo animo notaverit *Stollius*, ipsi sine dubio optime erit perspectum. Si omnes rei anatomicae scriptores promisissem, in debitum caderet promissum; At vero promisi *plerosque* tantum. Quid si vero regererem, *Stollium* ipsum, qui hanc mihi culpam imperfectae recensionis scriptorum anatomicorum exprobravit, ne centesimam quidem eorum partem attigisse? Frustra itaque mihi opponit *Heisteri* auctoritatem, qui in *orat. inaugurali de incrementis anatomiae seculi XIII.* bono, ut auguror, animo, monuit: *Quam-plurimos adhuc extare scriptores anatomicos diversaque eorum scripta, quorum nulla* (dicta in historia) *fiat mentio.* Idem vero in praefatione, compendio anatomico praemissa jam monuerat.

impedimentum est nausea, qua inprimis delicatiores deterrentur, cui sumtus accedunt, huic studiorum generi inevitabiliter impendendi. Omnium tamen maximum esse existimat nimiam prolixitatem, quo anatome communiter tractari consuevit; Quare non leves promereri laudes existimat eos, qui compendia anatomica, plurima paucis complectentia, erudite conscripserunt, & artis studiosis in manus dederunt; Quorum laudabilibus vestigiis insistens *noster*, suas etiam *tabulas*, recentioribus potissimum inventis adcommodatas in publicum emittere haud dubitavit; Id quod eo confidentius fecit, quo frequentiorem in itinere suo litterario occasionem nactus est cadavera humana inspiciendi, & clarissimorum anatomicorum, *Borromei* nempe, *Malpighii, Antonii de Marchettis, Molinetti, Viscardi, Redi, Bellini, Zanini, Monighinae, Wepferi, Harderi, Drelincourtii, Nuckii, Munnickii, Bidloi, Rivini, Bergeri* aliorumque sectiones curiosas partim videndi, partim discursus eorundem eruditos audiendi, & quae notatu digna judicabat, tabulis suis sedulo inserendi. Quod vero primo ac principe loco merito habendum est, *auctoris* adseveratio est, nihil tabulis ejus insertum esse, quod non vel propriis viderit oculis vel secuerit manibus, exceptis quibusdam glandulis vasisque lymphaticis & aliis, quae ob summam tenuitatem externorum sensuum aciem facile subterfugiunt. Quod an alii de anatomicis suis scriptis pari fiducia gloriari queant, in dubio relinquo.

§. CCCCLXIX.

Comprehendit vero compendium hoc anatomicum *Welschianum* LVI. tabulas, in quarum *prima* de anatomia in genere, in *secunda* de objecto anatomes, corpore nempe humano, in *tertia* de instrumentis anatomicis, in *quarta* de

externis H. C. appellationibus, in *quinta* & ſequentibus ad *vigeſimam ſecundam* usque de osſibus tam generatim quam ſpeciatim non modo adultorum ſed & infantum primo natorum agitur. Tabula *vigeſima tertia*, poſtquam de muſculis in genere tractavit, *vigeſima quarta* muſculorum omnium C. H. diviſionem, denominationem, originem inſertionemque proponit, ubi id tantum perpendendum aliis relinquo, annon conſultius feciſſet auctor, ſi muſculorum doctrinam totidem tabulis propoſuiſſet, uti in hiſtoria osſium fecit. Ita enim, mea ſaltem ſententia, longe clariorem *myologiae* lucem adtuliſſet. A tabula *vigeſima quinta* ad *trigeſimam* de cartilaginibus, ligamentis, cute, membrana adipoſa & membrana musculorum communi, unguibus & pilis, nec non de glandulis ductibusque ſalivalibus agit. Dehinc a tabula *trigeſima prima* ad *quinquageſimam ſecundam* viſcera abdominis & thoracis una cum partibus genitalibus utriusque ſexus nec non foetus in utero contenti & naturalem ſecundinarum conſtitutionem exponit, poſtremumque locum deſcriptioni organorum ſenſualium, oculorum, aurium, linguae & naſi tribuit & impendit. Idem examen renum ſuccenturiatorum ſuſcepit.

§. CCCCLXX.

Eodem hoc ſeculo *Johannes Henricus Glaſerus*, phil. ac med. D. nec non in antiquisſima *Baſileenſium* academia anatomiae ac botanices P. P. tractatum poſthumum de *cerebro* reliquit, in quo hujus non fabrica tantum, ſed actiones omnes principes ſenſus ac motus, ex veterum & recentiorum placitis & obſervationibus perſpicue ac methodice explicantur, quique opera ac ſtudio *Johannis Jacobi Stachelini*, M. D. luci publicae a. 1680. expoſitus eſt. Totus vero tractatus, ut multa paucis comprehendam, novem conſtat capitibus, quorum

quorum duo priora anatomici tantum argumenti ſunt, & tam de partibus cerebri *continentibus* quam *contentis* agunt; Reliqua enim, quae de facultatibus tam naturalibus quam animalibus, ſenſu nempe & motu animali diſſerit, ad forum phyſiologicum potius ſpectant.

§. CCCCLXXI.

Anno 1686. tractatus *anatomicus* novus ſub nomine *admirandorum anatomicorum* publicae luci commiſſus eſt, in quo organa generationi dicata utriusque ſexus tam accurate, ut inſcriptio operis prae ſe fert, quoad ſtructuram, admirabilem nexum, ſitum & alia curioſitatem ſpectantia, examinantur, ut cuique anatomiae ſtudioſo inſervire poſſint. Cui vero auctori hic labor vindicandus ſit, altum ſilentium eſt.

§. CCCCLXXII.

David van der Becke, phil. ac med. D. diſſertationem *anatomico practicam* de procidentia uteri, ab erroribus Cl. *Johannis Garmeri*, Hamb. & phyſ. patriae primarii vindicata ad magnificum & ampliſſimum *Senatum Hamburgenſem* perſcripſit eidemque dedicavit.

§. CCCCLXXIII.

Georgius Francus, praeterquam quod in programmate quodam *praecipuorum anatomicorum* ſuccinctam exhibuerit *hiſtoriam*, auctor quoque eſt parvae *bibliothecae Zootomicae.* Reliquit etiam *bona nova anatomica*, i. e. eorum, quae per anatomicorum induſtriam noviter inventa ſunt, ſuccinctam recenſionem. Denique de *autopſia* & *iconibus anatomicis* peculiari programmate egit.

§. CCCCLXXIV.

Hagae Comitum a. 1642. incerto auctore *ſceletographia*

 variorum

variorum animalium cum figuris aeneis lucem publicam adspexit. Et *Rotenburgi* a. 1682. *Antonii Novarini* anatomia & chirurgia curiosa idiomate germanico prodiit.

§. CCCCLXXV.

Paulus Marquardus Slegelius de dentibus dissertavit. Et *Georgius Balthasar Metzgerus* anatomen dentium humanorum, uti & historiam anatomico-medicam thymi. *Martinus Fridericus Friess* vero etiam de dentibus scripsit. *Johannes Fridericus Schifferus omphalographiam* sive dissertationem de umbilico reliquit; Quod idem argumentum, *anatomen nempe umbilici curiosam*, etiam *Johannes Aegidius Euth* tractavit. *Johannes Georgius Grubelius* de ductu chylifero Pecquetiano disputavit.

§. CCCCLXXVI.

De visceribus particularibus non pauci disseruerunt. Sic structuram *lienis* Valentinus *Hartung*, *Johannes Arnoldus Fridericus*, aliique plures exposuerunt. Hic idem praeterea deutorologiam seu dissertationem de *secundinarum* natura, usu & noxa exposuit, itidemque de pulmonibus disseruit. Idem quoque de cerebro, cerebello & medulla oblongata disputavit itidemque de aure. Et *Johannes Loeselius* similiter scrutinium renum suscepit, in quo genuinam renum fabricam & actionem explicuit, addito schemate aberrantis structurae vasorum emulgentium & spermaticorum una cum appendice observatorum in anatome corporis strangulati. *Jacobus Cocus* & *Samuel Haffenrefferus*, ut & *Johannes Nicolaus Pechlinus* de fabrica & usu cordis disputarunt. De aqua pericardii *Guntherus Christophorus Schellhammerus*. *Johannes Franciscus* & *Fridericus Petri* de oculorum fabrica, & *Franciscus Josephus Burrhi*. De glandularum natura & usu disputarunt *Jeremias Lossius*, *Johannes Philippus Eysebius* aliique plures.

§. CCCCLXXVII.

Johannes Theodorus Schenckius, M. D. anat. chir. & bot. P. P. in acad. *Jenensi*, probe intelligens, quam nobile exercitium, quam gratus animi ludus sit disputatio, universam anatomen philiatris hoc artificio gratam & amoenam reddere conatus est; Nata hinc est *schola partium C. H.* in qua earundem usus & actio secundum situm, connexionem, quantitatem, qualitatem, figuram atque substantiam proponitur.

§. CCCCLXXVIII.

His non contentus *Schenckius* noster, *exercitationes anatomicas ad usum medicorum accommodatas*, eadem, nempe disputatoria methodo adornavit, eoque ipso exemplum praebuit professoribus artis, qua ratione taedium, quod discentes forte ex cadaverum sectione caperent, discutere & rem per se non admodum gratam ipsis amoenam reddere debeant. Et sicut schola anatomica undecim; Ita exercitationes novem disputationibus constant.

§. CCCCLXXIX.

Johannes Heinricus Schultze, olim in *Norica*, nunc in *Fridericiana* P.P. praeter programmata quaedam invitatoria ad dissectiones ac demonstrationes cadaverum, duo etiam *historiae anatomicae* specimina in cathedram medicam *Altorffi* produxit. An plura prodierint, me latet.

§. CCCCLXXX.

Anno MDCXLIX. Londini *opuscula anatomica nova* uno volumine comprehensa lucem adspexerunt publicam, quae animadversiones sequentes continent; Nempe in historiam anatomicam *Andreae Laurentii*, in theatrum anatomicum *Caspari Bauhini*, in librum anatomicum de fabrica humana

Andreae

Andreae Spigelii, ad institutiones anatomicas *Gaspari Bartholini*, ad anatomica *Caspari Hoffmanni*, in syntagma anatomicum *Joannis Veslingii* & in tractatum de diaphragmate *Aemilii Parisani*. Cunctae vero hae animadversiones *Johannem Riolanum* auctorem agnoscunt.

§. CCCCLXXXI.

Justus Schraderus M. D. edidit observationes & historias omnes ac singulas ex *Guilielmi Harvei* libello de generatione animalium excerptas, nec non *Wilhelmi Langly* observationes quasdam similiter de generatione animalium tractantes, quibus ovi foecundi, singulis ab incubatione diebus factae inspectiones ut & observationum anatomico-medicarum decades IV. una cum modo cadavera balsamo condiendi accedunt.

§. CCCCLXXXII.

A. 1686. *Cosmopolitae* historia naturalis, quae totius C. H. anatomicam delineationem ab ipsis primis foetus rudimentis in utero usque ad perfectum & adultum statum comprehendit, *Lugduni Batavorum* prodiit.

§. CCCCLXXXIII.

Circa finem ejusdem hujus seculi studio & opera M. T. P. P. H. S. *mirabilis anatomia renum* eorundemque structura juxta circulationis leges illustrata, una cum illorum usu nobilissimo ad circulationem sanguinis, praeparationem seminis & humidi serosi a sanguine segregationem absolute necessario lucem adspexit.

§. CCCCLXXXIV.

Carolus Schaefferus, M. D. & physicus *Hallensis* ordinarius sua cura effecit, ut observationes *Theodori Aldes* in ovis factae & sci-

& ſciagraphia nutritionis pulli in ovo & foetus in utero nec non F. *Ruyſchii* obſervatiuncula de ovo in utero humano reperto publicam lucem adſpiceret.

§. CCCCLXXXV.

David Hermannus ab Hermanau, inclutae reipublicae *Norimbergenſis* chirurgus & lithotomus ordinarius *manuale anatomicum* reliquit, in quo omnes ac ſingulas C. H. partes ſuccincte deſcripſit, quodque non modo in ſui ipſius ſed & in aliorum chirurgorum diſcipulorumque ſibi concreditorum gratiam ex auctoribus collectum concinnavit. Adjectae ſunt obſervationes harmoniae H. C. ſtabiliendae inſervientes, quas ex *Sanctorio de Sanctoriis* & *paralipomenis Sennerti* mutuatus eſt. Exercuit chirurgiam hancce operatoriam plus quam quadraginta annos, tantoque temporis intervallo non vulgarem in organica hac chirurgiae parte, inprimis lithotomia dexteritatem facilitatemqee ſibi comparavit: Qua de cauſſa etiam nobilitatis inſignibus eſt donatus, ad quae ita luſit poëta ſui temporis:

Ut generoſa trahit vaga per diſcrimina virtus
Et decorant celebres fortia facta viros.
Sic Hermanniadem *non pauca pericla patrata*
Nobilitant, ægris dum tulit artis opem.
Innocuis ferrum nocuit perimitque nocentes,
At ferro Hermannus *profuit innumeris.*
Si quondam meruit, Civem ſervare, *coronam,*
Haud ſatis eſt meritis una corona tuis.

§. CCCCLXXXVI.

Henricus Eyſſonius M. D. & in acad. *Gröningana* anatomiae P. P. ab ampliſſ. Curatoribus haud difficulter obtinuit, ut,

cum a. 20. retro annis neglectae fuerint demonstrationes anatomicae, *novum amphitheatrum anatomicum* publicis sumptibus fuerit exstructum, quod ipse deinde ex primae sectionis publicae administratione inauguravit. Cumque postea infantum recens natorum viscera rariori multisque inviso spectaculo rimandi & infantum ossa publice enarrandi sceletaque inde parandi, ansa ipsi data sit: Sua sponte dispalescit, quales hic tractatus anatomicus de *ossibus infantis cognoscendis, conservandis & curandis* habuerit natales?

§. CCCCLXXXVII.

Continet vero, ut ipse *Eyssonius* in compendium contraxit tractatum suum, non tantum anatomicam *ossium infantilium* historiam, & ab adultorum hominum ossibus discrepantiam hujusque usus; Sed etiam medicam eorundem in naturali statu conservationem & in praeternaturali constitutione curationem, per parentum, matrum tum gravidarum tum parturientium, obstetricum, aliarumque curatricum ac nutricum ipsorumque chirurgorum officia obtinendam.

§. CCCCLXXXVIII.

Praeterea recensuit *Volcheri Coiteri*, itidem *Gröningani*, urbis quondam Norimbergensis medici atque chirurgi clarissimi *tractatum anatomicum* de *ossibus foetus abortivi & infantis dimidium annum nati*; Quod institutum suasit imo commendavit *Eyssonio* argumenti adfinitas, ut sic nempe plena puerilium ossium junctim anatomica extaret enarratio. Nec dubitat *Coiteriano* huic tractatui singularem hanc vindicare praerogativam, quod nemo ad illa usque tempora extiterit, qui de solis infantum ossibus seorsim egerit, sed plerique sparsim adultorum ossium explicationi miscuerint. Imo, quod plus

est,

eſt, & ad ejusdem commendationem non parum facit, non veretur *Eyſſonius* imputare *Riolano*, ſummo ſui aevi anatomico, quod ex *Coitero* quam plurima verbotenus deſcripſerit, utut nullam *Coiteriani* libelli ibidem mentionem faciat.

§. CCCCLXXXIX.

Johannes Tanckius, ſcripſit epiſtolas de obſervatis quibusdam anatomicis, quae cum *Horſtii* obſervationum libris IV. prioribus ſimul impreſſae ſunt.

§. CCCCXC.

Vopiſcus Fortunatus Plempius, Amſtelredamenſis, edidit ophthalmographiam ſive tractatum de fabrica, actione & uſu oculi.

§. CCCCXCI.

Johannes Gerhardus in anatomicis nihil ſcripſit, praeterquam anatomiae C. H. ſuccinctam comprehenſionem. Reliqua ejus ſcripta maximam partem chymica vel alchymiſtica ſunt, quibus medicinam univerſalem defendere vel adſerere adlaboravit.

§. CCCCXCII.

Johannes van Horne, Amſtelredamenſis, in *academia Lugduno-Batava* anatomiae & chirurgiae Profeſſor famigeratiſſimus, novum ductum Thoracicum circa annum 1650. & 52. primus detexiſſe videtur: Unde mox tractatum edidit de novo ductu chylifero, nunc primum delineato, deſcripto & eruditorum axamini exhibito. Primus quoque fuit, qui teſticulos viriles dixit eſſe conglomerationes merorum ductuum ſeminalium, & mulierum teſtes vocavit ovaria; Eumque in finem edidit jam A. 1668. prodromum obſervationum ſuarum circa partes genitales in utroque ſexu. Unde alienis plumis

ſine dubio ſuperbivit Regnerus de Graeff, ejus auditor atque diſcipulus, ſicuti paulo poſt dicemus. Scripſit quoque microcoſmum ſeu brevem manuductionem ad hiſtoriam C. H. in gratiam diſcipulorum; Cui profecto uſui, ſi quod ullum aliud, compendium maxime adcommodatum eſt: Niſi forte compendium anatomicum *Heiſterianum* palmam ipſi dubiam reddat. Caeterum proprio id exemplo confirmare nullus vereor, qui jam ſœpius tam publice quam privatim hunc Auctorem auditoribus meis in *Fridericiana* pariter atque aliis academiis praelegi, & ingentem ſemper fructum inde percepi. Dedit inſuper *Auctor noſter* epiſtolam anatomicam ad *Guernerum Rolfincium*, anatomicum celebrem in *academia Thuringorum Jenenſi*, & quidem brevi ante obitum ſuum, in qua ea, quae de conſtitutione & uſu genitalium utriusque ſexus noviter obſervaverat, declaravit, quaeque microcoſmo ſubjuncta eſt. Edidit quoque obſervationes anatomico medicas ad *Galeni* librum de oſſibus cum *Veſalii*, *Sylvii*, *Heneri*, *Euſtachii* exercitationibus. Adverſarium habuit *Ludovicum de Bils*, alias *Bilſium* dictum, nobilem, quem ſola curioſitas ad ſtudium anatomicum pertraxit: Unde quid valeat natura in diſciplinis perdiſcendis, hic potisſimum exemplo ſuo docuit: Quandoquidem ſine magiſtro in peritia ſecandi tam mirabiles fecit progreſſus, ut cum celeberrimis ſui temporis medicis & anatomicis contendere ſerramque diſputationis reciprocare non erubuerit. Cum vero in ea, quam cum *Hornio* aliisque agitabat, controverſia, non ſatis circumſpecte oculis ſuis uſus fuiſſet, non eſt mirum, ipſum cauſa ſua excidiſſe. Non minus etiam vehementer commotus fuit, cum fama ebuccinaret, vivente adhuc *Hornio noſtro*, *Regnerum de Graeff* opus abſolutum editurum de partibus genitalibus utriusque ſexus: Tempeſtivum itaque judicabat *Johannes van Horne*, publice monere,

monere, antequam adhuc tale opus prodiret, inventa illa SUA esse, & falso illa sibi tribuere *Graeffium*; Quare summa statim rei capita ad *Rolfincium* perscribebat, promittens, se operosius illa demonstraturum peculiari tractatu, sed morte praeventus promissa ista explere non potuit.

§. CCCCXCIII.

Meretur vero *Ludovicus de Bils*, Toparcha *in Coppensdamme, Bonemeta*, ut, cum natura ipsa ingenium quasi anatomicum ei inspirasset, ex professo ejusdem hic mentio fiat. Edidit specimina quaedam anatomica cum Cl. Virorum epistolis aliquot & testimoniis, quae anno 1661. in 4to. Roterodami prodierunt; Et anno 1669. publicum adspexit responsio ejusdem *Bilsii* ad epistolam *Tobiae Andreae*, qua verum usum vasorum, hactenus pro lymphaticis habitorum, ostendere voluit. Juncta simul est historia eorum, quae *Bilsio* occasione balsamationis sibi peculiaris in *Brabantia* & potissimum *Lovanii* evenerunt. *Johannes van Horne* de ipso testatur, quod multa eximia donaria *theatro anatomico Lugdunensi* obtulerit, v. g. sceleta affabre manu propria constructa, &, quod maximam merito admirationem pariat, exsiccatum hominis cadaver, quod recens mortuum diceres. Unde temperare sibi vix potest *Hornius*, quin hanc ingenuam ipsi tribuat laudem: Neminem admirari satis posse generosi hujus viri tum industriam tum indefessum studium atque cupidissimum corporis humani structuram cognoscendi animum, utilissimum mortalitatis suae consciis spectaculum. Et quamvis nobili prosapia ortus sit, à dignitate tamen sua, quin & opibus, quibus gaudebat, minime alienum esse putavit, quin professione publica in academia *Lovaniensi* fuerit perfunctus.

§. CCCCXCIV.

Regnerus de Graeff, D. medicus *Delphensis*, ea, quae de ſtructura partium genitalium a praeceptore ſuo, *Johanne van Horne*, demonſtrata viderat, in ordinem redegit, &, quod ille morte praematura praeventus praeſtare non potuerat, orbi literato communicavit. Hunc in finem ſeorſim edidit primum tractatum de organis virorum, generationi inſervientibus, deinde ſeorſim tractatum novum de organis mulierum, generationi dicatis, quo demonſtratur, tam homines quam cœtera animalia omnia, quae vivipara dicuntur, haud minus quam ovipara, ab ovo originem ducere. Scripſit quoque epiſtolam de nonnullis circa partes genitales inventis novis; Quae omnia deinde conjunctim prodiere *Lugduni - Batavorum* ex *officina Haackiana* 1677. in 8vo. Cum vero deinde lis ipſi moveretur de hiſce novis inventis, ſcripſit defenſionem partium genitalium, quam ſocietati regiae *Londinenſi*, ad ſcientiam naturalem promovendam inſtitutae, dedicavit. Multa quoque curioſe diſſerit de indole ſucci pancreatici, unde non ſolum ſub praeſidio *Franciſci de le Boe Sylvii* in *Academia Leydenſi* publice diſputationem habuit de pancreate ejusque ſucco, ſed & tractatum anatomico-medicum de natura & uſu ſucci pancreatici edidit. Oſtendit praecipue modum, quo poſt varios fruſtraneos conatus in cane vivo ſuccus iſte colligi queat, eumque in praeſentia multorum publice demonſtravit anno 1665. Sumpſit nempe canem jejunum, cui trachea (ore nempe, ne mordeat, vinculis obligato) eſt reſerata, ut per iſtam aperturam reſpirare queat. Hinc abdomine raptim aperto, mox cum ſub pyloro, tum infra ductus pancreatici exitum colligavit inteſtinum, idque inter duas iſtas ligaturas parte ſui externa a meſenterio libera diſſecuit & aperuit, ac ſpon-

ſpongia bilem, pituitam aliaque extergendo mundificavit; Tunc illico tenuem calamum anatis ſylveſtris, cujus uni extremitati parvam lagenam vitream anguſti orificii firmiter adaptavit, in ductum pancreaticum altera extremitate immiſit, atque acu, filum duplicatum trahente, inteſtinum eundemque ductum calamo atque lagenae adſuit, ut calamus cum lagena vitrea extra abdomen pendula ab inteſtino & ductu recedere non poſſet. Hoc facto inteſtina foris pendula verſus interiora reduxit, & abdominis aperturam filo forti rurſus conſuit, atque ſic canem, quousque potuit, (nempe ad horas octo vel decem) in vita ſervavit, talique modo hujus liquoris, ſpatio 7. vel 8. horarum, mediocrem quantitatem e ductu per calamum in lagenam vitream defluentis collegit, & ſaporis ſubacidi non nihil ad auſterum inclinantis deprehendit. Quae omnia in citata diſputatione latius comprehenduntur.

§. CCCCXCV.

Nemo quoque, opinor, hanc ipſi gloriam invidebit, quod *Siphonis anatomici* primus fuerit inventor, quo nempe mediante arteriae venaeque nec non minutiſſimae earum ramificationes per injectos quosdam liquores coloratos ita impleri poſſunt, ut protenus in conſpectum prodeant: Quod hodieque artificium ſuum ad ſummum quaſi apicem deduxiſſe videtur *Ruyſchius*, utpote qui materiam quandam ceraceam noverat praeparare, quae, ſi vaſis ſanguineis injiciatur, ſubtiliſſimos etiam vaſorum maeandros & vias maxime tortuoſas ingreditur easque conſpicuas reddit, quod tamen artificium tanquam arcanum ſibi & filio ſuo ſervavit, uti ipſemet ex ore ejus audivi. Atque ejus generis praeparata, mira induſtria atque dexteritate elaborata, plane numeroſa in

curioſis-

curiosissimo ejusdem *museo anatomico* à peregrinantibus videri olim potuerunt, priusquam à PETRO M. *Russorum* Imperatore, in *Russiam* transferrentur.

§. CCCCXCVI.

Alter *Johannis van Horne* discipulus & auditor gratissimus fuit *Johannes Swammerdammius*, Amstelredamensis. Hic ne praeceptori suo quidquam de suo praeriperet, ad prodromum ejusdem de partibus generationis in utroque sexu adcommodavit suum naturae miraculum, sive uteri muliebris fabricam, notis in D. *Johannis van Horne* prodromum illustratam & tabulis à clarissimis experientissimisque viris cum ipso archetypo collatis adumbratam. Proinde ferre non poterat superbam condiscipuli sui, *Regneri de Graeff* arrogantiam & ingratum erga communem praeceptorem animum, sed potius sua *Hornio* graviter vindicabat, ostensis in majorem fidem erroribus à *Graeffio* commissis: *Hornius* enim morte praeventus opus suum de partibus genitalibus utriusque sexus absolvere non potuit: Unde, occasione hac arrepta, nomine *Hornii* suppresso, *Graeffius* opus suum in publicum produxit, parum memor, reliquos *Hornii* discipulos id non solum aegre laturos, sed & in plagium ejus graviter animadversuros. Calluit vero artificium *Swammerdammius* noster, cavitates corporis ita praeparandi, ut suam semper genuinam faciem servarent. Cum summo quoque adplausu à publico exceptus est tractatus physico-anatomicus de respiratione usuque pulmonum, in quo praeter primam respirationis in foetu inchoationem, aëris per circulum propulsio statuminatur, attractio exploditur, experimentaque ad explicandum sanguinis tam auctum quam diminutum motum in medium producuntur. Verum huic tractatui, auctore *Joh. Baptista*

Baptista a Lambsiverde oppositum est aliud scriptum, cui haec praefixa est inscriptio: *Respirationis Swammerdammianae exspiratio;* Scriptum, inquam, admodum quidem virulentum, in quo tamen positiones *Swammerdammii* ad adcuratum & rigorosum examen revocantur. Huic praeterea *Swammerdammio* debetur, quidquid hodie scimus de viscerum excarnatione, de injectione cerae in vasa cujusvis generis, & vindicatione partium atque viscerum a prompta corruptione, ad quam alias sua natura expeditissime propendent.

§. CCCCXCVII.

Gerhardus Blasius, *Leonardi* filius, medicus *Amstelredamensis*, *Severini* institutum imitaturus, edidit prolixum opus Zootomiae seu anatomes variorum animalium, volatilium, aquatilium, serpentum, insectorum ovorumque, tam ex veterum quam recentiorum propriisq; observationibus concinnatum. Opus ipsum, quod *anatomes comparativae* utilitatem satis commendat omnibus, quinque in partes distributum est, earumque *prima* varias animalium, quae *terrestria* vocantur, species exhibet, una cum sciagraphia nutritionis animalium, ex *Theodori Aldes* (alias *Matthiae Sladi*) tractatulo, superioribus annis edito. *Altera* sistit dissectiones *volatilium*, cum ovi & pulli, hujusque generationis historia ex *Aquapendente*, *Harveo* & aliis congestas. Ac *tertia aquatilium*, *quarta insectorum* & *quinta* denique *serpentum* anatomen tradit. Disseruit quoque de renibus monstrosis, qui tractatulus una cum *Laurentii Bellini* exercitatione *anatomica* de structura & usu renum exstat. Notus praeterea est commentarius ejusdem in syntagma anatomicum *Johannis Veslingii*. Anatomiae hominis subjuncta sunt *annotata* practica in cadaveribus humanis, uti sunt abdomen cartilaginosum, ductus cystici coalitus, ureter calculosus, lien duplex &c.

Exhibuit denique tyronibus anatomen contractam, item anatomen medullae ſpinalis nervorumque inde provenientium, tandemque obſervata anatomica in homine, ſimia, equo, vitulo, teſtudine, echino, glire, ſerpente, ardea variisque aliis animalibus. Ejusdem filius, *Abrahamus Blaſius* obſervationes chirurgico-medicas *Jobi a Meckern* ex Belgico in latinum vertit.

§. CCCCXCVIII.

Johannes Rudolphus Saltzmannus, Argentinenſis, edidit epiſtolam de anatomicis quibusdam obſervationibus, quae cum *Gregorii Horſtii* obſervationibus ſingularibus proſtant. Scripſit etiam varia obſervata anatomica, quae *Theodorus Wynants* edidit.

§. CCCCXCIX.

Henningus Arniſaeus, regis Daniae archiater, *Halberſtadienſis*, qui primum in *Viadrina* noſtra, deinde vero in academia *Helmſtadienſi* medicinam docuit, medicus & anatomicus ſui temporis praeſtantisſimus fuit, qui cadavera illa humana ſecuit & praeparavit, quibus in figurarum & tabularum ſuarum delineatione uſus eſt *Chriſtophorus Gertnerus*, pictor ſua arte admodum celebris, juſſu HENRICI JULII, Ducis Brunſvicenſis. *Conringius* imagines illas tanquam ſine exemplo optimas & complures admodum laudat, quamvis *Schellhammerus*, *Conringii* paraphraſtes, ultro fateatur, voluiſſe quidem optimum Principem ad ducentas fieri, jam vero eas tantum reſiduas eſſe, quae ventrem medium cum collo & muſculis humeri exhibent, & ex quibus illae adhuc, quae partes genitales mulierum repraeſentarunt, vel ſurreptae vel incivili pudore reconditae ſunt. Idem hic *Arniſaeus* ſcripſit etiam obſervationes aliquot anatomicas & diſquiſitiones de partus humani

humani legitimis terminis, & epistolam de observatis quibusdam in anatome.

§. D.

Quod observationes anatomicas speciatim attinet, ex quibus multas medicas & physicas controversias decidi posse existimat, eae pro disputatione publica, Respondente *Johanne Freitagio*, Perlebergensi Marchico, die XV. sept. A. M.DCX. ab *Arnisaeo* propositae sunt. *Prima* illarum agit de numero, situ & usu ventriculorum cerebri; *Altera* in ortum, numerum & insertionem nervorum inquirit; *Tertia* urachi usum investigat; *Quarta* vesiculae felleae usum una cum ductibus cholidochis expendit; *Quinta* contra recentiores de usu lienis disputat; Et *ultima* seu *sexta* disjunctionem ossium coxendicis & pubis in quocunque partu contra vulgarem opinionem defendit.

§. DI.

Non imus inficias, omnes hasce ac singulas observationes novas sistere detectiones in illo, quod tractant, argumento; Verum prolixitatis vitandae causa ex ultima tantum observatione allegare hac vice placet, sponte agnoscere *Arnisaeum*, distractionem ossium in partu miraculo non carere: Nihilosecius tamen, cum rationem in anatomicis prius audiendam non esse censeat, quam quis sensus consuluerit: Hinc inique facere existimat, qui, quod ipsi non viderunt, aliorum experientiae credere recusant. Addit quoque, se a communi cerrore non facile recessurum fuisse, nisi *Genevae*, cum Illustris Senatus meretricem juvenculam, sexto post partum die in *lacu Lemano* suffocatam, quae adeo facilem partum ediderat, ut & heram falleret, medicis obtulisset, sensus *Arnisaeum nostrum* docuissent contrarium. Notat insuper,

obſervationem hanc non eſſe novam, ſed idem jam diu ante memoriae mandaſſe *Hippocratem*, qui quippe non laxari tantum aut aliquantulum dehiſcere, ſed divelli oſſa coxendicis docuiſſet: Ubi inprimis notari jubet, quod *Hippocrates* non tam pubis, quam coxendicis mentionem faciat; Quoniam, licet laxetur συγχονδρωσις oſſium pubis, ita ut crus alterum, immoto manente altero, levari queat, tamen major divulſio conſpicitur in oſſibus ilium, ab oſſe ſacro recedentibus, ex quo fieri putat, ut illic majorem dolorem ſentiant mulieres, non tam ex reflexione oſſis coccygis, ut *Laurentius* & *Columbus* putarunt, quae greſſum impedire non poſſet, nec tanti doloris aut dilatationis ilium cauſa eſſe, quam ex diſtractione jam dictorum oſſium. Tandem vero ſic concludit *Arnifaeus*: Quo ſaepius pepererunt mulieres, eo latiora ipſis evadunt ilia, & ſicut primus partus difficillimus eſt, quia articulatio tum primum ſolvitur: Ita poſteriores, qui incidunt in aetatem ſicciorem, itidem difficultate non carent, quia ſiccatae cartilagines majori labore ſejunguntur.

§. DII.

Jacobus de Back medicus apud *Roterodamenſes* ordinarius, diſſertationem edidit de *corde*, quam *Guilielmo Harveo*, medico regio dedicavit. Poſt quam conqueſtus eſt, cor ad ea usque tempora nondum ſatis perſcrutatum eſſe; Apud animum ſuum propoſuit, ſe in ſtructuram & uſum cordis adcuratius inquiſiturum; Quo ſcopo an fuerit potitus, alii judicent.

§. DIII.

Anno 1667. Collegium privatum *amſtelodamenſe* ſelectiores obſervationes anatomicas figuris illuſtratas duabus partibus edidit, quae tamen non ex hominum, ſed vitulorum, equo-

equorum, canum, felis Zibethicae, cygni, testudinis aliorumque animalium corporibus depromtae sunt.

§. DIV.

Amstelodami itidem a. 1669. virorum clarissimorum, *Marcelli Malpighii* & *Caroli Fracassati* epistolae *anatomicae* uno tractatu junctim prodiere, in quorum priore *Malpighii* epistolae de cerebro, externo tactus organo, de omento, pinguedine & ductibus adiposis, deinde vero *Fracassati* epistolae de lingua & cerebro continentur.

§. DV.

Arnoldus Senguerdius osteologiam C. H. reliquit, quae a. 1662. *Amstelaedami* publicam adspexit lucem.

§. DVI.

Michael Lyserus, Lipsiensis, *Thomae Bartholini* auditor & discipulus per plures annos fuit; Qui, cum in academia patria philosophiae & medicinae prima posuisset tyrocinia, in *Academiam Haffniensem* ad audiendum celebrem *Bartholinum* sese contulit; Fieri vix aliter potuit, quin sub tanti anatomici manuductione ad anatomica exercitia singulari statim amore ferretur: Hinc ad sectiones cadaverum manu veluti ducebatur, via statim ostensa, qua in ejusdem anatomicis administrationibus inoffenso pede progrederetur: Reliquis enim exclusis, ei soli facultas concessa, ut privatis exercitiis adesse, sicque adcuratum secandi artificium universamque C. H. aliorumque animalium structuram addiscere ipsi licuerit. Qua in re cum tandem haud vulgarem dexteritatem sibi adquisivisset, Anatomici *Adsistentis* in theatro anatomico publico nomen titulumque impetravit. Sceletis conficiendis tam strenuam navavit operam, ut talia praepararit, quae cum

nivibus candore & laevore ſplendentibus certarent. Hinc digreſſus in *Academiam Patavinam*, ſummos in arte medica honores & ambivit & obtinuit. Redux, in *Nicopienſem Falſtriae* urbem praxeos exercendae gratia ſeſe contulit, & cum vix in dulcibus amplexibus novae, quam duxerat, conjugis incaluiſſet, tertia poſt nuptias ſeptimana febre maligna correptus & extinctus eſt, quod factum anno 1659. eoque ipſo triſte ſui deſiderium orbi anatomicorum, qui plura ab ipſo ſperaverant, reliquit. Praeter cultrum anatomicum, i. e. methodum brevem, facilem atque perſpicuam, artificioſe ſimulque compendioſe humana corpora incidendi, cum nonnullorum inſtrumentorum anatomicorum iconibus, nihil edidit, praematura quippe morte praeventus.

§. DVII.

Matthias Tilingius ſcripſit diſquiſitionem anatomicam de placenta uteri, novis in medicina hypotheſibus illuſtratam, item exercitationem anatomicam de admiranda renum ſtructura eorumque uſu nobili. Similiter anatomicis non eſt ignota anatomia lienis, ad circulationem ſanguinis aliaque recentiorum inventa adcommodata, item παρέκβασις ſeu digresſio phyſico-anatomica curioſa de vaſe brevi lienis ejusque uſu nobili ac egregio in oeconomia corporis humani. Reliquit etiam exercitationem anatomicam de tuba uteri, deque foetu, nuper in *Gallia* extra uteri cavitatem in tuba concepto.

§. DVIII.

Johannes Vigierius in chirurgicis quidem primariam ſuam collocavit operam, & ex ſcriptoribus Arabibus, Graecis atque Latinis tam antiquis quam neotericis congesſit, quidquid ad perfectam dignoſcendorum, praenoſcendorum & curan-

& curandorum adfectuum H. C. externorum methodum pertinet: Scripſit tamen etiam encheiridion anatomicum & hiſtoriam foetus. Propter arctum enim chirurgiae & Anatomiae nexum non poteſt hanc negligere, qui in altera illa dignos facere cupit progreſſus.

§. DIX.

Jacobus Bontius, Roterodamenſis, edidit obſervationes ex cadaveribus hauſtas, quae in tractatu de medicina Indorum proſtant.

§. DX.

Guernerus Rolfincius vel *Rolfinckius*, Hamburgenſis, anatomiae Profeſſor in *Academia Jenenſi*, poſtquam variis in academiis ſcientiam medicam ſibi comparaverat, peregrinationem ſuſcepit, & perluſtrata fere univerſa Europa *Patavii* in Italia ſubſtitit, ibidemque ſupremos in arte medica honores impetravit, poſteaquam paulo ante anatomiam C. H. publicam in praeſentia Procerum adminiſtraverat. Tandem in *Academia Thuringorum Jenenſi* Profeſſor anatomiae publicus conſtitutus, ſimulque archiatri munere in aula *Saxo-Vinarienſi*, principatum tunc temporis tenente *Wilhelmo, Duce Saxo-Vinarienſi*, laudabiliter perfunctus eſt. Scripſit prolixas diſſertationes anatomicas, veterum aeque atque recentiorum obſervationibus illuſtratas & ad circulationem ſanguinis adcommodatas. Praeterea diſſertationem de hepate ex veterum & recentiorum propriisque obſervationibus concinnatam & ad circulationem ſanguinis adcommodatam, item aliam de corde, nec non methodum partium generationi dicatarum per anatomen cognoſcendi. Denique propter adfinitatem argumenti hujus epiſtolam quoque ad ipſum dedit *Johannes van Horne*, tanquam prodromum operis majoris de partium gene-

generationi inſervientium hiſtoria, quam ſuo loco jam re-cenſuimus. Natus eſt *Hamburgi* anno 1599. denatus *Jenae* 1673. anno aetatis ſuae ſeptuageſimo quarto.

§. DXI.

Johannes Jacobus Wepferus, medicus *Scaphuſinus*, edidit obſervationes anatomicas ex cadaveribus eorum, quos apoplexia ſuſtulit, cum auctario hiſtoriarum & obſervationum apoplecticorum & ſimilium anatomiae ſubjectorum; Scripſit etiam epiſtolam de dubiis anatomicis & hiſtoriam anatomicam de puella ſine cerebro nata.

§. DXII.

Suas quoque ſibi vindicat partes in hac hiſtoria anatomiae *Heinricus Meibomius*, quia pariter aliquid contulit ad locupletandam ſcientiam anatomicam: Detexit enim vaſa nova ad palpebras tendentia: Unde ſcripſit epiſtolam ad *Joëlem Langelottum* de vaſis palpebrarum novis.

§. DXIII.

Antonius Deuſingius, Batavus, lucem hanc adſpexit *Meurſae* anno 1612. Hic praeterquam quod *Arabicae, Perſicae* ac *Turcicae* linguae peritisſimus fuerit, in arte quoque ſalutari haud ſpernendos fecit progreſſus. Poſtquam enim laurum Doctoralem in *academia Lugdunenſi* acceperat, primum in patria medicinam fecit, deinde in *academiam Groningenſem*, hinc *Hardervicum* evocatus, tandemque *Wilhelmi Friderici, Comitis Naſſoviae, Friſiae Occidentalis Gubernatoris*, medicus aulicus conſtitutus eſt. Obiit *Gröningae* anno 1666. cum ad annum aetatis ſuae quinquageſimum quartum perveniſſet. Scripſit anatomen parvorum naturalium ſeu exercitationes anatomico-phyſiologicas, de partibus H. C. conſervationi ſpecierum inſer-

inservientibus. Itidem duas dissertationes, alteram de motu cordis & sanguinis, alteram vero de lacte & nutrimento foetus in utero, item genesin microcosmi seu dissertationem de generatione foetus in utero, ideam fabricae C. H. seu institutiones anatomicas ad circulationem sanguinis aliaque recentiorum inventa adcommodatas, nec non exercitationem de motu animalium, ubi de motu musculorum & respiratione itidemque de functionibus sensuum disquiritur. Suscepit etiam examen anatomes anatomiae *Bilsianae* in epistola ad *Johannem Casparum Fausium*, itidemque exercitationem de administranda anatome *Ludovici de Bils*. Eidem quoque debemus historiam foetus extra uterum in abdomine geniti, ibidemque per sex prope lustra detenti ac tandem lapidescentis, quae consideratione physico-anatomica illustrata est.

§. DXIV.

Suum quoque inter scriptores anatomicos locum tuetur *Casparus Hoffmannus*, Gotha-Thuringius; Qui cum bonae suae indolis & in studium medicum non vulgaris propensionis de se conspicienda praeberet documenta, sumptibus *Senatus Norimbergici* in Italiae *academiam Patavinam* missus est, unde deinde reversus *Basileam* concessit, ibidemque medicinae Doctor renunciatus est, tandemque in locum defuncti *Taurelli* suffectus in *Noricorum academia* Professor ordinarius declaratus est. Edidit commentarium tripartitum de thorace ejusque partibus, item diatribam de usu cerebri & librum singularem de usu lienis, commentarium quoque in *Galenum* de usu partium H. C. & libros IV. de generatione hominis contra *Mundinum Mundinium*, tandemque notis perpetuis illustravit *Galeni* librum de ossibus & librum singularem de partibus similaribus, quem locum suppleturum

arbitratus est libri similis argumenti, quem *Galenus* confecisse dicitur, hodie vero desideratur. Natus est *Gothae Thuringorum* anno 1672. denatus *Altdorffi* anno 1648. cum aetatem suam ad annos 76. produxisset. *Mauritius Hoffmannus*, Furstenwaldio-mesomarchicus, absolutis studiis scholasticis Athenas Noricas sese contulit, ibidemque *Casparo Hoffmanno*, *Georgio Noeslero* & *Ludovico Jungermanno* praeceptoribus in arte medica usus est. *Anatomes* studio prae aliis medicinae partibus delectatus & manuductione *Veslingii* & *Virsungi* tantum brevi tempore profecit, ut ipse hominis suspensi cadaver secando, vires suas fuerit periclitatus. Hujus vero industriae suae fructus mox expertus est, dum a. 42. in gallo indico *ductum pancreaticum* ad illa usque tempora anatomicis ignotum primus detexit, quem, cum *Wirsungo*, hospiti suo ostendisset, isque pari felicitate eundem in homine detexisset, inventio ejus constanter ipsi vindicata, & ab ipsius nomine *Wirsungianus* dictus est. Honores doctorales, brabeuta *Noesslero*, in *Altdorffina* est consecutus tandemque professio publica anatomes ac chirurgices ipsi demandata; Quo utroque officio tanta dexteritate est perfunctus, ut in theatro anatomico non brutorum tantum, sed & hominum cadavera tam masculina quem foeminina saepissime secaret. Inter scripta ejus, quae reliquit, anatomici argumenti, sunt inprimis *institutiones anatomicae*, ordine dissectionibus commodo publice disputatae.

§. DXV.

Johannes Mauritius Hoffmannus, *Mauritii* filius, atque in *Academia Altdorffina* Professor Ordinarius, & *Marchionum Onoldo-Brandenburgicorum* Archiater, scripsit dissertationes anatomico-physiologicas, ad *Johannis van Horne* microcosmum adnotatas, & experimentis observationibusque recentioribus variis illustra-

illustratas, pro quarum veluti supplemento etiam delineavit tractatum anatomico-physiologicum, in quo non solum singularum H. C. partium structuram exhibuit, verum etiam recentiorum anatomicorum observationes & hypotheses modeste trutinavit, & novas etiam pro ea, qua pollebat, secandi dexteritate, quam integris 27. annis adquisiverat, adjunxit. Cujus v. g. generis est: Panniculum carnosum in homine nullum existere, sed illud, quod vulgo ostendunt artifices, esse membranam pinguedinis; Membranae tympani chordam esse subtensam, eamque tam ad sensationem, quam ad mobilitatem hujus membranae facere. Ad Academicos curiosos transmisit observationem ex anatome ovis, foetum utero gerentis.

§. DXVI.

Isbrandus de Diemerbroeck, Montforto-Trajectinus, anatomes in *Academia Ultrajectina* Professor fuit. Edidit anatomen C. H. plurimis novis inventis instructam, variisque observationibus & paradoxis cum medicis tum physiologicis adornatam. Melius vero fecisset mea sententia, si, prout semel consilium istud susceperat, nova sua inventa & observationes peculiari libello consignasset, sicque publici juris fecisset, quam integram anatomiam conscribendo. Suasu vero amicorum suorum passus fuit ab hoc bono consilio sese dimoveri, sibique persuaderi, ut integram totius C. H. historiam concinnaret, in eamque non sua solum, sed & aliorum inventa nova transferret, ut sic una quasi tabula totius anatomes veteris novaeque facies depingi & exhiberi posset. Quod consilium tanto minus ipsi deinde displicuit, quo magis observabat, neminem ante ipsum hoc aeque tentasse. Id vero potissimum est, quod in hac anatomia summopere mihi

displicuit, quod prolixas tales nimiumque evagantes faciat digresſiones medicas aeque atque physicas, & *has* quidem multo adhuc frequentius quam *illas*. Deinde, quod ipsemet in praefatione haud diffiteatur, se tanquam artis delineandi imperitum, pictoribus sua praeparata relinquere coactum fuisse, qui eadem potius ita obscuraverint, ut ipsemet agnoscere illa non potuerit: In gratiam tamen typographi figuras quasdam rariores ex aliis anatomicis sese mutuo accepisse & in opus suum transtulisse, ingenue fatetur. Quemadmodum vero in figuris ipsis haud raro requisita desideratur exactitudo: Ita similiter non omnia ejus inventa ita comparata sunt, ut iis tuto fidem adhibere integrum sit. Cujus generis v. g. sunt vasa lactea, quae per occultos & hactenus incognitos meatus immediate ad vesicam ferri suspicatur: Alioquin enim reddi rationem non posse, ait, cur in potatoribus urina tam cito & in tanta copia ad vesicam feratur? Cur in diabete potus antea adsumptus parum vel nihil mutatus per vesicam reddatur &c. Verum in anatomia plus valet αὐτοψία quam conjectura, quantumcunque speciosa illa alias videatur.

§. DXVII.

Johannes Daniel Horstius, P. P. in academia *Marpurgensi*, edidit anatomen C. H. tabulis comprehensam. Exhibuit etiam publico decadem observationum & epistolarum anatomicarum, quibus singularia scitu digna, nempe lactearum thoracicarum & vasorum lymphaticorum natura, embryonisque nutritio per os aliaque rariora exponuntur. Adnexum est responsum ejusdem ad *Thomam Bartholinum*, quem anatomicum hujus seculi celeberrimum merito vocat, in quo ipsum solatur, quod in controversia cum *Riolano* idem ipsi eveniat, quod *Horstio* cum *Thonero* & *Hoffmanno*. Fuerunt nempe

nempe omni tempore, & adhuc ſunt, qui aliorum labores frivole perſtringunt, ut ipſi ſoli emergant & ut poma illa natitent. Et ſi omni ſua opera efficere nequeant, ut, quos calumniantur, famam indipiſcantur, hoc tandem effugium eſt: Peritiores non latere, quid de conatibus illorum ſentiendum ſit?

§. DXVIII.

Gregorius Horſtius, ſenior, *Torgavienſis*, poſtquam *Baſileae Rauracorum* A. 1606. gradu Doctorali exornatus fuerat, ſub ejusdem anni finem in Profeſſorum medicorum ordinem ſolemniter receptus, deinde vero à *Ludovico*, *Haſſiae* Landgravio, *Fideli* cognominato, in *Academiam Gieſſenam* evocatus, nec tamen diu ibi commoratus, ſed in aulam dicti principis evocatus eſt & ſplendidam archiatri provinciam exornavit. Praeter opera ſeorſim proſtant *libri duo de natura humana*, quorum *prior* de ſtructura corporis, *poſterior* vero de anima tractat, praemiſſa inſuper praefatione de anatomia vitali & mortua, pro conciliatione *Spagyricorum* & *Galenicorum* plurimum inſerviente. Cum vero tractatio de anima non aeque directe ad noſtrum ſcopum ſpectet, notamus ſaltem, priorem partem *duodecim* abſolvi *exercitationibus*, in quarum *prima* de principiis agitur, ex quibus partes humani corporis generantur, ſanguine nempe materno & ſemine, in *altera* examinantur principia, ex quibus humani corporis partes conſtituuntur, quae ex *Auctoris* noſtri ſententia ſunt calidum innatum, ſpiritus & humores. *Tertia* ad examen vocat ea, quae in actione partium humano in corpore ſecernuntur, tam in prima, quam ſecunda ac tertia concoctione; In *quarta* recenſentur partes humani corporis proprie dictae *in genere* & oſſa *in ſpecie*, quam tractationem *exercitatione quinta* excipit hiſtoria

cartilaginum, ligamentorum, tendinum, fibrarum, venarum, arteriarum, nervorum, membranarum, cutis, carnis & panniculi carnosi. Ab *exercitatione sexta* ad *undecimam* usque agitur de partibus dissimilaribus in genere, ac de membris primae ac secundae concoctioni in specie dicatis, de organis generationi in utroque sexu inservientibus, de membris vitae ac respirationi prospicientibus, de communi sensus ac motus animalis organo, de sensuum externorum, vocis atque sermonis instrumentis propriis, nec non de organis motus animalis propriis atque speciatim de manibus pedibusque. Universa denique tractatio obsignatur, adjecta *exercitatione duodecima* de partium humani corporis productione ipsiusque hominis generatione.

§. DXIX.

Gregorius Horstius, Junior, Gregorii nepos, *Ulmensis*, specimen anatomiae practicae edidit in academia Giessena, quod antea aliquot philiatris exhibuerat.

§. DXX.

Michael Rupertus Beslerus, Norimbergensis, patrem habuit medicum Norimbergensem, &, postquam in academia patria Altdorffina laurum acceperat, praxin Norimbergae exercuit. Scripsit admirandae fabricae humanae mulierum, partium generationi inservientium, & foetus fidelem delineationem quinque tabulis, ad magnitudinem naturalem & genuinam, typis aeneis impressis. Natus est anno 1607. denatus vero anno 1661. cum ad annum aetatis suae quinquagesimum quartum adscendisset.

§. DXXI.

Nicolaus Severus, scripsit observationes anatomicas de glandulis oculorum novisque eorundem vasis, nec non de glandulis oris.

§. DXXII.

Franciscus de Raedt, edidit descriptionem anatomicam monstrosi foetus à *Ludovico Bilsio* dissecti, quae cum ejusdem *Bilsii* speciminibus anatomicis exstat.

§. DXXIII.

Johannes Conradus Peyerus, medicus *Scaphusianus*, indagandas potissimum sibi proposuit glandulas intestinales, per intestina tam crassa quam tenuia dispersas, quibus natura tam in statu ordinario utitur pro laeviganda & irroranda interna cavitate intestinorum, quam in statu extraordinario, diarrhoea nempe critica, ubi hisce colatoriis utitur pro excernendis vitiosis humoribus, ex tota humorum massa ad hanc communem cloacam confluentibus.

§. DXXIV.

Praestitit hoc *Peyerus* exercitatione singulari de glandulis intestinorum cum anatome ventriculi gallinacei, quam anno 1677. ediderat. Cum vero ab eo tempore alia publico non indigna observasset, *Parerga septem anatomico-medica* anno 1682. evulgabat, in quibus praedictam exercitationem ut *primum* parergon supponebat. *Secundum* de iisdem glandulis intestinalibus tractat, nihilque aliud continet, quam uberiorem eorum, quae in priore dissertatione de conformatione atque usu illarum glandularum dicta fuerant, explicationem. Potissimum vero distinguit glandulas intestinorum in *externas*, nempe hepar, pancreas, glandulas mesenterii, intestinorum superficiei exteriori adhaerescentes & sub marsupiorum exiguorum specie utrinque sub ani sphinctere latitantes: Et *internas*, quarum diversas pariter species numerat, universam scilicet intestinorum tunicam glandulosam internam occupan-

occupantes, aliasque glandulas majores & conſpectiores, vel ſparſim in cunctis, vel areolatim in tenuibus diſſeminatas; Poſterioris generis utramque ſpeciem tam per autopſiam *Caſparis Bartholini, Wepferi, Scretae* & *Harderi*, quam per iteratas variis in animatibus quadrupedibus, avibus, piſcibus ac tandem in homine, ſectiones proprias confirmans.

§. DXXV.

Quae omnia quisquis rite perpenderit, ſuo eximio uſu non deſtitui, ſponte confitebitur: At vero ingens inventi hujus abuſus eſt, quando eo tandem abripi ſeſe paſſus fuit, ut exiſtimaret, ventriculum totum una cum inteſtinis glandulosum eſſe, & nullam quidem aliam ob rationem, quam quod ſecretionibus, quarum nullam niſi glandularum beneficio fieri poſſe crediderat, vacent. Inteſtinorum ſtructuram, potisſimum in tenello embryone, teſtibus atque epididymidibus perquam ſimilem eſſe autumavit & glandulas ipſas pro meatibus varie contortis & configuratis habuit &c. Quae cum ita comparata ſint, ut quamplurimis diſplicere debuerint, inde mirandum non eſt, quod plures nactus fuerit contradictores.

§. DXXVI.

Caeterum *tertium* parergon methodum hiſtoriarum medico-anatomicarum commendat, cujus ope in defunctis & morbi ſedes & cauſae indagandae ſint. *Quartum*, cum noſtrum, nempe anatomicum, argumentum parum vel nihil reſpiciat, merito à nobis praetermittitur. *Quintum* vero ſiſtit hiſtoriam anatomicam ab H. *Glaſero* conſcriptam, mulieris nempe aſcite defunctae, cui lien extiterat minimus, ductus autem pancreaticus maximus, & foramen in inteſtini jejuni principio, quod ductui biliario & pancreatico commune eſt,

tantae

tantae repertum eſt amplitudinis, ut digiti auricularis apicem admitteret. In *ſexto* refertur hiſtoria anatomico-medica de muliere quadam hydropica, cujus abdomen tumoribus plenum uterusque tuberoſus inventus eſt. Et in *ſexto* denique miraculum recenſetur anatomicum in cordibus reſuſcitatis, quatenus nempe fibris cordis tam humani quam aliorum animantium egelidis motus denuo aliquis inſpirari poſſit, äerem per ductum thoracicum inflando, corque interea manu vel ſpongia calida fovendo, qui etiam fotus in corde ſalmonis foemellae, e corpore evulſo, pro pulſu huic reſtituendo aliquando ſuffecerit.

§. DXXVII.

Edidit praeterea merycologiam curioſam ſeu de ruminantibus & ruminatione commentarium docte elaboratum, adjunctis etiam iconibus; Itidem anatomen ventriculi gallinacei & commentarium in eandem. Scripſit etiam certamen epiſtolae cum *Johanne de Muralto*, medico *Tigurino*, cujus hiſtoriam mox exhibebimus. Anno 1736. Lugduni Batavorum nova eaque tertia prodiit editio horum *parergorum Peyerianorum*, ratione & experientia parentibus conceptorum; Subjuncta eſt obſervatio circa urachum in foetu humano pervium ut & *Johannis Jacobi Peyeri, Johanni Conradi* filii obſervationes quaedam anatomicae in homine non minus poſt mortem, quam in brutis avibusque viventibus ac mortuis contemplando & ſecando notatae.

§. DXXVIII.

Hic *Johannes de Muralto, Tigurinus*, inque *Gymnaſio Tigurino* artis medicae P. P. praeter varias obſervationes ex anatome variorum animalium tam volatilium quam fluviatilium hauſtas & ſocietati naturae curioſorum communicatas

 nobis

nobis etiam reliquit Vade mecum anatomicum. Neque ignotum est philiatris collegium ejusdem anatomicum. Cumque *Johannes Conradus Peyerus* in prima suarum dissertationum, ratione usus glandularum intestinalium adseruisset, has chylum minime resorbere: Hinc contradicentem nactus est eundem hunc *Muraltum*, qui in clave medicinae, quam *vademecum anatomicum* adpellat, istam *Peyeri* sententiam confutavit.

§. DXXIX.

Jacobus Heinricus Pauli edidit *anatomiae Bilsianae* anatomen, occupatam inprimis circa vasa mesaraica & labyrinthum in ductu rorifero.

§. DXXX.

Singulare prorsus inventum est, quod ex MStis *Conradi Wesenfeldii*, insignis olim in Academia Viadrina Professoris, excerpsit *Johannes Petrus Albrecht*, reverendissimi atque celsissimi Episcopi, nec non civitatis *Hildesheimensis* archiater & Physicus primarius, de *meatibus ab intestino coeco ad vesicam urinariam* tendentibus. Cum enim dictus auctor in dissectione viri ob maleficia publice decollati occupatus esset, abrasa pinguedine circa intestinum coecum sita detexisse sibi visus est *ductus* quosdam, *ab intestino coeco deorsum ad vesicam* vergentes, per quos materiam urinae, quam tam saepe & copiose excernunt potatores, permeare, & vesicae infundi existimavit: Quod si verum esset, non haberent amplius, cur angerentur physiologi in reddenda ratione urinarum, tam brevi tempore in tanta copia redditarum, neque necessitas ipsis incumberet, in defectu plenioris demonstrationis ad *poros* ventriculi & vesicae vel *intro-forâs* vel *forâs-intro* aliasque chymaeras recurrendi, nec, uti quibusdam solenne est, distin-

distinguendi inter urinam potus & sanguinis. Cessaret vero hac ratione omnis scrupulus, si de veritate ipsius rei rectius constaret. Cum vero nullus anatomicorum, praeter illum solum, horum meatuum mentionem faciat, existimamus merito, hos cum *ductibus chylosis Diemerbroeckii* ad renes & vesicam tendentibus, in eodem censu habendos esse. Interea libertatem cuivis, an industriam suam in ejusmodi meatuum scrutinio, quotiescunque occasio ita tulerit. (Nam cuivis adire Corinthum non licet) experiri consultum judicaverit?

§. DXXXI.

Similes propemodum conjecturas de *nova via seri ad renes delabentis*, aluit etiam *Anonymus* quidam *curiosus*, quas collectoribus Ephemeridum N. C. transmisit: Nempe urinae materiam non solummodo per *vasa emulgentia* ferri ad renes, sed etiam, & quidem potissimum per *vesiculas* seu *vasa circa adipem renum*, quae ex mesenterio & propinquo *Pecquetti* receptaculo chyli serum urinosum per adipem ad renes transferant. Quam suam adsertionem non tantum multis argumentis *a priori*, verum etiam anatome viri, ex diabete & calculo mortui, in quo nempe externa renum tunica plane lacerata & minutis arenulis obsita fuit reperta, plus quam ipsa pelvis, *a posteriori* confirmare nititur. Sed cum conjecturis solis in rebus anatomicis nullus sit locus, & nemo adhuc inventus fuerit, qui vias tales inspectione oculari demonstraverit, eas merito in dubio tamdiu relinquimus, donec clarius in apricum deducantur.

§. DXXXII.

Theodorus Kerckringius, Batavus, Med. D. edidit opera anatomica, quibus comprehenduntur *spicilegium anatomicum*, centuriam observationum rariorum continens, nec non

osteogenia foetuum, in qua, quid cuique ossiculo singulis mensibus accedat, quidque decedat, & in eo per varia immutetur tempora, accuratissime oculis subjicitur. Accessit postea in supplementum osteogeniae foetuum anthropogeniae ichnographia seu conformatio foetus ab ovo usque ad ossificationis principia.

§. DXXXIII.

Spicilegium anatomicum quod speciatim attinet, constat illud centum observationibus, maximam partem anatomicis, in quo, ut *Auctor* ipsemet loqui amat, spicae nonnullae, in agro *Kerckringiano* natae, occurrunt, quae sua sine dubio novitate oblectaturae sunt curiosum talium rerum indagatorem. Liceat nobis aliquas tantum hinc inde decerpere.

§. DXXXIV.

Observatione secunda in superfoetationis veritatem inquirit auctor. Praeter testimonia *Laurentii, Sennerti, Nicolai Florentini, Pauli Peredae* plurimorumque aliorum adducit ipse luculentum, ut putat, superfoetationis exemplum, duo nempe sceleta geminorum, uno partu editorum, quorum alter octo fuit mensium, alter, quantum ex ossibus adparet, & tunc, cum carne vestita offerrentur, ex toto corporis habitu aestimari potuit, quartum nondum mensem attigerat. Quid vero ad hujus generis observationes responderi possit ac debeat, legi potest prolixius in *specimine medico-forensi tertio*, quod ante aliquot annos ex cathedra medica hic publice, me praeside, discussum fuit.

§. DXXXV.

Proxima observatione disputat contra *Bartholinum*, qui numerum valvularum in venis binarium uno in loco non excedere, ternas nunquam reperiri, existimavit; Sancte testatus, se in

ſe in venis tam hominum quam beſtiarum valvulas ternas ſaepe reperiſſe; Cujus in rei teſtimonium venam jugularem internam hominis ſervat, in qua ternae triplici loco conſpiciuntur valvulae; Ubi ex ſubclavia prodit exiguo intervallo bis, & interjecto fere trium digitorum ſpatio iterum. Addit & hoc, ſervare ſe venam jugularem canis, in qua quinque uno in loco valvulae ita ſunt conſpicuae, ut dinumerare eas vel infans posſit.

§. DXXXVI.

Obſervatione *quinta* arteriarum cum venis anaſtomoſin, experimento lymphae extra eas repertae impugnat; Ex quo infert, ſanguinem ex arteriis ad partes nutriendas in eas effundi, &, nutritione peracta, vaſa lymphatica lympham, venas ſanguinem ſuperfluum, impulſione aliunde facta (à motu nempe tonico partium fibroſarum) recipere, ut deinde ad communem ſanguinis fontem, nempe cor, revehatur. Vidit etiam *noſter*, quod eſt argumentum *obſervationis ſeptimae*, venam & arterias umbilicales longo poſt nativitatem tempore apertas, in puero nempe octavum jam vitae menſem agente, id quod eſt oppido rarum atque curioſum. Hinc vero *obſervatione octava* revertitur ad anaſtomoſin arteriarum cum venis, eamque ne in cerebro quidem ullam reperiri, contra *Williſium* diſputando tuetur. Aterias quoque umbilicales non uno ſemper loco, pro variis iisque ſaepe mirabilibus naturae luſibus, exoriri, ipſa autopſia deprehendit. Ita *Gualterus Needham* vidit eas ab arteriae äortae extremitate immediate prodeuntes: *Noſter* vero (*Obſervatione nova*) non ſolummodo eas ab äortae extremitate ſaepe, non raro tamen etiam ab iliacis prodeuntes vidit.

§. DXXXVII.

Quod insuper *Kerckringius* observatione *decima tertia* enarrat de testiculis in Juvene delitescentibus, qui anno demum aetatis decimo octavo proruperunt; Idem in duobus me pueris observasse recordor, quorum utrique alter testiculorum, qui in inguinibus diu haeserat, adultiori demum aetate prorupit. *Observatio decima octava* duas exhibet glandulas mesenterii insolitae ac tantae magnitudinis, ut quindecim penderent uncias, decussatim sibi mutuo incumbentes, quae sinistrum renem ita compresserant, ut pene totus in pus esset conversus.

§. DXXXVIII.

Observatione *vigesima* disputat contra *Veslingium*, *Bartholinum* & *Laurentium*, qui ligamenta lata vespertilionum alas assimilantia ossi ilio uterum alligare contendunt: *Noster* vero, qui toties ea examinavit, nunquam alligata, semper liberrima fuisse deprehendit. Quod vero adjiciat, neminem vidisse, sensisse, uterum excidisse sua sede, deceptos omnes imagine falsa, & laxitatem quandam colli uterini haec fecisse ludibria, id experientiae contrarium est. Si fidem sibi suis in detectionibus vult haberi, eandem & aliis habeat in suis necesse est. Qua de re videatur disputatio nostra de *novo artificio curandi procidentiam uteri veram.*

§. DXXXIX.

Porro vero observatione *vigesima sexta* disquirit, an venae & arteriae habeant venas & arterias, quae sua illis alimenta suppeditent? Cui quaestioni ut satis faciat, in eam propendere videtur sententiam, venas & arterias alio nutriri sanguine, quam quem suis vehunt cavitatibus. Ne vero putetur, inquisitioni illi nullum à natura indicium ostendi, adseverat, penes se servari truncum majorem venae portae equi-

equinae, in quo conſpicua eſt venarum, quae à meſentericis ramis, & arteriarum, quae à ramo ſplenico exoriebantur, tanta copia, ut inextricabilem labyrinthi errorem flexus earum & fines quaerentibus exhibeant; Rurſuſque venas arteriasque alias per ſecundas has decurrentes oſtentant. Si dicatur, hoc modo procedendum eſſe in infinitum; Reſponderi poteſt: Ulteriori naturae inveſtigationi negotium hoc eſſe commendandum.

§. DXL.

Obſervatio *vigeſima nona* cum aliquot inſequentibus varios naturae luſus tam in hominum quam brutorum corporibus recenſet. Talis luſus fuit, quod in cane duorum menſium venam cavam invenerit duplici trunco e dextra cordis auricula egredientem, quae gibbam hepatis partem ingreſſura coaleſcebat in unum: Verum egreſſa hepar ad digiti transverſi ſpatium, rurſum dividebatur in duos magnos ramos, quorum ſinguli emulgentem ad renem ſibi viciniorem propagabant, & ſic divaricati ad crura ramos iliacos efficientes deferebantur. Occurrebat in eodem quoque cane alius adhuc naturae luſus, nempe truncus ductus thoracici triplex, qui tamen parte ſuperiore rurſus in unum coaleſcebat. Alium talem naturae luſum obſervavit *Noſter* in virgine quadam, duos circiter & viginti annos nata, in qua quippe quatuor arterias ſpermaticas, nullam venam invenit. Trahebat autem dexterarum ab arteria emulgente una, altera ex arteria magna originem ſuam, ſiniſtrae ambae vero ex emulgente prodibant: Antequam tamen teſticulis in corpus pyramidale ſeſe inſinuarent, ut arteria venaque ſimul junctae ſolent, coaleſcebant.

§. DXLI.

§. DXLI.

Uti vero de valvula coli obſervatione *trigeſima prima* notaverat, illam non ſemper omnem impedire materiarum regreſſum & aſcenſum verſus ſuperiora: Ita *trigeſima nona* advertit, in ileo pariter, jejuno atque colo plurimas reperiri valvulas, quas, quia non totum opplent ſpatium, valvulas *conniventes* adpellavit *Kerkringius*. *Conniventes*, inquam; Quia non ita claudunt inteſtinum, ut totam ejus cavitatem oppilent, ſed mediam circiter ejus capacitatem ſic occludant, ut ſingulae parte altera latiores, paulatim anguſtiores fiant, & rurſus paulo inferius ab alia excipiantur, quae latior ea parte, qua praecedens erat anguſtior, talem inteſtino dent conſtitutionem, ut faeces delabi quidem posſint, ſed non praecipitari unico quaſi lapſu ad inferiora.

§. DXLII.

Atque hae ſunt praecipuae ſive novae detectiones ſive alienarum ſententiarum reformationes, quas ſpicilegium *Kerkringii* anatomicum ſiſtit. Eſt vero non minus curioſa, quam utilis & neceſſaria ejusdem *oſteogenia foetuum*, partim, quod haec anatomiae pars, ut *Auctor noſter* loquitur, minime omnium ab aliis ſit accurate pertractata, partim, quod difficile ſit ei rei neceſſaria obtinere foetuum corpuſcula, partim, quod vel maxime, ubi obtenta fuerint, eorum examen adeo ſit obſcurum, ut certi quid de iis pronunciare, ſaepe ſit periculoſum: *Noſter* vero, cui iſta obtigit felicitas, ut plusquam ſeptuaginta foetus non exiguis ſumptibus undique conquiſitos diſſecuerit, & labori neutiquam pepercerit, quo minus dies noctesque iis perſcrutandis impenderet, hoc in genere nihil affirmavit, quod non clara ſemper autopſia ipſi oſtenderit. Unde minus quoque neceſſarium eſſe judicat, inventa

ſua

ſua ſcriptis defendere; Quia ſceleta à menſe ſecundo poſt conceptionem gradatim adſcendentia ad menſem usque nonum jam exactum ſervat, in quibus ea, quae dixit & literis conſignavit, uniuscujusque oculis ſubjicere facile potuit. Quod diſputationis genus, mea ſententia, omnium certisſimum & efficacisſimum eſt.

§. DXLIII.

Neque tamen habet curioſus lector, quod totam *oſteologiam* à *Kerkringio* expectet; Nihil enim ille ſua in *oſteogenia foetuum* propoſuit, quam rariora tantum, in quibus foetus ab adultis corporibus diſcrepat, vel in quibus ille ab aliorum Auctorum deſcriptione osſium foetus diſſentit vel quae ab aliis plane nondum obſervata fuerunt. Deduxit itaque incrementa osſium per ſua temporum intervalla, indicavitque, quomodo duobus primis menſibus conſtituta ſint, quid tertio, quarto & caeteris deinceps in iis mutetur, quid accedat, quidque decedat? Ex quibus tamen omnibus ſelectiora quaedam huc tantum transferemus.

§. DXLIV.

Quod *Laurentius* de ſincipitis oſſibus adſeruit, anteriorem eorum partem in puerulis primum membraneam, deinde cartilagineam, tandemque in adultis oſſeam evadere; Idem de toto corpore oſſeo valere, *Kerkringius* obſervavit, plurimas nempe partes, quae pasſim cartilagineae dicuntur, primum membranoſas eſſe, ac paulatim in cartilaginis conſiſtentiam abire, antequam ad osſium ſoliditatem perveniant: Idque vel maxime in fontanella & in ea junctura, quae maxillae inferioris oſſa in mento conjungit, evidenter adparet. Speciatim obſervat *Auctor* de oſſe frontis, quod primis

duobus mensibus omnia vel mera sint membrana vel cartilago; Quae deinde subsequentibus mensibus in osseam indolem sensim convertantur, donec nono mense omnia & praecipue os frontis & occipitis, mollibus, latis, laxis flaccidisque vinculis, suturis atque commissuris, ad partum facilitandum, colligentur.

§. DXLV.

De ossibus sincipitis adnotavit, quod quarto mense exacto jam tota sint ossea, nisi quod ad suturam sagittalem, ossa sphaenoides & temporum ac fontanellam amplae adhuc aperturae cartilagineae hient. Quinto vero ac sexto mense haec insigniter augeri, suturasque ita paulatim arctari animadvertit, ut septimo mense laxe per harmoniam jungantur, interea tamen ab ossibus sphaenoide & temporum media adhuc membrana satis notabili hiatu discedant, qui octavo mense vix adpareat, nono autem omnino evanuerit. Atque hoc modo ossificationis historiam in ossibus temporum, sphaenoideo, ethmoideo, maxilla superiore & inferiore, osse hyoides, spina dorsi, osse innominato, costis, sterno, claviculis, scapulis &c. prosequitur, quae omnia si seorsim huc transferre vellemus, totus Auctoris tractatus transscribendus foret.

§. DXLVI.

Osteogeniae subjuncta est, quae eandem praecedere merito debuisset, *anthropogeniae* ichnographia, i. e. humani foetus ex ovo formatio. Inquisiturus igitur *Auctor* in prima, quibus homo constat, principia, ab ovo orditur, in quo hominum non minus quam avium prima reperiantur incunabula. Ova haec, quae in testiculis foeminarum reperiantur, sic describit: Sunt ova haec, inquit, pisi viridis magnitudine, intra istam latitudinem, quae pisorum determinat quantitatem, variantia.

Intus

Intus latet humor, qui, ſicut aliorum ovorum albumen & vitellus, dum coquitur, indureſcit, - - pellicula vel pelliculis extrinſecus circumdantur, quae, poſtquam in uterum prolapſa ſunt, brevi tempore extenduntur & in amnion chorionque commutantur. Ut vero, quomodo ſucceſſivis temporibus augmenta capiat foetus in utero, curioſius expiſcaretur, inſpexit foetus trium, quatuor, quindecim dierum, trium hebdomadum, unius menſis & ſex hebdomadum, ſicque adcuratius cognovit, qua ratione provida mater, natura foetum ſuum ſenſim augeat formetque. Patuit hoc modo, menſis unius foetum jam mole quodammodo ſua ſtare, & maxillam tam ſuperiorem quam inferiorem puncta prae ſe ferre oſſea; Claviculas eſſe formatas & coſtas omnes punctulis ſuis oſſeis diſtinctas, prima & ultima excepta, quae ne menſe quidem ſecundo quicquam oſtendunt oſſeum; Brachia diſſecta eſſe in humerum & utrumque cubitum; Adeſſe femur, & crura ſua habere focilia &c.

§. DXLVII.

Hic etiam *Henrici Schaevii*, Doctoris & Profeſſoris *Stettinenſis* mentio injicienda eſt, qui ideam anatomicam, appendicis inſtar introductioni in chirurgiam *Jeſſenianam* adnexam, quae anno 1674. Norimbergae vernacula prodiit, nobis reliquit. Ordo generalis, quo in partium humani corporis deſcriptione utitur, hic eſt: Poſtquam nempe partem ipſam anatomice delineavit, morbos deinde, quibus expoſita eſt, enarrat. Ita v. g. expoſita ſtructura cutis, recenſet ejus affectiones, quae ſunt ſcabies, anthrax, furunculus, ſcirrhus, cancer, lupus vorax, eryſipelas, herpes, verrucae, clavi, epinyctides &c. Sic etiam in deſcriptione hepatis ſeſe gerit: Declarata enim hepatis ſubſtantia, exponit morbos, quos incurrit

vel parit, uti ſunt obſtructio, inflammatio, ſcirrhus, vulnera, ulcera, atonia, cachexia, hydrops aſcites, tympanites, anaſarca, leucophegmacia, icterus flavus & niger, atrophia &c. Atque hanc eandem tractandi methodum etiam ſequitur in aliarum omnium partium deſcriptione, eamque ſimiliter adprobavit *Johannes Mauritius Hoffmannus*, Profeſſor *Altdorffinus* in diſquiſitione corporis humani anatomico-pathologica, ſicuti ſuo loco id à nobis relatum eſt.

§. DXLVIII.

Simon Pauli, Roſtochienſis, patrem habuit medicum & profeſſorem *Roſtochienſem*, qui, poſtquam in *alma Leucorea* titulum & honores Doctorales impetraverat, brevi poſt in *academia Roſtochienſi* profesſionem publicam ſuſcepit, ex qua, integro ſeptennio exacto, *Haffniam Danorum* tranſiit, ibidemque profesſionem ordinariam anatomiae, chirurgiae atque botanices impetravit, tandemque Regis Daniae archiater conſtitutus eſt. Calluit inprimis modum egregie dealbandi oſſa, pro *ſceletopoeia*, à quo etiam modum iſtum didicit *Michaël Lyſerus*, cujus jam ſuperius meminimus. Edidit quoque obſervationes, in coctura osſium, praeſertim ſterni, obſervandas, & anno 1683. eximiam habuit orationem de origine, praeſtantia & utilitate anatomiae, quae adnotationibus ad tabulas anatomicas *Julii Caſſerii, Placentini*, adjuncta eſt. Natus eſt *Roſtochii* A. 1603. denatus vero A. 1680. cum aetatem ſuam ad annum ſeptuageſimum ſeptimum produxiſſet.

§. DXLIX.

Opportunum hoc loco fuerit, inſerere experimenta quaedam, à *Johanne Friderico Ortlobio*, Med. D. & P. P. Lipſienſi, adornata, ut comprobaret, non ſolum ſine animalis detrimento lienem ex corpore viventis exſcindi non poſſe, ſed & hepati dictum

dictum viscus subsidiarias in sceretione bilis operas praestare, sanguinem nempe subtilem reddendo & ad depositionem partium biliosarum modificando. Descripsit illa *Ortlobius* in praefatione *anatomiae Tauvryanae* praemissa hisce verbis: *Canem vivum, inquit, ἄσπληνον reddideramus, & post quam aliquo tempore superstes mansit, vivum iterum secuimus, ubi bilis parciorem ad intestina motum & ipsam minus flavam, minus homogeneam & naturalem deprehendimus.* Maximum vero robur addere videtur experimentum sequens: *Nempe cani vivo, post extirpatum lienem, dextrum quoque aperitur hypochondrium & ex cysti bilis omnis exprimitur. Canes ejusmodi, qui iteratae huic operationi supervivunt, copiosam bilem vomunt, & inextinguibili siti ad aquam immodice hauriendam feruntur. Quod si tandem eosdem, aliquot diebus elapsis, cultro anatomico subjicimus, nulla in intestinis, nulla in vasis bilariis & cysti bilis invenitur, heparque ipsum naturali facie non gaudet.* Ex hisce vero experimentis infert *Ortlobius*: Lienis extirpationem produxisse bilis defectum, & primarium secretionis ejus organum, jecur scilicet lienis adjumento destitutum, solum munere suo fungi non posse.

§. DL.

Theophilus Bonetus edidit anatomiam practicam, quam sepulchretum suum vocat, in qua proponit pene omnium C. H. adfectuum historias & observationes ex cadaveribus hominum, certis morbis denatorum depromptas, opus certe uti anatomiae cultoribus desideratissimum, ita etiam utilissimum. Praemisit autem anatomiae suae practicae prodromum de abditis morborum caussis, ex cadaverum dissectione revelatis.

§. DLI.

Johannes Jacobus Harderus, M. D. ejusdemque in academia

Basileensi P. P. descripsit novam glandulam lacrymalem una cum ductu excretorio in cervis atque damis amplam latamque, & ex plurimis aliis conglomeratam, subrubram (aliter quidem atque reliquae oculorum glandulae se habent) quaeque sita est in interiore oculi orbita, in peculiari cavitate pone musculum oculi adducentem, & quidem duabus epistolis ad - - exaratis.

§. DLII.

Miscellaneis N. C. idem inseri curavit observationem de glandulis intestini duodeni, quas *Brunnerus* in lucem *primus* produxerat. Quanquam enim *Peyerus* persuadere ipsi conatus fuisset, corpuscula illa inventa non fuisse *glandulosa*, sed *nervea:* Vicit tamen autopsia omne tandem dubium: Siquidem non tantum celeberrimus *Brunnerus* seriem harum glandularum, à pyloro copiose protensam ad usque ductus bilarii insertionem in duodeno equino evidentissime ipsi ostendit, sed & ipse in equa easdem scrutatus est & copioso plane numero per superiorem duodeni faciem, ad insertionem praefati ductus & ultra dispersas esse comperit, imo foraminula excretoria in intestini cavum, quod glandulae secreverant, exstillantia commodum spectatoribus ostendit, sicuti nonnullos medicinae Doctores, qui sectioni interfuere, testes ejus rei vocat. Denique in ejus apiario, ut ipse vocat, non paucae occurrunt observationes, *anatomen* illustrantes.

§. DLIII.

Commodum hic locum inveniunt quoque *Paeonis* & *Pythagorae* exercitationes anatomico-medicae, quibus sub nominibus duo celebres medici, nempe *Johannes Jacobus Harderus*, cujus paulo superius mentionem injecimus, & *Johannes Conradus Peyerus*, detectione glandularum intestinalium jam alias

alias notus, latent. Comprehendunt praeter obſervationes rerum, quae eo tempore inter anatomicos ventilabantur, pathologica varii generis, per cadaverum praeprimis, his vel illis morbis defunctorum, eviſcerationes declarata, ſcholiisque ac theoriis propriis illuſtrata; Opus, quod paulo ante & utilisſimum & anatomiae cultoribus omnibus deſideratisſimum vocavimus; Quia *Pathologiae verae* ex ipſa cadaverum inſpectione illuſtrandae eximie inſervit.

§. DLIV.

Johannes Baptiſta de Lambswerde M. D. Colonienſis & in *Ubiorum Univerſitate* P. P. hiſtoriam molarum uteri ſcripſit, quae licet argumentum anatomicum proxime non concernat, ut objicientibus facile largior, dignisſimam tamen continet commentationem, in qua auctor quaeſtiones diu vexatas de molis virginum & impraegnatione ſagarum à diabolo, penitius examinare & praejudicia vulgaria extirpare cordi habuit: Quo ſolo nomine meruit tractatus, ut adcuratius à medicis aeque ac JCtis legeretur & expenderetur, ſicque tandem veteri fabellae de ſagarum impraegnatione à diabolo facta repudium mitteretur.

§. DLV.

Franciſcus Stockhamer, Doctor medicus & anatomicus edidit microcoſmographiam ſive partium H. C. omnium earundemque actionum & uſuum brevem quidem ſed adcuratam tamen deſcriptionem anatomicam, novis hujus ſeculi inventis exornatam.

§. DLVI.

Memoratu hic inprimis dignum eſt, hanc *Stockameri microcoſmographiam* una cum *Antonii Everardi* tractatu, quem inſcri-

inſcripſit: *Novus & genuinus hominis brutique animalis exortus*, quique anno 1661. prodiit, praecedenti ſeculo ſingularia fata expertam eſſe: Fecit enim bibliopolarum avaritia & inſana lucri cupiditas, ut uterque liber ſub titulo: *Coſmopolitae hiſtoria naturalis, ſeu nova ac genuina animalium generatio, nec non accuratisſima corporis humani delineatio anatomica*, Lugduni Batavorum denuo prodiret. Iſtam vero fraudem pro ſua, qua in litteraria re pollent, exquiſita dexteritate & notitia ſtatim detexerunt *Auctores Actorum Lipſienſium*, ſimulque oſtenderunt, quo artificio uſi fuerint, *qui alienae mesſis fructus colligere* vel *aliorum ovis incubare ſategerunt*. Verum mereretur petulantia iſta, ut ſeveris poenis coërceretur, his praecipue temporibus, quo fraudes tales litterariae inſolentius exerceri incipiunt, usque adeo ut paucos ante annos repertus fuerit, qui integram diſputationem de verbo ad verbum, carminibus gratulatoriis ne quidem exceptis, transſcripſerit.

§. DLVII.

Georgius Fridericus Francus de Franckenau, Georgii Franci de Franckenau, magni Regis *Daniae* archiatri filius & artis medicae Doctor publicus, ut demonſtraret, nihil tam vile vel abjectum eſſe, in quo non locupletisſimam occaſionem inveniant curioſa ingenia ſeſe utiliter exercendi, ſcripſit *onychologiam* curioſam ſeu tractationem phyſico-medicam de unguibus, quos ex pluribus pelliculis tenerrimarum fibrillarum papillaceis coalitis progigni ſtatuit, & exemplo adfinium cornuum in brutis confirmat.

§. DLVIII.

Sub ejusdem praeſidio *Haffniae*, reſpondente *Eduardo Petruswio* habita eſt diſſertatio inauguralis *de via alimentorum & chyli*,

chyli, in qua ſingularis & ſtupendi ductus thoracici deſcriptio & delineatio occurrit, quam integram una cum explicatione in *Actis Eruditorum Lipſienſibus* Menſ. Jan. 1718. videre licet.

§. DLIX.

Jacobus Hovius, cum in *Academia Ultrajectina* pro obtinendo gradu Doctoris diſſertationem inauguralem haberet, argumentum minus tritum ſibi eligendam eſſe exiſtimavit, ac proinde motum circularem humorum ocularium, qui anatomicis hucusque nondum innotuerat, in apricum deducere adlaboravit. Oſtendit nempe, humores oculorum non fortuito ibi colligi, verum continuo potius fluxu ac refluxu ad inſtar ſanguinis indeſinenter in orbem verti, ut ſic perpetuus oculi vigor conſtanter conſervetur. Quamvis autem de humore oculorum aqueo rem reipſa ita ſeſe habere, jam ab aliis ſatis demonſtratum ſit, & notisſimum phaenomenon ſpontaneae reſtitutionis, ſi caſu & infortunio quodam effundi illum contingat, id clare oſtendat: Nondum tamen ſatis evictum eſt, idem quoque obtinere in reliquis oculorum humoribus: Eget enim negotium iſtud ulteriori indagatione, praeſertim cum tentamina *Auctoris* noſtri in ſolo tantum capite vitulino hactenus inſtituta fuerint.

§. DLX.

Ita ſcripſeram, cum hiſtoriam anatomes à me concinnatam publico exhiberem. Nunc vero, cum novam & plus quam dimidio auctam rogatus editionem adornem, viſum mihi eſt, dignitatem inventi id cum primis à me exigere, ut, quam a. 1716. *Auctor* molitus eſt, novam non re tantum, ſed & figuris à praecedenti in plurimis mutatam, editionem denuo perluſtrarem, atque ſingula adcuratius recenſerem.

§. DLXI.

Itaque in dedicatione ad perilluſtrem DD. *Nicolaum Wittſenium*, JC. & reipublicae Amſtelaedamenſis ſenatorem gravisſimum &c. ipſemet ſponte confitetur, à recto quodammodo tramite ſeſe deviaſſe; Quam etiam ob rationem telam textam retexere non modo dedecori ſibi non duxit, ſed & ſapientioribus medicorum gratum fore merito judicavit. Proinde plurimorum ſubjectorum copiam fecit, ut cultro anatomico fluidorumque injectione vaſcula ocularia una cum perfecta circulatione ad unguem paterent. Pro quibus à ſe exantlatis laboribus tantum abeſt, ut vituperium cujusquam incurrere debuerit, ut potius prima iſta *Hovii* conamina omni modo juvanda ac promovenda fuiſſent. Ac proinde graviter tulit *Hovius*, quod clarisſimus *Ruyſchius* ipſum graculo, alienis plumis ornato adnumeraverit; Cum longe feciſſet rectius, ſi currenti calcar addidiſſet & ad alia plura audendum animum ejus inflammaſſet.

§. DLXII.

Sicuti vero eo tempore, quo inventum hoc de motu humorum oculi circulari primum in lucem prodibat, experimenta ſua tantummodo in brutis animantibus, avibus nempe atque piſcibus inſtituerat: Ita in nova hac editione id potisſimum cordi habuit *Hovius*, ut eundem hunc motum humorum circularem in ipſis quoque hominum oculis oſtenſum palam faceret; Quem in finem materiam pro injectione tam ſubtilem praeparavit, ut non dubitaret, quin ſingula in hac materia naturae abdita arcana penitus erueret; Id quod ipſo quoque opere expertus eſt, dum minutisſima vaſcula humoris vitrei aeque ac cryſtallini provinciam formantia, caeteraque nevro-lymphatica materia iſta in totum

pervaſit,

pervasit, in iisque frigefacta constanter perstitit, sic ut mediante ea multo accuratius, quam prima vice, nova quaedam alia scitu dignissima detexerit, novisque figuris aeneis ad vivum delineatis pro majori discentium commodo illustraverit, & quidem, quod reticendum non erat, nullo exemplo aut aliorum *Auctorum* ductu.

§. DLXIII.

Ut autem, quae hoc in tractatu nova detexit Auctor, uno obtutu tanquam in tabula conspici possent, elenchum talem subministravit: Ante omnia veram fontium originem exposuit, deinde rete mirabile novum in bobus, felibus ac pennatis descripsit, porro glandulam in piscibus, ductus intra duplicaturam sclerotidis, in canibus aliisque animalibus ad circulum arteriosum ascendentes, ductus oculorum aquosos, crystallinos ac vitreos adducentes delineavit, vas binos inter oculos communicans, sympatheticum adpellavit & porulorum ê cornea prorumpentium verum ortum indicavit, ductus dehinc oculorum aquosos, crystallinos & vitreos abducentes sedulo indicavit, tandemque circulum venosum cum ductibus oculorum abducentibus & reti venoso nec non vera atque genuina vitrei ac crystallini systematis natura exhibuit.

§. DLXIV.

Calci tractatus adnexa est *Hovii* epistola apologetica in Virum clarissimum, DD. *Fridericum Ruyschium*, qui quippe in prodromo thesauri anatomici sexti Anno 1705. editi ipsi imputaverat, ac si ea, ab aliquot annis ab ipso descripta, depicta & in lucem edita pro suis divulgaverit: Verum id magnam esse injuriam interpretatur *Noster*, atque ex scriptis *Ruyschianis* ostendit, suam ante detectionem & vasa humorum ocularium

circulationi destinata vel in totum vel quoad usum, & circulationem hanc ipsam in totum latuisse *Ruyschium*: Unde infert, se ex *Ruyschianis* sua mutuatum non esse.

§. DLXV.

Laurentius Wolffstrigelius, medicus *Viennensis*, frequenter secuit foetus abortivos, sicque circa ossis cuneiformis examen deprehendit contra *Fallopium* & *Riolanum*, dictum istud os non ex quatuor partibus, verum ex tribus tantum conflatum esse, imo & primam illius partem, quam alias *sellam Sphoenoideam* vocant, in foetu perforatam observavit, sicuti ipsemet refert Obs. 76. Anni 1. Dec. 1. Eph. N.C. Anno 1670. Jungimus huic *Sebastiani Christiani à Zeidlern.* med. D. & P.P. primarii in *academia Carolo-Ferdinandea Pragensi*, quam vocat *somatotomiam anthropologicam* seu corporis humani fabricam, quae A. 1692. cum figuris lucem adspexit publicam. Neque oblivioni tradendus est *Stephani Michaëlis Spacheri pinax microcosmographicus*, *anatomiae* compendium proponens, qui A. 1645. cum figuris in folio prodiit.

§. DLXVI.

Johannes Godofredus Bergerus, Hallensis Saxo, in *Academia Wittebergensi* Professor medicinae primarius, eruditum non minus, quam eleganti stylo concinnatum scripsit tractatum de *natura humana*, in quo multa quidem anatomica, plura tamen physiologiam spectantia comprehenduntur. Argumenti autem strictius anatomici est epistola, quam ad amicum dedit de divisione arteriae äortae in ramos carotides atque subclavios: Cum enim partim falsas arteriae magnae delineationes aliorum anatomicorum, invita licet atque repugnante humani corporis structura, observasset, partim

lites

lites inter duos valde celebres Belgii foederati anatomicos, *Ruyschium* & *Bidloum*, cordi habuisset, non ingratum sese publico praestiturum officium existimavit, si adcuratiorem & autopsiae magis conformem delineationem arteriae aortae & quidem ratione ramorum ejusdem adscendentium exhiberet, id quod etiam dicta ista epistola abunde praestitit.

§. DLXVII.

Johannes Palfyn, anatomicus & chirurgus *Gandavensis*, edidit descriptionem anatomicam partium muliebrium, generationi dicatarum, una cum descriptione anatomica monstri, quam tabulis aeneis illustravit, non tam ad vivum delineatis, quam potius ex *Johannis Swammerdammii* miraculo naturae petitis. Qua occasione peculiarem descriptionem earum viarum adjunxit, quae solo in foetu reperiuntur, & per quas sanguis longe peculiarem servat circuitum, ab adultorum statu plane distinctum; Quae omnia contra *Meryum* disputavit. Praeterea *osseologiam* publici juris fecit, in qua universa ossium doctrina magna exactitudine tradita est. Inprimis vero laudem meretur *anatomia chirurgica* H. C. quae & *Belgica* & *Gallica* lingua prodiit, & cujus haec est oeconomia: In *prima* parte de partibus similaribus agitur, *secunda* viscerum abdominis, *tertia* pectoris, *quarta* capitis descriptionem sistit. In *quinta* de ossibus, in *sexta* de musculis & in *septima* de distributione & progressu vasorum tractatur.

§. DLXVIII.

Commodum hoc loco fuerit, enarrare curiosam simul atque mirabilem historiam, exhibentem foetum humanum post 21. menses ex uteri tuba, matre salva & superstite, excisum, quam in epistola ad D. *Thomam Millingtonium*, Equitem

auratum, medicum regium ordinarium & collegii medicorum Londinensium praesidem descripsit *Abrahamus Cypriani*, med. D. inque *Academia Franequerana* anat. & chir. P. P. estque sequentis tenoris: *Militis uxor tertium impraegnata lac tamen gestationis tempore in mammis nullum observavit, foetusque situm in loco justo altiori deprehendit. Novem praeterlapsis mensibus foetus se movet, ac si exitum moliatur, irrito tamen conatu atque successu. Decimo mense fluxus menstruus redit, nec ullus porro foetus motus percipitur. De dolore interim conqueritur misera acuto circa umbilicum, quem ulcus fungosum in regione umbilicali sequitur. Vigesimo primo demum à conceptione mense advocatus author, mortuum foetum à muliere gestari, reliquis licet in contrarias sententias abeuntibus medicis pariter ac chirurgis, pronunciat; Instituta itaque caesarea operatione, eum in modum sanitati restituit aegram, ut tertio mense praeterlapso domo exire potuerit, imo proximo anno post filiam, sequente gemellos, filium & filiam, fuerit enixa.* Ex qua historia id tantum deduco, foetus tubarios non solummodo possibiles esse, sed & systema generationis *Drelincourtianum* haud parum inde confirmari. Ut profecto novis, longius petitis hypothesibus in re manifesta non sit opus. Hac vero occasione multas eximias observationes, uterum, tubas & placentam concernentes attulit. Edidit praeterea *osteologiam* omnibus numeris absolutam, in qua non modo adcurata ossium descriptio continetur, sed & morbi ossium una cum eorundem curatione describuntur. Auctor quoque est *anatomiae chirurgicae* C. H. quae revera nihil aliud est, quam *compendium anatomicum*, quod sine dubio in chirurgorum gratiam conscripsit.

§. DLXIX.

Adamus Christianus Thebesius, Silesius, in dissertatione sua inaugurali, quam *Lugduni Batavorum* publice ventilandam propo-

proposuit, observationem attulit anatomicam de exitu sanguinis venosi in auriculis & corde, in quam forte fortuna incidit. Cum enim in vena cava cordi imminente & fibris carneis insigniter roborata multae ipsi foveolae apparerent, quae nil nisi oscula venularum ipsi videbantur, tum à tunicis ipsius cavae tum aliunde advenientium & in amplissimum alveum hiantium; Hinc suspicio ipsi enata est, annon forsan multa hujusmodi foramina in cordis & auricularum aditis figura illis prorsus similia eadem prorsus munia sustinerent. Quare ut certior fieret, aquam siphone in venam coronariam leniter immisit; Tum vero ventriculo dextro ac sinistro aperto vasisque discissis debite observatis (ne liquor ab illis in sinus prosiliens experimentum fallax redderet) ex foveis quam plurimis aquam copiose prodire conspexit, vasis caeteroquin & reliqua cordis substantia illaesis permanentibus. Nondum tamen experimento huic, eodem successu in cujuscunque animalis corde saepius repetito, satis fidere ausus, satius fore duxit, ut, nulla liquoris transfusione praegressa, in corde integro in ipsa vasa cultro anatomico inquireret; Quem in finem corda, ovillum bubulumque adhibuit; Ubi primo statim intuitu intra ventriculi dextri scatebras observavit, per superficiem gracilia quaedam vasa decurrere atque ex minoribus surculis in truncum abire, qui in scrobiculum quendam aperiatur. Harum orificiis cum applicaret tubum, flatus immissus promptissime omnes ramificationes distendit, atque penitius circumiens aliasque socias venulas penetrans ex perplurimis foveis, bullulis factis prorupit. Haec postmodum eadem cura in corde bubulo recens exsecto & adhuc calido indagavit; Eo quidem successu, ut venulas ejusmodi semper copiosius viderit, nec unquam cor frustra aperuerit. Idemque plane reperit in utraque auricula, imo in ipso ventriculo cordis sinistro. §. DLXX.

§. DLXX.

Ut vero omnis circa hanc *Thebesii* detectionem dubitatio tolleretur, eadem haec experimenta pari quoque ratione in corde humano succedere animadvertit; Dum scilicet flatus venae coronariae immissus, reliquis omnibus aditibus occlusis, promptissime per orificia illa in cor penetraret, illiusque ventriculos vesicae in modum expanderet. Caeterum ingenue fatetur, vasorum orificia à priori cum vasculis ipsis sanguine plenis in corde humano, sicuti in bubulo, inquirere ipsi nondum licuisse. *Quae cum ita sint*, concludit tandem Auctor, *abunde puto nobis cum veritate convenire, si asseramus, multas esse venas & inter se & cum aliis venae coronariae ramis, ad canalem communem commeantibus, copiosis anastomosibus connexas, sanguinem in auricularum sinuumque cordis foveas deducentes.* Quae licet omnia sic forte sese habeant, uti à *Nostro* per experimenta evicta sunt, non adparet tamen, quae inde utilitas vel in physiologiam vel in quamcunque aliam medicinae partem redundare possit.

§. DLXXI.

Güntherus Christophorus Schellhammerus, postquam per integrum, & quod excurrit, quadriennium in *academia Jenensi* publici medicinae Professoris munere perfunctus fuerat, evocatus est in *academiam Kiloniensem Cimbriae*, ad quam priusquam discederet, programmate quodam suis auditoribus breviter in memoriam revocabat summam suarum demonstrationum, novarumque in anatomicis detectionum, quae ad haec praecipue capita revocari possunt: Nempe in postica linguae parte foraminula, quae ocellos vocavit, septem ordine per superficiem disponi sub forma literae V; In larynge valvulas esse ab aliis non visas; Glandulas *Rivinianas*

non

non semper proprio suo ductu gaudere, sed in *Warthonianum* communem rivum, lympham fermentativam plerumque effundere; *Nuckianam* novam, quam sub oculo collocat, in homine non reperiri; *Diaphragma* in cane, neutiquam vero in homine ex duplici musculo compingi, secus quam persuadere voluit eruditis *Bartholini* nepos; *Mesenterio* non nisi *jejunum* & *ileon* connecti, neutiquam *duodenum* vel *colon*, nisi exigua sui parte; *Valvulam coli*, nihil minus esse quam valvulam, sed pendulam *ilei* ad angulum rectum *colo* inserti partem; *Coecum* in homine nil nisi *coli* adpendiculam esse, quo flatus & stercora retrograda divertunt; Quandoque sub *renibus* chyli *receptaculum* in canibus sese in conspectum dare; *Renum* structuram longe aliam esse, quam vulgo depingitur, glandularum serie proxime sub membrana posita, tubulorum vero striatorum toto ordine in ductus hiantis *ureteris* ex pelvi emissos turmatim concurrente, venasque esse papillas, & obscuras *Bellini* figuras; Digitorum pulpam glandulas globosas pellucidas occultare, & stratum coccineum sub unguibus posuisse naturam, & multa alia. Caeterum edidit dissertationem epistolicam de ortu lymphae & lymphaticorum vasorum causis. Notis quoque doctissimis illustravit *Conringii* introductionem & additamentis necessariis, scriptorum praecipuorum serie ad nostra usque tempora continuata, auxit atque locupletavit.

§. DLXXII.

Nec silentio praetermittendus est tractatus *anatomico-physicus* ejusdem *Schellhammeri*, quem *de auditu* conscripsit. Missis physicis contemplationibus, ad rem nostram parum facientibus; ex parte tantum prima, qua organon auditus describitur, ea repetimus, quae scopo nostro anatomico serviunt. In genere observandum est, *Auctorem*, quo felicius

auditus organon deſcribere poſſet, variorum non modo brutorum, ſed & ipſorum quoque hominum oſſa temporalia diffracta contemplatum eſſe, atque, ut differrent ſtructurae variae, adnotaſſe & adjectis iconibus illuſtraſſe. Hinc igitur, quid in aure externa notatu dignum occurrat, *capite primo* diſcusſit; Progreſſus hinc eſt *capite ſecundo* ad deſcriptionem auris internae, ubi conſiderato eo, quod inter utramque intermedium eſt, meatu nempe auditorio, quem membrana, inepte vulgo tympanum, rectius meninx, dicta claudit, agit de chorda, quam quidem per medium ejus decurrere credunt anatomici, in plerisque tamen animalibus non reperiri, nec in ipſo quoque homine ſeſe obſervaſſe adſerit *Noſter*; Qui tamen interea *Euſtachio* adſentitur, novisſimum ſcriptorem Gallum *l' Amy* erraſſe judicanti, qui tendinem eſſe chordam hanc muſculi cujusdam perhibuit. Hinc *capite tertio* ad internam auris ſtructuram, in qua quippe praecipuum auditus inſtrumentum latet, tranſitum facit, cujus primam partem, nempe concham pro generis aeque ac aetatis diverſitate in nonnullis animalibus admodum variare obſervat. Tendinem externi muſculi, quem proceſſui mallei inſertum putavit *Coecilius Folius*, auctor ſemper forti ſed laxo ligamento petroſo osſi connexum deprehendit: Hoc ligamentum à *L' Amy* male habitum pro muſculo; Externum muſculum perperam neglectum à *Williſio*; *Riolanum* vero de muſculis auris prorſus ineptiiſſe. Praeterea monet cavere errorem *Riolani* & *Bartholini* in *anatomia reformata*, aquaeductum *Fallopianum* cum canali, qui ex auribus in poſtremum palati ſpatium excurrit, confundentium. Expoſito *capite quinto* oſſe petroſo cum iis, quae continet, notat *Aquapendentis*, *Caſſerii* & *L' Amy* lapſus, imaginem oſſis petroſi à *Folio* delineatam infidam eſſe ſuſpicatur, tandemque aquaeductum *Fallopii*, ut in homine vere

vere se habet, describit. Reliqua, quae physici potius argumenti sunt, lubens praetermitto.

§. DLXXIII.

Johannes Daniel Major, P. P. in *Academia Kiloniensi Holsatiae* fuit, ediditque historiam *anatomiae Kiloniensis*, nec non consilium breve de concipienda anatome suppeditavit.

§. DLXXIV.

Daniel Bucretius, alias Rindfleisch / *Wratislaviensis*, scripsit supplementum tabularum anatomicarum *Julii Casserii*, Placentini, quod cum *Adriani Spigelii* operibus exstat, cujus ejusdem *Spigelii* opus de humani corporis fabrica libris X. tabulis 98. aeri incisis, exornatum jussu auctoris quoque edidit.

§. DLXXV.

Conradus Victor Schneiderus, medicinae in *Academia Wittebergensi* P. P. scripsit prolixum tractatum de partibus, quas vocant, principalioribus, capite, corde, hepate, cum observationibus ad anatomiam pertinentibus. Edidit quoque varias disputationes, osteologiam concernentes, de ossibus sincipitis, de osse occipitis, de ossibus temporum, de osse cribriformi & hac occasione de catarrhis tractatum admodum prolixum.

§. DLXXVI.

Johannes Conradus Brunnerus, M. D. diversorum Principum, praecipue Electoris Palatini archiater, à quo etiam ante complures jam annos, cum Vicariatui S. R. J. praeesset, Baronis dignitate exornatus est, ad Illustrem societatem N. C. transmisit observationem, in qua novarum glandularum intestinalium descriptio continetur, quae in principio duodeni, tunicam ventriculi intimam à subjecta nervea separanti occurrunt, lentis

primum magnitudine, dehinc miliares & ſucceſſive minores, donec ad eam demum exiguitatem deveniant, ut viſum pene ſubterfugiant. Haſce glandulas à nuper inventis differre dicit frequentia, & totum internum ambitum inteſtinorum obſidere, ut tota interior inteſtinorum tunica veluti nil niſi congeries minutiſſimarum glandularum eſſe videatur, unde humor inteſtinalis ubertim exſtillat & in cavum inteſtinorum depluit. Edidit quoque experimenta nova circa pancreas, quibus acceſſit diatribe de lympha & genuino pancreatis uſu: Cum enim celeberrimus Vir obſervaſſet, pancreas à *Graeſio*, *Sylvio* aliisque majori in dignitate, quam ſuperioribus ſeculis factum fuerat, conſtitui, nobilioremque viſceri uſum, nempe laticis cujusdam ad vitam ſumme neceſſarii ſecretorium vindicari: Hinc illorum hypotheſin per experimenta, in pluribus canibus vivis adornata coepit examinare, idque ſequentem fere in modum: Poſtquam pancreas, ligatura decenti inſtituta, extraxit, vel hujus ductus tantum reſecuit, ut commercium hujus viſceris cum inteſtino duodeno interciperetur, obſervavit, animal utplurimum ſoſpes & incolume manſiſſe, commodeque poſt conſolidatum abdominis vulnus edere, bibere, egerere, uno verbo, functiones vitales rite obire potuiſſe, imo, in diſſectis poſt mortem omnia viſcera ſecundum naturam conſtituta fuiſſe. Et quanquam ex hoc experimento forſitan occaſionem quis deſumere poſſet, veterum ſententiae adſtipulandi: Huic tamen dubio obviam procedit *Brunnerus*, dicendo, ideo, reſciſſo licet pancreate omnes naturales actiones rite procedere, quia ad alia filtra glanduloſa tunc temporis idem ſuccus copioſius redundans, in his uſum pancreatis, chylo crudiori praeſtandum, reſtitueret. Caeterum genuinum pancreatis uſum eum ſuſpicatur *Noſter*, ut ſuccus ejus chylificationem, in ventriculo inchoatam, cum

cum glandularum inteſtinalium latice, continuet, ciborum particulas exagitatas irretiat ſimulque bilis acrimoniam temperet, neutiquam vero, quae *Graefii*, *Sylvii* aliorumque eſt ſententia, cum eadem efferveſcat. Qua occaſione in puero ductum pancreaticum atque choledochum (praeter conſuetum alias in homine naturae ordinem) diverſis & transverſi fere digiti diſtantia, in duodenum oſculis inſertos, mediante nihilominus canali quodam transverſo communicantes ſe vidiſſe refert. Denique humorem pancreaticum non acidum, ut alii crediderunt, ſed inſipidum fere aut ſubſalſum obſervavit.

§. DLXXVII.

Verum ad deſcriptionem glandularum inteſtinalium *Brunnerianam* revertendum mihi eſt, quam ante aliquot jam luſtra, occaſione ſectionum quarundam Heidelbergae à ſe inſtitutarum notam fecerat *Brunnerus a Brunn*, quo tempore in perantiqua iſta Univerſitate amplisſimo Profeſſoris anatomiae munere perfungebatur. Cum vero pro officii iſtius ratione *diſputatione* tantum *academica* glandulas iſtas in inteſtino duodeno latentes publico inſinuaſſet, eaque jam dudum deſiderari coepiſſet: Commotus inde fuit, ut anno 1715. peculiari tractatu deſcriberet denuo *glandulas duodeni ſeu pancreas ſecundarium in inteſtino duodeno primum hominis, abhinc in aliis quoque animalibus detectum, una cum paralipomenis aliis per cruſtam inteſtinorum inventis*; Cui glandularum deſcriptioni etiam hac editione diſſertatio de *glandula pituitaria* acceſſit.

§. DLXXVIII.

Occaſionem invento, ut ipſemet in *prooemio* commemorat, ſubminiſtravit Illuſtrisſimus Comes *a Stabrenberg*, cardialgia periodica laborans, in cujus gravisſimae afflictionis

caufam diligenter inquirens, hoc modo in inventum fuum incidit: *Ventriculum* nempe *humanum in aquam fervidam immersit inverfum, tantifper dum corrugari coepit. Abhinc tunicam rugofam a fubjecta nervea caute & fufpenfa manu feparavit ad pylorum usque; Quem fupergreffus in novum plane, ipfi ante nunquam vifum glandularum genus incidit, quas denfa congerie coagmentatas ad implantationem pori choledochi usque cum repererit*, pancreas fecundarium *ob ufus*, quos in deductione ipfa allegavit, *appellare nullus dubitavit.*

§. DLXXIX.

Difpofitio operis haec eft: Praemittitur nempe defcriptio glandularum duodeni feu *pancreatis fecundarii* anatomica, ubi primum de inteftino duodeno agitur, quam demonftratio glandularum duodeni in variis animalibus, equo, caftore, cervis, bove, ovibus, porcis, cane aliisque excipit una cum commentario in pancreas fecundarium, in quo diverfis in capitibus differitur primum de glandularum inteftinalium differentia, deinde difquiritur, utrum glandulae hactenus defcriptae percolationis chyli, an fecretionis liquoris gaftrici organa fint? Porro vero de percolationis chyli organo una cum examine microfcopico villorum inteftinalium tractatio inftituitur, & in laticis, quem glandulae duodeni fundunt, fcaturiginem per varias obfervationes & experimenta inquiritur, fimulque, quafi aliud agendo, de fpiritibus agitur. Secundum haec difputatur, quomodo liquor gaftricus ingefta digerat & in chylum convertat? Utrum duplicis generis glandulae inteftinales, de quibus fuperius actum eft, fimilem, an vero diverfum humorem praebeant? Denique de ufu & officio pancreatis fecundarii & de affectionibus glandularum duodeni aliarumque praeternaturalibus difceptatur, variisque obfervationibus practicis univerfum negotium illuftratur.

§. DLXXX.

§. DLXXX.

Adnexa dissertatio anatomica de *glandula pituitaria*, quae jam olim Heidelbergae A. 1688. publico examini à *Nostro* exposita, deinde auctoris jussu ob exemplarium defectum typis denuo exscripta est. Considerans enim cel. vir glandulae hujus structuram atque excellentiam, dignam judicavit eandem, quam singulari commentario illustraret; Ac proinde *capito primo* observationes quasdam anatomicas circa glandulam pituitariam ejusque descriptionem praemisit, deinde *capite secundo*, utrum ex globosarum an conglomeratarum familia sit eadem, disquisivit; *Capite tertio* de aquae in ventriculis cerebri collectae scaturigine disputavit; *Quarto* probavit, lympham cerebri non per processus mammillares, sed per glandulam pituitariam amandari; Hancque suam sententiam *capite quinto* phaenomenis quibusdam seu observationibus anatomicis circa eandem illam glandulam institutis confirmavit, &, postquam pauca adhuc de vasis glandulae pituitariae excretoriis, &, quorsum percolatus humor derivetur, disseruit, universam hanc theoriam praxi confirmavit.

§. DLXXXI.

Denique editioni *Amstelaedamensi*, quae a. 1683. lucem vidit, adnexum est *Joh. Conradi Peyeri* schediasma de pancreate & ejus usu, ad *Johannem Conradum Brunnerum*, hujusque responsum ad *Peyeri* schediasma.

§. DLXXXII.

Paulus Barbette majorem quidem famam praxi chirurgica sibi adquisivit, interim tamen, cum probe sciret, quam arcto nexu chirurgia cum anatomia esset conjuncta, chirurgiae suae etiam subjunxit Libros V. anatomiae practicae, in quorum

quorum *primo* agit de partibus in genere, in *secundo* de capite, in *tertio* de thorace, in *quarto* de infimo ventre & in *quinto* de artubus.

§. DLXXXIII.

Johannes Georgius Volckamerus, medicus celebris *Norimbergensis* & collegii N. C. praeses gravissimus, edidit collegium anatomicum ex clarissimis triumviris concinnatum, nempe ex *Julii Jasolini & Locri* quaestionibus anatomicis, nec non *Marco Aurelio Severino*, & *Bartholomaeo Cabrolio.*

§. DLXXXIV.

Ante complures jam annos viventium coetu exemptum esse Clar. *Verheyenium*, graviter dolemus. Fuit *Philippus Verheyen* in *Academia Brabantiae Lovaniensi* anatomiae & chirurgiae professor regius longe celeberrimus. Natus est anno 1648. in pago *Waas*, ad parochiam de *Varbrock* pertinente. Parens ejus fuit *Thomas Verheyen*, agricola. Jactis solidis fundamentis in studio tam literarum humaniorum quam ipsius philosophiae, in *Academia Lovaniensi* illud ita perfecit, ut supremos in philosophia honores obtinere cum laude valuerit. Et quamvis SS. Theologiae sese adplicare apud animum suum constituisset, amissa tamen ex sphacelo tibia, toto potius pectore arti medicae incubuit, in qua etiam tam laudabiles fecit progressus, ut in eadem *Lovaniensi Universitate* tam anatomica quam chirurgica professione cum summo omnium adplausu exornaretur. Anno 1711. febre acuta correptus eademque extinctus est. Edidit anatomiam C. H. in qua omnium tam veterum quam recentiorum anatomicorum inventa methodo nova & intellectu facillima describuntur ac tabulis aeneis repraesentantur. In *secundo* vero *libro*, quem jam dudum promiserat, nuperrime vero demum in lucem publicam emitti curavit,

curavit, partium ſolidarum, *primo libro* deſcriptarum, uſum atque miniſteria explicuit. Scripſit etiam animadverſiones in anatomiam *Blancardianam* & obiter in quasdam alias, in quibus errores *Blancardi* anatomicos vehementer, ſicuti meruerat, perſtrinxit, & plagii crimen, quod partim in ipſius textus emendicatione, partim vero in ipſarum figurarum ex aliis auctoribus imprudente translatione commiſit, ſole clarius manifeſtavit. Accesſit dictis animadverſionibus epiſtola ad Virum Clariſſ. Dn. *Fredericum Ruyſchium*, in qua varia proponuntur dubia, nonnulla ipſius nova inventa concernentia.

§. DLXXXV.

Atque de hac *anatomia Verbeyana* hucusque creditum eſt, nullam ſcholarum uſibus eſſe adcommodatiorem, nullam quoque adcuratiorem & ab erroribus magis immunem. Verum hanc palmam eidem nuper dubiam reddidit *Laurentii Heiſteri compendium anatomicum*, quo univerſam *rem anatomicam* brevisſime complexus eſt. Adnotavit ille in ipſa ſtatim praefatione, in *anatomia Verbeyana* non ſolummodo multos adhuc errores contineri, quos recentiores correxerunt, verum etiam inventa nova quam plurima in ea deficere, & quidem non eorum tantum *Autorum*, qui poſt ipſum ſcripſerant, ſed illorum quoque, qui ante ipſum, vel ſaltem ante ultimam editionem hujus anatomiae (quae 1710. Bruxellis denuo prodiit) jam proſtabant & in hominum manibus erant.

§. DLXXXVI.

Huic vero tam gravi imputationi ut fidem faciat praelaudatus *Auctor*, quanquam interea honori atque exiſtimationi clariſſ. *Verbeyenii* nihil cupiat eſſe detractum, allegat primum, ſcriptores Anglos (forte ob linguae anglicae imperitiam)

ab eo lectos non esse, quod assertum suum probat inductione scriptorum *Guilielmi Cowperi*, quae incognita penitus fuisse *Verheyenio* inde probat *Heisterus*, quod eorundem partim nullibi mentionem fecerit, partim quod glandulas *Cowperianas* juxta urethram sitas sese ignorare, ipsemet palam profiteatur, partim denique, quod ex *Morgagnio* de usu foraminulorum in urethra virili aliquid referat, quod tamen non solummodo ex peculiari scripto & quidem latino, A. 1702. Londini impresso constare, sed etiam postea in *Actis Lipsiensibus*, *Ephemeridibus Gallorum*, *historia academiae regiae scientiarum*, ex *Keilii* anatome anglica, *Drakii* anthropologia & *Hornii* microcosmo, cum notis DD. *Pauli* Lipsiae edito abunde legi potuisset. Praeterea coarguit eundem, quod varios quoque musculos novos, quos in *myotomia* sua reformata descripserat *Cowperus*, una cum multis aliis inventis curiosis, quae tam in magno ejus opere anatomico adlata, quam in *Actis Lipsiensibus*, *Keilio*, *Drakio*, *Pauli* & alibi descripta fuerant, omiserit; Imo, quod nihil quicquam ex actis philosophicis Anglicanis aut ex historia academiae regiae scientiarum, neque ex ephemeridibus N. C. neque e diario Parisiensi aut actis eruditorum Lipsiensibus retulerit. Id vero tanto adhuc manifestius inde comprobare contendit *Heisterus*, quod observationum *Gagliardi*, Itali, & *Haveri*, Angli, circa ossa & glandulas mucilaginosas, cum orbe erudito dudum communicatarum, ne verbulo quidem meminisset, quod etiam curiosas observationes *Bonclari* & *Lealis Lealis* circa testes omiserit & musculos transversales, à *Bidloo*, *Cowpero*, *Littrio* aliisque descriptos non commemoraverit, imo nec *Duvernei* librum de organo auditus, adeo tamen tritum & notum viderit vel legerit, quod inde, ait, patere, quia ejus non solum non mentionem facit, sed & figuras, quas *Blancardus* sine auctoris mentione, ut facere solitus est,

in anatomiam suam transtulerat, pro figuris *Blancardianis* venditavit, quae tamen *Duverneo* adscribendae erant: Imo, quod silentio omnino praeterierit *Antonii Mariae Valsalvae* tractatum de aure humana, qui tamen liber in *actis Lipsiensibus*, aliisque *diariis* jam dudum fuerat recensitus.

§. DLXXXVII.

Nec in hisce acquiescit *Heisterus*, sed *Verheyenium* conculpare pergit, quod corpus reticulare *Malpighii* in lingua, dudum ab illo descriptum, & facile insuper detegendum, omiserit; Quod observationum *Terranei* de glandulis, praecipue urethrae, nullam fecerit mentionem; Quod pulcherrimas *Swammerdamii* figuras de utero nullo numero habuerit; Quod de anatomia membri virilis, quam *Cowperus* & *Drakius* elegantibus figuris illustratam dederunt, altum apud *Verheyenum* sit silentium; Quod elegantem *Ridlei* tractatum de cerebro, jam A. 1695. editum & pulcherrimis observationibus, experimentis & figuris illustratum non viderit; Quod, quae *Glissonius* & *Bohnius* de ductibus *hepatico-cysticis* cum publico communicaverant, ignoraverit, aut, si quid illi de istis ductibus ex praedictis auctoribus innotuerit, mala fide, dum illos silet, pro suis inventis venditare videatur; Quod non minus *vasa nova palpebrarum Meybomii*, in peculiari epistola evulgata, atque à *Bartholino*, *Blasio* & *Johanne Mauritio Hoffmanno* aliisque repetita, praetermiserit; Quod inventores ductus salivalis glandulae sublingualis, *Rivinum* & *Bartholinum* siluerit & *Mauritium Hoffmannum*, primum *ductus Pancreatici* detectorem fuisse, reticuerit; Nec legerit, quae *Littrius* de glandula nova urethrae in publicum dedit; Nec de hiatu seu foraminulo, quod primum *Rivinus* ac deinde *Munnicks*, *Valsalva* & *Drakius* in membrana tympani statuerunt, & per quod nonnulli fumum ore

 attractum

attractum per aures emittunt, quicquam locutus fuerit; Quod *Pacchioni* obſervationes de dura matre nec non de glandulis conglobatis durae matris pariter omiſerit, ſicut & ſinus inferiores durae matris, quos partim *Vieuſſenius* & *Ortlobius*, partim *Ridleus* delineaverant & deſcripſerant; Quod nihil quoque de iis vaſis, quae *Thebeſius* in interiore cordis ſuperficie detexerat, retulerit, quanquam & *acta Lipſienſia* de illis loquantur & figuras exhibeant; Quod *Briggium* de oculo, & quae *Hovius* de motu humorum ocularium publicaverat, ſilentio preſſerit; Quorum tamen omnium mentionem eadem *acta Lipſienſia* fecerint; Quod pleraſque detectiones & inventa curioſa *Ruyſchiana* ſicco pede tranſierit; Quod de glandulis inteſtinorum à *Peyero* detectis nihil monuerit; Quod itidem, quae *Noveſius* de veſiculis ſeminalibus mulierum, de nervo auditorio aliiſque rebus anatomicis curioſa tradiderat, minus perſpecta habuerit; Quod, licet nevrographia & novum vaſorum ſyſtema *Vieuſſenii* plane incognitum *Noſtro* non fuiſſe videatur, pauca tamen inde ſuos in uſus tranſtulerit; Quod denique cogitata *Nabothi* de novo ovario mulierum circa cervicem uteri, ut ille exiſtimat, reperto, ignoraverit, quanquam forte levioris momenti aliis videri poſſet, id tanto anatomico vitio vertere, quod ſine eximio rei anatomicae diſpendio ignorare poterat, & quod non inveniſſe, quam inveniſſe, praeſtabat, quia inter chymaeras non poſtremum ſibi locum vindicat.

§. DLXXXVIII.

Atque hoc modo probavit *Heiſterus*, *Verbeyenum* noſtrum varia non modo ſcripta ſed & inventa anatomica recentiorum profunde ignoraſſe, quae viro profeſſori ſua in arte merito cognita atque perſpecta eſſe debebant. Verum longe gravior eſt altera imputatio, quod etiam in *anatomiam Verbeyanam* non

pauci

pauci errores irrepſerint variique alii defectus obſerventur, quos tamen evitare facile potuiſſet. Defectus eſt, ſecundum *Heiſteri* animadverſionem, quod truncum corporis humani in tres tantum partes, caput, thoracem & abdomen diviſerit, omiſſo collo; Defectus eſt, quod dextrum ventriculi orificium ſiniſtro altitudine aequale eſſe, & ſcribat & figuris delineet, cum autopſia dudum docuerit, dextrum ſiniſtro eſſe inferius. Sic & valvulam pylori ſuis in figuris male omiſiſſe & hunc tanquam circulum fibroſum concepiſſe arguitur, cum tamen valvulam plerumque ſatis inſignem exhibeat. Accedit, quod nec pylorus ſitum obtineat horizontalem, ſicuti à *Verbeyeno* delineatur, ſed obliquum, id quod ex figuris *Heiſterianis*, ad quas lector ablegatur, patere poteſt. Defectus porro eſt, quod *valvulam coli*, quam *Bianchus* prorſus negat, ad ingreſſum ilei in inteſtina craſſa, *rotundam* delineet, & circuli in modum huic orificio eſſe circumductam ſtatuat, cum tamen in inflato & exſiccato inteſtino non *rotunda*, ſed longitudinalis & admodum ſingularis appareat, ex duabus membranis quaſi ſemilunaribus, e regione poſitis, compoſita; Quod praeterea valvulas *Kerkringii* conniventes inteſtinorum ex *Bartholino* recenſuerit, unde iterum ſuſpicatur *Heiſterus*, *Kerckringium* ipſum à *Verbeyeno* lectum non eſſe; Quod muſculos colli & male delineaverit & deſcripſerit, quorum tamen longe melior delineatio ex *Cowpero* peti potuiſſet; Quod lieni duplicem tunicam & cellulas adſcripſerit, qualis tamen texturae ratio in homine non reperiatur, & jam à *Ruyſchio* ſatis refutata ſit. Reprehenditur quoque in eo, quod impoſſibile eſſe putet, *per unum eundemque ductum cyſticum bilem in cyſtidem felleam influere & rurſus effluere inde poſſe:* Cum tamen nullum adſit obſtaculum, nec repugnet analogia in veſiculis ſeminalibus, ubi per unum eundemque ductum ſemen in has veſiculas

influit, & excretionis tempore rursus effluit; Quod insuper *ductum cysticum* delineaverit *rectum*, qui juxta demonstrationes *Ruyschianas* potius *serpentino ductu* inflectatur; Quod neglexerit indicare, sphincterem adesse in vesicula fellea, cum tamen flatus immissus ab ea ita coërceatur, sicut in vesica urinaria, ne sponte erumpat; Quod male omiserit, ureterum structuram tribus ex membranis compositam esse, & quod capsulas atrabilarias inter renes, venam cavam & aörtam sitas esse perverse & indicaverit & delineaverit, cum tamen *Eustackius* dudum observaverit ac delineaverit, ipsi renum superiori & interiori parti easdem incumbere.

§. DLXXXIX.

Praeter haec multa alia allegat *Heisterus*, in quibus majorem in *Verbeyeno* dexteritatem & industriam merito desiderat. Talia sunt: Quod prostatas duo corpora globosa perhibuerit, cum unicum tantum sint; Quod *substantiam urethrae cavernosam* circa glandem penis quasi obliterari asseveraverit, cum tamen ibi magis expandatur, &, ut *Ruyschius* demonstravit, totam fere glandem constituat; Quod glandem penis, quasi ex duobus corporibus spongiosis componeretur, male descripserit, eo non obstante, quod *Ruyschius* & *Littrius* accuratiores dederint descriptiones; Quod duo tantum musculorum penis & urethrae paria numeraverit *Verbeyenus*, cum tria dudum nota atque descripta fuerint; Quibus *Littrius* quartum *azygon*, *rectum* appellatum, addiderit, qui nempe musculus ab ano oriatur & bulbi urethrae parti posteriori inseratur; Quod arterias cordis coronarias sub valvulis aörtae semilunaribus oriri tradiderit, quae tamen supra eas oriantur; Quod *glandulam thyroideam* ab utraque arteriae asperae parte dependere, & haud inepte duas dici perhibuerit *Verbeyenus*,

cum

cum tamen *Morgagnius*, eam male pro duabus à multis haberi, recte monuerit, quae quippe & unica ſit & creſcentis lunae figuram obtineat, cujus cornua ſurſum, non deorſum, ut *Verheyeno* placuit, ſpectent. Quod *arteriae bronchialis ejusque distributionis* inventorem, *Ruyſchium* ſiluerit, cujus tamen verbis eandem deſcribat, haud obſcuro teſtimonio, quod ex illius ſcriptis perſpicuam ejus deſcriptionem mutuatus fuerit; Quod *glandularum bronchialium* neminem ante ſe mentionem feciſſe exiſtimaverit *Verheyenus*, cum tamen *Bartbolinus* eas deſcripſerit, & primam inventionem *Borrichio* tribuerit, imo ab *Hornio* eas jam demonſtratas eſſe, *Schraderus* affirmaverit; Quod vaſorum *oeſophagi* enarrationem ac delineationem male quoque omiſerit; Quod, *ſinus durae matris cum venis externis cranii* variis in locis *communicare*, nullibi indicaverit; Quod locum in cranio, quem *torcular Herophili* vocant, nullibi monſtraverit; Quod par quintum nervorum in duos tantum ramos in cranio dividi dixerit, quod tamen tres magnos in ramos dividitur; Quod à pari ſexto nervos ad linguam abire ſcripſerit, quod tamen experientiae non reſpondeat, cum praeter fibrillam, quam hoc par glandulae pituitariae communicat, omne, quod à conſtitutione nervi intercoſtalis reliquum eſt, ad muſculum oculi abducentem abeat. Quod de pari nervorum decimo haud perſpicue fuerit locutus, dicendo, illud infra primam vertebram colli egredi; Quo proinde intuitu, judice *Heiſtero*, cum ab initio ſpinalis medullae oriatur, rectius colli quam cerebri nervis annumeraretur, & ſic rectius novem tantum cerebri nervorum paria ſtatuerentur; Quod ſubſtantiam cerebri corticalem glanduloſam eſſe, aliorum fide ſuffultus, adſeruerit, quae tamen nullibi reperiatur; Quod *glandulae pituitariae* deſcriptionem, uti & *medullae ſpinalis tegumenta exteriora* penitus omiſerit; Quod muſculum ſubcuta-

neum, quem *Galenus* platyſma myodes appellat, à *panniculo carnoſo* difficulter avelli dixerit, cum tamen nullus talis in homine detur; Quod etiam *buccinatorem*, *digaſtricum* aliosque labiorum muſculos male deſcripſerit; Quod *muſculum* orbicularem palpebrarum pro duobus venditaverit, cum revera unicus tantum circularis obſervetur. Quod de fibris muſcularibus uveae, quae pupillam dilatant & conſtringunt, aut nihil aut male dixerit; Quod, tunicam corneam ſupra reliquum oculi globum eminere, non commemoraverit; Quod tunica humoris cryſtallini ipſi dubia videatur, quae tamen facillime demonſtrari queat; Quod nervos oculi pesſime & prorſus erronee deſcripſerit; Quod etiam ſtructuram auris adcurate non tradiderit, quia *Duverneum*, *Schellhammerum* & *Valſalvam* non videtur conſuluiſſe; Quod glandulas ſebaceas *Valſabvae* non indicaverit, nec reticulum ab hoc deſcriptum, cui dictae glandulae inhaerent, commemoraverit, Quod membranae tympani convexitatem & duplicaturam non deſcripſerit; Quod membranae in foetu tympanum tegentis *Ruyſchii* & chordae tympani nullam fecerit mentionem; Quod muſculos mallei & ſtapedis non delineaverit, & ductum ſive tubam *Euſtachii* appellaverit aquaeductum, cum tamen aquaeductus *Fallopii* longe alius ſit ductus, ut *Schellhammerus* & poſtea *Valſalva* jam dudum demonſtrarunt; Quod *cochleam* & *labyrinthum* male deſcripſerit, & de veſtibulo, lamina ſpirali, ſcalis cochleae, Zonis ſonoris, portionis durae nervi auditorii diſtributione & nervis vertebralibus ad aurem abeuntibus nihil locutus fuerit. Unde *Heiſterus* infert, *Verheyenum* internam auris ſtructuram non ſatis intellexiſſe; Quod linguae ſex paria muſculorum attribuerit, quorum meliorem deſcriptionem ex *Cowpero* petere potuiſſet; Quod nec papillas linguae accurate deſcripſerit, nec vaſorum ſanguiferorum nervorumque

linguae

linguae ibi, ubi decebat, mentionem fecerit, nec de frenulo, nec de gingivis aut unguibus vel verbulum protulerit; Quod ductum *Warthoni* salivalem desinere perhibuerit in interiora oris, prope dentes posteriores, cum tamen prope dentes anteriores incisores, juxta frenulum linguae in os hiet; Unde suspicatur *Heisterus*, hunc ductum *Verheyenum* nunquam cognovisse; Quod ductum glandularum sublingualium male descripserit, nullamque neque *Rivini*, neque *Bartholini* tanquam inventorum horum ductuum mentionem fecerit; Quod musculorum uvulae duo tantum paria eaque male & sine nominibus descripserit. Multas alias, quas adhuc in ossibus, musculis, arteriis, venis & nervis notare potuisset sive omissiones sive hallucinationes, *Heisterus* silentio praetermittit, plures forte, occasione data, errores in *anatomia Verheyana* occurrentes notaturus.

§. DXC.

Ex quibus tamen omnibus nemini integrum esto, colligere, quasi *Heisterus* in errores & defectus *Verheyeni* ideo animadverterit, ut eum publico prostitueret, vel honori atque existimationi eximii viri aliquid detractum vellet; Ipsemet enim lubens agnoscit, multa bona *Verheyenum* praestitisse atque de re anatomica eximie meritum esse: Verum potius, ut novum rerum in anatome cognitarum indicem publico exhiberet, ne in cognitis diutius, quam par erat, sese detinerent, in incognitis vero tanto melius progrederentur.

§. DXCI.

Franciscum Zypaeum, in alma *Universitate Lovaniensi* medicinae L. & anatomiae tam sine quam cum sanguinis effusione, ad normam *magni Bilsii*, professorem, retulimus equidem

ſuo loco, inter ſcriptores nempe, qui hanc artis partem *Inſtitutiones medicas* illuſtrarunt; Id quod tamen non impedit, quo minus ejusdem hic quoque mentionem faciamus, qui quippe fundamenta totius medicinae *anatomiae* ſuperſtruxiſſe videri voluit. Hac vice id ſolummodo noſtros in uſus convertimus, quod, ramos quosdam lactiferos ex ductu thoracico ad mammas tendere, autopſia confirmare contendat. Expoſiturus enim naturam & productionem lactis, concedit quidem, materiam illius ſeu chylum per arterias ad mammas adduci poſſe, ductui tamen thoracico hincque ad mammas derivatis ſurculis idem munus referendum eſſe, per autopſiam evincere ſatagit, qua in caniculis lactantibus ramos lacteos ex cyſterna lumbari ac ductu thoracico ad mammas diſtribui, aliquando advertit, illo ſcil. modo, quem pro inviſibilibus alias lacteorum & lymphaticorum ramulis perveſtigandis ſibi peculiarem, ex admirandis M. *Bilſii* ſecretis, in ſola *Lovanienſi Univerſitate* aſſervatis, & à ſerenisſimo *Parmarum* Principe, Flandriae atque Brabantiae tunc temporis Gubernatore ſibi concesſis, posſideat. At vero, licet nulli quidem experientiam ſuam dubiam reddere allubeſcat, novimus tamen, in eadem quoque ſententia fuiſſe quondam *Bartholinum*, qui tamen, re penitius explorata, ſuam deinde ſententiam mutavit atque publice revocavit.

§. DXCII.

Stephanus Blantardus, uti in plerisque reliquis ſuis ſcriptis egregium egit compilatorem, eoque ipſo (in linguam praecipue vernaculam omnia vertendo) rei medicae ſummopere nocuit, pesſimis quibusvis ardelionibus ad abuſum artis nobilisſimae viam ſternendo; Ita in anatomia ſua *reformata* ſeu concinna (inconcinnam ac *deformatam* rectius dixeris) corporis humani diſſectione, ejusmodi plagii vix excuſandi

reum

reum ſeſe fecit; Adeo ut, ſi ſua quisque repeteret, parum vel nihil remanſurum, jure metuendum foret. Graviter ea de re conqueſtus eſt *Verbeyen*, qui ſexaginta & novem figurarum jacturam fecit, ſemel tantum facta ipſius nominis mentione. Alias ex *Williſio*, D. *Bourdone*, plurimiſque aliis mutuatas, in opus ſuum promiſcue tranſtulit, & pro ſuis venditavit, tantopere adhuc mutilatas & inverſas, ut, ſi egregii illi viri adhuc viverent, nunquam pro ſuis amplius agnituri forent: Ut adeo rectius *deformatam* quam *reformatam* ejus anatomiam adpellare liceret. Ut vero multa paucis verbis includam, quid de anatomia *Blancardiana* ſentiendum, adpono judicium D. *Verbeyenii*, quod in animadverſionibus ad anatomiam *Blancardianam* ſic legitur: Nempe & *textum & figuras, omnia ex aliis auctoribus deſumpta eſſe; Blancardum bona a malis, veraque a falſis discernere non potuiſſe; Omnia ſine diſcrimine ac ſine delectu in libros ſuos transtuliſſe.*

§. DXCIII.

Notandum tamen eſt, in altera nova editione, quae anno 1695. Lugduni Batavorum prodiit, non modo quoad textum, ſed & potisſimum quoad figuras multa emendaſſe, haud pauca recens inventa novasque tabulas *Blancardum* noſtrum addidiſſe. Acceſſerunt quoque duo integra capita, alterum de glandulis conglobatis & conglomeratis vaſisque lymphaticis ex *Nuckio*, alterum vero de glandularum conglobatarum ſtructura ex *Malpighio*, una cum appendice, *Harderi* glandulam lacrymalem novam atque oculi anatomen ex epiſtola *Guenelloni* comprehendente. Majorem vero laudem meretur ejusdam anatomia practica rationalis, quae eſt variorum cadaverum morbis denatorum, inſpectio anatomica; Hujus enim utilitatem in genere Jatrophilis jam ſuperius commendavimus.

§. DXCIV.

Johannes Munnicks, *Diemerbroeckii* in professione anatomica successor in *Academia Ultrajectina*, ad contexendum opusculum suum *de re anatomica*, omnes, sicuti ipsemet in praefatione testatur, quotquot exstant, commentarios anatomicorum evolvit, consuluit atque inter sese comparavit, ut, quod utile & veritati consentaneum videbatur, inde decerperet atque colligeret. Tantam tamen artis hujus scriptoribus fidem non adhibuit, quantam fidelibus oculis, cum longe melius αὐτοψίᾳ comparetur anatome, quam longa lectione ac profunda meditatione. Quidquid itaque solidi habet anatomia recentiorum, in hoc libro tanquam in compendio comprehensum deprehendetur, ut eodem modo, sicuti microcosmus *Johannis van Horne*, professoribus artis pro norma anatomiam docendi inservire queat.

§. DXCV.

Haud vulgarem quoque tum *secando* tum *operando* peritiam atque dexteritatem sibi comparaverat *Johannes Jacobus Rau*, professor anatomiae ac chirurgiae, cum viveret, in *Academia Lugduna-Batava*. Ante complures jam annos controversiam habuit cum *Friderico Ruyschio*, anatomico *Amstelodamensium* longe celeberrimo, inventores septi scroti concernentem. Scripserat nempe D. *Rau* epistolam ad D. *Ruyschium* de inventoribus septi scroti, quam hic censoria notavit virgula, monendo, quod privati in ea sermones divulgentur, atque authores tantum nominentur, de septo scroti verba facientes, nequaquam vero, quod in quaestionem venit, clare demonstretur, utrum nempe cognoverint atque descripserint citati *auctores*, exstare septum illud, utrum vero cognoverint & descripserint *veram septi illius constitutionem*, & metho-

methodum eam constitutionem accurate demonstrandi atque delineandi? Cui *Ruyschianae apologiae* novam *Noster* responsionem opposuit, in qua ulterius monuit, homini non unum, sed duo esse scrota, cuti involuta, i. e. carnosam scroti membranam, communem hactenus falso vocatam, ab utroque latere penis in duos sacculos sphaeroideos circa binos testiculos comprehensos expandi, expansorumque parietes contingentes facili negotio à se invicem divelli, ubi ea cutis portio separata fuerit, quae illorum conjunctionis rimam obtegendo suturam vulgo dictam constituit. Quae omnia figuris eximie illustrat, in quarum secunda scrotum humanum pubescentis mediocriter inflatum & ligatum exhibetur, in tertia duo fere sphaeroidei, ex membrana carnosa formati sacculi ab invicem separati & leviter inflati, in quarta vero testiculus sinister in suo adhuc processu peritonei, vaginali dicto haerens repraesentatur.

§. DXCVI.

Godofredus Bidloo, professor chirurgiae & anatomes in academia Lugdunensi non cessavit, quoad viveret, spartam suam pro virili exornare, edito pretioso opere anatomico in folio maximo regali, cui titulus: Anatomia corporis humani, centum & quinque tabulis per artificiosissimum *G. de Lairesse* ad vivum delineatis, demonstrata, veterumque ac recentiorum inventis explicata, plurimisque hactenus non detectis illustrata. Negandum tamen non est, nonnullas figuras plus speciei & splendoris, quam veritatis habere. Sufficiat hac vice solum & unicum adduxisse exemplum de membrana urinaria in foetu humano, quam omnes negant, ipse vero delineat. Rogatus autem à D. *Verbeyen*, ut illam aliis professoribus demonstraret, vel methodum saltem doceret eam

inveniendi, subterfugiis usus est fidemque datam non liberavit, eoque ipso haud obscurum praebuit testimonium, frustra illam in humano foetu adsertam & analogice tantum à brutis ad homines translatam. Nuper tamen scrupulum adsertis injecit DD. *Laurentius Heisterus*, Professor olim *Altorffinus*, nunc *Helmstadiensis*, qui licet in secunda *compendii* sui *anatomici* editione pag. 87. adseruisset, *allantoidem* seu *farciminalem* in nonnullis quidem bestiis praesertim vaccis, pulchre reperiri, in homine eandem constanter desiderari: Suam tamen haud ita pridem sententiam solemniter revocavit ac publice professus est, se in brutis aeque ac humanis foemellis dictam allantoidem reipsa ita constitutam reperisse, sicuti ab *Aquapendente* in *tractatu de foetu formato*, & à *Needhamo* in *observationibus anatomicis* exhibetur, sicuti pluribus circumstantiis inferius enarrabimus.

§. DXCVII.

Caeterum multa quidem ille anatomicis pridem cognita descripsit atque delineari jussit: Non pauca tamen etiam vel emendavit, v. g. circa figuras cerebri, pulmonum, arteriarum, hepatis, renum &c. vel de novo addidit, v. g. de interiore bronchiorum facie, mediante stanno igne soluto ac fistulae immisso concinne investigata nec non succiferis chordae umbilicalis tubulis &c. De tunica vero *arachnoidea* cerebri, duram inter ac piam meningem media, quam Domini Collectores *actorum Lipsiensium* eidem tanquam inventori haud obscure vindicant, secus nos sentimus, ex epistola problematica nona *Friderici Ruyschii* clarius lectorem convicturi. Multa denique suis in schematibus, per opticum subinde instrumentum adornatis, aliter delineavit, qualia sunt, glandulosa ac tubulosa cerebri substantia, plexus choroidei,

involu-

involucrorum linguae, mammarum glandularumque hepatis ſtructura &c.

§. DXCVIII.

Univerſum opus in ſex partes diſtributum eſt, in quarum *prima* praeter denudatum utriusque ſexus corpus, caput cum collo adjuncto ſpinalique medulla nihil exhibetur. In *ſecunda* ſiſtitur pectus atque dorſum cum lumbis; In *tertia* abdomen, in *quarta* uterus ingravidatus cum foetu ejusque adnexis, in *quinta* artus partesque illis continuae; Ac denique in *ſexta* atque *poſtrema* univerſa oſteologia ſiſtitur. Et quanquam omnia figuris apte atque concinne illuſtrentur, textus tamen alius non reperitur, quam qui figuris tantum explicandis inſervire poteſt.

§. DXCIX.

Reliqua *Bidloi* ſcripta ſub titulo operum anatomico-chirurgicorum An. 1715. Lugduni Batavorum in 4to prodierunt. Pertinent huc decades duae exercitationum anatomica-chirurgicarum, quas inter nulla argumenti anatomici eſt praeter *primam* & *decimam decadis primae*, quae de nervis agunt. Quod ſane argumentum cum is non more proletario, ſed adcurate pertractaverit; Operae mihi pretium viſum eſt, exactius recenſere.

§. DC.

Ingenue ante omnia confitetur, ſe, quicquid de ſpiritibus animalibus eorumque per nervos fluxu verborum magis ornatu atque pigmentis, quam ipſius rei veritate hucusque diſſeruerunt medentes, poſt omnem exantlatam diligentiam exercitataque experimenta, totius hujus negotii ſigna, veſtigia reliquiasque detegere certas indubitatasque nunquam valuiſſe. Optime profecto! Verum quis aequo animo feret

unius

unius viri dissensum in conjurato tantum non omnium (uno vel altero excepto) consensu? Quis factum tale aliter, quam inauditam interpretabitur audaciam? *Experto crede Ruperto?* Verum non agit noster ratiunculis; Sed fidis & undiquaque satis exploratis experimentis, quae sunt: *Primo*; Quod ligatis vinculo tenaciore saepius majoribus, viventi cani, femoris nunc inguina nunc genua versus, nervis, eorum intumescentiam nec supra nec infra ligaturas observaverit unquam; Arteriolarum vero, membranas nervorum perreptantium, vinculum versus superius, cernere ipsi semper contigerit; *Secundo*, quod soluto, post unam alteramque horam, vinculo, nervum vasaque sanguifera in pristinum statum officiumque restituta repererit. *Tertio*; Quod nervis dissectis & abscisis, neutra de extremitate succus, huic organo quasi proprius, non solum non manaverit, sed & nulla vi exprimi potuerit. *Quarto*; Quod nervi, juxta eorum longitudinem, latitudinem vel transversim laesi, ne tantillum quidem liquoris, quantum ut vel scalpellus chartave bibula, mollissima, coerulea eo commacularetur, effuderint. *Quinto*; Quod nervus acu vulneratus pertususque candescente, quae ei inhaeret, crusta, eschara mox abrasa, nullum liquidi signum, vestigium vel scaturiginem reliquerit. Ubi ergo manserunt spiritus animales? Quorsum sese recepit liquidum nerveum, quod in illorum locum hodie substituunt speculatores mechanici? Excessit, evasit, erupit. Nempe naeniae sunt, nugae otiosae, quibus tempus pretiosum perditur, philiatrorum animi corrumpuntur & supervacuis speculationibus onerantur.

§. DCI.

Verum in hisce solis non acquievit *Noster*, sed alia argumentorum pondera addidit: Ligatum nempe, in cane vivente,

vivente duplici vinculo ſuperneque, loco, quo laterales non conſpiciebantur, rami, abſciſſumque hoſce extra limites nervum, mox antliae ſubjecit pnevmaticae; Verum aëre evacuato neque intumuit, neque ab menſura variavit priore; Niſi forte, quod ſtaminibus nerveis inhaereret, involucrum, aliquantulum aliquando (non ſemper) uno loco dilatatum videretur. Poſtremo, ipſos madore conſperſos nervos nunc parum, nunc maxime exſiccatos, tubis vitrisque ſubjecit opticis, nunquam autem eorum tubulos, cavitates, interſtitia detegere potis fuit. Nervi enim tendinesque rite exſiccati, ne tubulorum quidem veſtigium, ſed corpus, ratione artis exſiccandi, plus minusve reliquunt opacum vel diaphanum. Hinc infert: Se, quicquid etiam egerit quantumqve ſudaverit, ad deprehendendos ſic dictos ſpiritus animales, nunquam tamen vel actu fluendo, vel ſaltem ſtillitando in aut extra nervos, conſpicere potuiſſe.

§. DCII.

Repugnat ipſa quoque nervorum ſubſtantia, quae, ut à *Noſtro* deſcribitur, non aliter perluſtrandam ſeſe exhibet, quam indefinitorum, tenſilium, pellucidorum, fibroſorum, per univerſum corpus diſtributorum filamentorum forma, quorum latera ſine interſtitiis, ſola contiguitate uniantur, membrana obvelentur & in faſciculos diſtingvantur. Quod ſi vas aliquod lymphaticum alicubi comitetur nervum, illud nunquam intra, ſed ſemper extra, circa & ad involucrorum ſuperficiem ambitumqve, nunquam in nervea ſubſtantia nervorumqve intra faſciculos reperietur; Imo addit *Noſter*, ſe in nervorum ſtaminibus interve eorum latera valvulam invenisſe nullam. Ex quibus proinde omnibus tandem colligit, ſpirituum animalium demonſtrationem imposſibilem eorumq; fluxum in muſculos ad eorum actum non eſſe neceſſarium.

§. DCIII.

Idem argumentum de nervis, quo evincitur: NON DARI SPIRITUS ANIMALES: Idem, inquam, tractavit *Auctor* noster *exercitatione decima* ejusdem *primae decadis*, quae nihil aliud continet, quam fidam enarrationem discursus, quem habuit in theatro anatomico publico, occasione sectionis in cadavere viri, laqueo enecti, peractae. Tria hic supponit, in praecedenti exercitatione jam demonstrata: *Primum* est: Nervum non esse tubulum, proindeque valvulis carere. *Secundum* est: Nervorum stamina non admittere interstitia atque ita tubulos non conficere. *Tertium* est: Nec in iis (interstitiis) inveniri liquidum, vaporem vivificantem vel spiritum animalem.

§. DCIV.

Quibus ita praesuppositis, aliam nunc argumentorum phalangem, contra spirituum animalium existentiam, instruit. Inter pudendas primum fabulas de cerebro refert, quosdam vana credulitate & simplicitate aut sibi aut aliis persuasisse, homines quandoque & bruta nasci, quin imo vivere, SINE CEREBRO. Quaerit itaque non immerito: Unde promanabunt, quo loco erunt reperiundi tali in corpore famosissimi illi spiritus animales? Quo modo agent, deficiente spirituum animalium scaturigine, isto in corpore, nervi? Quo medio isti animali constabit visus, auditus? &c. quorum quippe organorum nervi de cerebro ortum ducere dicuntur, imo & moveri istis in animalibus nervos, perinde ac in aliis cerebro gaudentibus, & hosce fieri actus. Demonstravit deinde, nervum esse stamen, non tubulum, neque in se liquidi, quocunque demum nomine venire posset, plus habere quam caeteras partes flexiles: Quapropter statuit, nervos non

moveri

moveri ab aliquo liquido, intra nervorum cavitatem agente, atque ita ſpirituum animalium hiſtoriam eſſe fictitiam. Interim, ne quid in re tam ſontica deſiderari jure poſſet, & ſimul ac ſemel ceſſet objectio, alioquin explicari non poſſe, *quo modo nervus ſuo posſit fungi munere, moveri ac movere alias partes, ſpiritibus animalibus negatis:* Hinc fecit adhuc periculum in ſequentibus hujus exercitationis articulis, anne ſine ſpirituum animalium hypotheſi univerſum actuum animalium ſyſtema aeque bene explicari poſſet? Quod quam bene quamve feliciter *Auctori noſtro* ceſſerit, tu, benevole Lector, ipſemet lege ac aequa judicii lance perpende.

§. DCV.

Caeterum videri poſſent huc quoque pertinere *quatuor diſſertationes anatomica-phyſiologicae,* quas quondam in *Academia Lugduna Batava* ex cathedra publica diſcutiendas *Bidlous* exhibuit; Verum, cum iis ſedulo perlectis nihil occurrerit, quod ſcopum anatomicum proxime feriat: Non dabitur mihi probro, ſi dictas diſſertationes ſilentio praetermittam.

§. DCVI.

Neque propius ſcopum noſtrum ferire poterunt obſervationes phyſica-anatomicae de oculis & viſu variorum animalium, cum phyſicos quidem delectari, anatomicis parum prodeſſe queant.

§. DCVII.

Sed vindiciae quarundam delineationum anatomicarum contra animadverſiones *Friderici Ruyſchii* ſilentio non ſunt praetereundae, ex quibus quippe initia & progreſſus controverſiae, quae *Bidloo* cum *Ruyſchio* intercesſit, clare perſpici poſſunt: Quamquam aemulationem ex communi ſtudio

ortam non parum eandem fovisse, extra omne quoque dubium versetur.

§. DCVIII.

Denique *Guilielmum Cowperum* plagii accusavit *Noster*, eumque in finem edidit *Guilielmum Cowperum* criminis literarii citatum coram tribunali Societatis Anglicanae, Lugduni A. 1700. qua ipsum non solummodo, quod figuris suis in anatomia à se edita usus, verum etiam, quod suis explicationibus pessime immutatis fuerit abusus, inculpavit. At vero ab imputato isto crimine liberare sese conatus est *Covvperus*, edita A. 1701. eucharistia, in qua plurimas & singulares *Godefridi Bidloi* dotes, puta peritiam anatomicam, probitatem, ingenium, elegantias latinitatis, lepores, candorem, humanitatem, ingenuitatem, solertiam, verecundiam, humilitatem, urbanitatem &c. celebravit, & ejusdem citationi humillime respondit. Ironiam, vero, redolet, quicquid hoc titulo profert *Covvperus*; Hunc enim ejus animum statim produnt, quae in primis *eucharistiae* paginis ipsi exciderunt, expressionibus, uti sunt: *Litem ipsi movisse virum malevolum; Plagii crimen in proprium forsan insimulantis caput recisurum; Inter tabulas* Bidloianas *esse quasdam fictitias & a natura alienas, pinguis & luxuriantis cerebri progeniem; Nec minus in diripiendis alienis esse sagacem, quam in suis inveniendis felicem; Ingeniosam illi manum esse, quippe, quasi fingendi honorem aliis invideat, non pauca rara & insolita visu, qualia natura nunquam exhibuit, aut exhibebit unquam, ex aliis in suum transtulisse opus; In sterquilinio foede sese volutasse* Bidloum; *Amicis suis non esse fidelem eundem, sed illorum verba in alienum detorquere sensum; Scriptum* Bidloianum *esse infamem libellum;* Taceo plures alios hujus farinae flosculos.

§. DCIX.

Calci *operum Bidloianorum* adnexa est dissertatio seu potius oratio

oratio de *antiquitate anatomes*, habita in auditorio magno, cum anatomicem profeſſurus, in *alma academia Batava* inaugurararetur; In qua non pauca occurrunt, lectu digna, quae tamen, prolixitatis nimiae vitandae gratia, hac vice ſicco pede praetereunda eſſe cenſemus.

§. DCX.

Invenit hic ſuum locum diſſertatio anatomica-medica *Mauritii van Reverhorſt*, de motu bilis circulari, quam ut candidatus medicinae in *academia Lugduno-Batava* olim habuit, nunc profeſſor anatomiae publicus Hagae-Comitis conſtitutus. Reſcisſis autem hac vice iis, quae de hepatis ſitu, figura, ſuperficie, colore, connexione cum aliis partibus, membrana inveſtiente, vaſis tam inferentibus quam efferentibus, ductibus peculiaribus excretoriis & ſubſtantia, tanquam rebus jam aliunde notis diſſeruit, nos tantum proſequemur ea, quae de peculiaribus vaſis biliferis & modo circulationis bilis nova propoſuit: Quorum illud §. 30. hoc vero §. 36. praeſtatur.

§. DCXI.

Vaſa bilifera peculiaria deſcribit, tanquam ex ſima hepatis parte oriunda, quae bilem ſuam duplici triplicique ductu excretorio in hanc veſiculam, membranam ejus, potisſimum circa collum perforantia, deponant. Fatetur tamen, majorem horum ductuum, in interna veſicae parte, papillula quadam conſpicuum eſſe; Simili ferme modo, uti ductus communis in inteſtino duodeno apparet; Quippe valvulae officio fungi exiſtimat has protuberantias, ne ſemel eructata bilis eandem repetat viam, per quam erat egreſſa: Deinde nec id diffitetur, haec vaſa cyſtica bilaria diſtinctius occurrere in brutis, potiſſimum ſubjecto bovino, quam quidem hominibus.

§. DCXII.

Quibus praemisſis modum circulationis bilis ſic deſcribit: Bilem nempe, in inteſtinum duodenum delatam, ſucco pancreatico mixtam, reddi fluidiorem ac tenuiorem, quo inteſtina magis irritare, chylificationem promovere & poros vaſorum venoſorum ſubire posſit, in itinere ſuo per inteſtina duas in partes abire, terreſtriores ſcilicet atque volatiliores; *Illas* faecibus permixtas, quibus etiam colorem flavum inducant, una cum iis ab alvo deponi; *Has* vero, volatiliores & magis mobiles poros ſubire venarum meſeraicarum, & cum ſanguine venoſo aſſociatas pergere in portam, ex hac in hepar, in cujus glandulis particularum harum bilioſarum fiat ſequeſtratio; Ex glandulis vero in poros bilarios; Ab his per ductum choledochum in inteſtina, in quibus de novo eodem, ut ante, fungerentur officio, & particulis terreſtrioribus relictis, iterum meſenterii vaſa ſubintrare, ex quibus denuo in hepar, & ex hepate in inteſtinum & ſic porro moveri, & in eo motum bilis circularem conſiſtere &c.

§. DCXIII.

Cumque facile ſuboluiſſet *Noſtro*, hypotheſes novas, ſolidó inprimis fundamento non innixas, adplauſum publicum vix invenire, argumentorum aciem inſtruxit ad lectorem ſuum de veritate rei tanto efficacius convincendum, quorum primum ab amplitudine venarum meſeraicarum, alterum à venarum curſu peculiari, tertium à bilis quantitate, quartum ab embryonis meconio, quintum à proportione bilis ſecretae cum ſanguine, ſextum à diverſitate pororum & ſeptimum à defectu vaſorum lacteorum in animalibus pennatis &c. deſumptum eſt: Verum an ſingula haec argumenta parem probandi efficaciam habeant, apud peritos harum

rerum

rerum judicium esto; Nobis enim hac vice non lubet, hypothesin exactius examinare.

§. DCXIV.

Antonius Nuckius primum *Hagae Comitum* medicinam exercuit, deinde vero in *Academia Lugduna-Batava* anatomiae professor & collegii chirurgici praeses constitutus est. Primus fuit inventor *ductuum salivalium superiorum minorum*, ediditque non solum sialographiam curiosam, sed & ductuum ocularium aquosorum anatomen novam. Demonstravit itaque suo etiam exemplo abunde, naturae sacraria cuivis inquirenti patere. Intra octennium ultra sexaginta & plura cadavera humana, praeter ingentem brutorum animantium numerum, dissecuit, & hac sua industria indefessa ductum salivalem novum, novaque vasa, humorem aqueum versus oculum deducentia, in apricum deduxit, ostenditque, hunc ab eo ipso detectum ductum, à *Warthonianis*, *Stenonianis* & *Bartholinianis* vasis plane distinctum esse. Edidit etiam adenographiam curiosam & uteri foeminei anatomen novam, cum epistola ad amicum, de inventis novis. In dicta illa adenographia adcuratam glandularum conglobatarum & conglomeratarum historiam exhibuit, eas quoque adjiciens, quae à *Warthono* omissae fuerant, uti sunt glandulae meatus auditorii, labiales, hypoglottidis, occipitales, cervicales, suprascapulares, sterni, submammillares, pulmonum, diaphragmatis &c. Valvulas ductuum lactiferorum mera anatomicorum quorundam figmenta esse demonstrat, cum quidam horum variis in locis angustati non tam valvularum ratione, quibus destituuntur, quam intuitu substantiae adiposae duriusculae, tubulos galactiferos aliquando nimum comprimentis, liquori injecto resistant. Quamlibet glandulam conglobatam quatuor

gaudere

gaudere distinctis vasis ostendit, nempe arteriola, venula, nervulo & ductu lymphatico. Ostendit porro, vasa lymphatica à glandulis originem suam non habere, verum potius arteriarum continuitatem esse, id quod ex eo comprobat, quod flatus in arteriam v. g. emulgentem immissus, vasa lymphatica in conspectum producat. In epistola quadam anatomica de variis ductibus lymphaticis disserit, qui in variis externis capitis partibus, cervice, tunica pulmonum, spatiis intercostalibus, lumbis, diaphragmate, corde, liene, hepate, vesica fellea, ventriculo, mesenterio, testiculis, manibus, pedibus, cerebro, ipsa pineali glandula ne quidem excepta, reperiuntur: Unde non dubitat eidem glandulae epitaphium addere, tanquam quae prae reliquis corporis glandulis nullam mereatur praerogativam.

§. DCXV.

Johannes Bohnius, decus quondam *Academiae Lipsiensis* eximium, qui per plurimorum annorum decursum professionem publicam anatomiae atque chirurgiae ibidem summa cum laude exornavit, quemque ante aliquot annos fata orbi medico eripuerunt, praeter alia multa erudita scripta edidit non solum *circulum anatomico-physiologicum*, verum etiam *observationes* quasdam *anatomicas*, structuram vasorum bilariorum & motum bilis spectantes, quae in *Actis Eruditorum Lipsiensibus* mens. Januar. A. MDCLXXXII. & LXXXIII. summatim exhibentur & huc potissimum redeunt: Observaverat nempe *Bohnius*, cervicem folliculi fellis notabiles propagines praeter illam, cujus *Glissonius*, *collegium Amstelodamense* & *Blasius* mentionem fecerant, ad substantiam hepatis spargere, vel rectius loquendo, inde recipere, imo quasdam harum cum ductu epatico communicare: Hinc, ut tanto magis confir-

confirmaretur, res iſtas ita reipſa, ut obſervaverat, ſeſe habere, ſequentia inſtituit experimenta: *Primo* in epate bubulo flatum, per ductum cyſticum ad turgeſcentiam usque veſiculae immiſſum & cavam epatis partem diverſis tractibus tranſeuntem, per porum epaticum in ſubjectis ſanis redire, aliquoties obſervavit. *Secundo* ex hepatis vitulini cyſti fellea omnem emulſit bilem, hujus ductum ligavit, ubi poro epatico inoſculatur, ut per illius orificium nihil liquoris veſiculam ſubintrare poſſe, certus eſſet: Hinc epatico ope ſiphonis aquam tepidam immiſit, cujus tandem aliqua portio ad folliculum flaccidum divertebatur, hunc notabiliter diſtendebat, ac per vulnus ipſi inflictum effluebat. *Tertio* aperto hominis, canis & bovis ductu cyſtico, illa in parte, qua is epati continuus eſt, plura deprehendit foramina (ab *Amſtelodamenſibus* & *Blaſio* in bove ſaltem notata) tanquam totidem vaſorum biliariorum oſcula; Ita quidem, ut hujus generis aliquando in cane tria, in humano cadavere quinque, in epate bovino plura &c. comparuerint. Tractus eorum modo longiores modo breviores, oblique ſatis meatus cyſtici tunicas utplurimum penetrant, in cane & homine ſtylum equidem admittentes, hincque vaſorum peculiarium emanationem aut inſertionem promittentes: Quorum tamen ulteriorem progreſſum, propter exilitatem moleſtisſimam nec detegere hactenus nec inveſtigare ipſi licuit. Aſt in ſubjecto quodam bubulo, quod commodioris magnitudinis cauſa eligebat, praeter reliquos folliculi canalis meatus, ad epatis interiora decurrentes, duo patentiora orificiorum vaſa, ex lateribus illius oppoſitis prodeuntia, epatisque ſubſtantiae ſaltem leviter immerſa, ad ſinum ductus epatici ſic tendebant, ut flatui & ſtylo, à cervice folliculi usque ad porum epaticum, aditum liberrimum concederent. Ex hiſce vero experimentis

 conclu-

concludit *Bohnius*, pro officina & motu bilis, ſatis alias ambiguis determinandis, ab epate omnem forſan bilem, folliculo fellis non tantum per canales ſuperius recenſitos, ſed epaticum quoque porum, infundi: Id quod ſequens inſuper obſervatio confirmat: Canis ſcil. vivi, praeſentibus pluribus ſpectatoribus, veſiculam usque ad cervicem dilaceravit, tentaturus, an aliquid bilis per hanc verſus fundum laceratum deflueret? Reſpondit expectationi eventus, i. e. non tantum bilis, quaſi turgeſcentia quadam, ex anguſtiore ductu cyſtico per latiorem cervicem copioſisſime eructabatur, ſed idem cyſticus, poſt injectum ipſi vinculum notabiliter ſic intumeſcebat, ut nihil aut ſaltem parum bilis per dictam cervicem amplius promanaret. Quae omnia dum ſua in anatomia *Verheyenus* profundo premit ſilentio, occaſionem praebet ſuſpicandi lectori, quaſi nempe, quae de ductibus hepaticocyſticis diſſeruit, pro ſuis inventis venditare voluerit: Niſi forte inde excuſari mereatur, quod plura alia inventa anatomica, quae in *actis Lipſienſibus* recenſentur, anatomiae ſuae inſerere neglexerit.

§. DCXVI.

Ab eo tempore plura huc facientia adnotavit, quae in *actis Lipſienſibus* menſ. Mart. A. MDCLXXXIII. hiſce circumſtantiis recenſentur: Aperto vivi canis abdomine ex veſicula biliaria omnem hujus humorem expreſſit, ductum cyſticum ligavit, expectaturus, an nihilominus, ſi ſubjectum aliquamdiu ſuperſtes foret, aliquid bilis, non obſtante hoc vinculo, denegatoque folliculo fellis cum poro epatico commercio, in illo colligeretur; Proin conſuto denuo abdomine animal per 24. horas vivum conſervavit vivumque reſecuit. Et per ductum equidem communem choledochum bilis ad inteſtinum

confluere

confluere videbatur, praeter modum tamen infimul tumente extremitate canalis cyftici filo intercepta, nihil autem fellis, fed loco hujus tantillum fanguinis congrumati & fapore amaricante, fine dubio à bilis expreffae reliquiis, tincti deprehendebat. Quo experimento in eo confirmatus fuit, in homine cane, fimilibusque animalibus, quibus pori epatici & cyftici adaequata contingit communicatio, notabilem bilis quantitatem, ab epatico ad cyftin per hujus meatum, fecedere, adeoque ex hac bilem ad inteftinum non continuo, fed interpolato motu ferri.

§. DCXVII.

Nec ab officio fuo alienum putavit, aliorum quoque celebrium virorum fcripta in meliorem ordinem redigere, ficque aliorum utilitatibus apta magis reddere; Proinde *Hieronymi Fabricii ab Aquapendente* opera omnia anatomico-phyfiologica, quae variis hactenus locis ac formis prodierant, certo ordine digesfit, & in unum volumen redacta cum indice rerum atque verborum locupletisfimo & praefatione fua edidit. Similiter *Laurentii Bellini* opufcula de urinis & pulfibus, de M. S. de febribus, de morbis capitis &c. evulgavit, illisque praefationem & indicem praemifit.

§. DCXVIII.

Ejusdem in *Academia Lipfienfi* collega, D. *Johannes Wilhelmus Pauli*, anat. & chirurg. P.P. annotationibus, recentiorum in anatomicis ac chirurgicis induftriam patefacientibus, adauxit opufcula anatomico-chirurgica *Johannis van Horne*, ficuti jam fuperius à nobis animadverfum eft. Quem eundem quoque auctorem D. *Johannes Mauritius Hoffmannus* in *academia Norica* fibi declarandum fumpfit, inque differtationibus

 fuis

ſuis anatomico-phyſiologicis librum, mole quidem parvum, ſed rerum tractatarum amplitudine magnum, notis ſuis illuſtravit: Noſter vero *Lipſienſis commentator*, non ſolum *Lipſienſem editionem* cum *Lugdunenſi* diligenter contulit, mendas & allegata correxit, & reliqua auctoris addenda undique conquiſivit, ſed & novis obſervatis locupletavit, quorum aliqua tantum ſpeciminis loco allegabimus. In reſpiratione magna, ubi coſtae cum ſterno elevandae ac deprimendae ſunt, centum muſculorum, tam *communium* quam *propriorum* concurrere adſeruit, cum ad reſpirationem parvam vel duo diaphragmatis muſculi ſufficere queant. Nam praeter duos diaphragmatis, coſtae utrinque a 27. *propriis*, nempe ſubclavio, 11. intercoſtalibus externis, 11. levatoribus coſtarum, ſerrato antico minori, ſerrato antico majori, ſerrato poſtico ſuperiori ac cervicali deſcendente *Diemerbroeckii*, & tribus communibus, pectorali, ſcaleno, & levatore ſcapulae attolluntur, cum coſtae e diverſo utrinque a 14. propriis, videlicet 11. intercoſtalibus internis, triangulari, ſacrolumbo & ſerrato poſtico inferiori & 5. communibus, muſculis ſc. abdominis ſoleant deprimi. Per orificium, quod in duodeno cum choledocho ductus pancreaticus commune habet, flatu in hunc immiſſo, ſimul minus oſculum canalis minoris detexit, priori fere oppoſitum, niſi quod paulo ſuperius eſſet. Reliqua noviter obſervata in praefatione uberiore, ipſi opuſculo praemiſſa videre licet. Caeterum ſilentio non eſt praetereundum, huic editioni opuſculorum *Hornianorum* adjectam eſſe *Thomae Bartholini* hiſtoriam anatomicam anevriſmatis diſſecti, uti & *Hornii* ipſius epiſtolam ejusdem argumenti.

§. DCXIX.

Daniel le Clerc & *Johannes Jacobus Mangetus*, duo celebres medici *Genevenſes*, ipſimet quidem ſcripta anatomica non edide-

ediderunt, interea tamen eo potissimum nomine rempublicam medicam ac praecipue anatomicos maximopere devinctos sibi reddiderunt, quod non sine operosis laboribus pleraque anatomicorum scripta in unum congesserint, & integram bibliothecam anatomicam concinnaverint, h. e. thesaurum locupletissimum plerorumque in anatomia recens inventorum, in quo integra eaque absolutissima totius C. H. descriptio ejusdemq; oeconomia ex praestantissimorum quorundam anatomicorum tractatibus singularibus, tam hucusque editis, quam ineditis, exhibetur; Quibus adjecta est omnium partium administratio anatomica, cum variis earundem praeparationibus curiosissimis.

§. DCXX.

Cum vero ab eo tempore, quo bibliotheca anatomica duobus spissis voluminibus in folio edita fuit, res anatomica non parva cepisset incrementa, consilium iniit *Johannes Jacobus Mangetus*, novum *theatrum anatomicum* splendida forma publico sistendi, in eoque plurimorum recentiorum anatomicorum scripta ac nova inventa, quae *Ruyschii, Bidloi, Cowperi, Chiraci, Fantoni, Verheyenii, Baglivi, Pachioni, Valsalvae, Morgagni, Bianchi, Terranei, Littrei, Vercelloni, Brunneri, Mery, Reverhorstii, Hovii* pluriumque aliorum industriae jure debentur, recensita unoque in corpore collecta exhibendi. Sicuti vero *bibliotheca anatomica* non sine applausu est excepta; Ita non poterat quoque nisi gratissimum primo intuitu esse novum hoc theatrum. Uti autem nihil omni ex parte beatum & perfectum est: Ita libere fatetur *Heisterus*, se in splendido isto *Mangeti* theatro multa nova aut singularia non reperisse, quorum in suo compendio non fecerit mentionem; Contra errores haud paucos evitasse, quos ille commiserit: Ut consilium ceperit, opus

 Mangeti

Mangeti censurae suae submittendi; Verum quia clar. *Morgagnus* ipsum praevenerat, atque errores à *Mangeto* commissos in *adversariis anatomicis secundis*, *tertiis*, addo & *quartis* satis indicaverat & emendaverat, in eo acquievit, ut seriem tantum exhiberet auctorum à *Mangeto* omissorum, uti sunt anthropologia *Drackii*, *Swammerdammii* figurae uteri, *Bonclari* tractatus de testibus, *Lealis* liber de partibus semen conficientibus, *Bartholini* figura de ductu salivali glandulae sublingualis, *Alghisii* figurae de partibus genitalibus, *Novesii* figura curiosa de nervi auditorii distributione, *Palfini* elegantes ossium delineationes in osteologia, *Cheseldeni* variae novae & curiosae figurae, & inprimis *Henningeri* curiosa ductus thoracici delineatio aliaque pulchra, quae à *Mangeto* omissa esse miratur & dolet.

§. DCXXI.

Ipsum interea opus quod attinet, in *duos* iterum *tomos*, *quatuor libros* continentes, voluit illud distributum, in quorum *primo* eas pertractavit partes, quae nunc similares nunc generales vocantur, ac in toto corpore, potissimum vero extrinsecus in artubus ac trunco occurrunt, uti sunt fibrae, cuticula, cutis, panniculus adiposus & carnosus, musculi, ossa, nervi, arteriae, venae, vasa lymphatica, glandulae, membranae & ligamenta; Inprimis vero myologiam ex *Johanne Brown* & *Cowpero*, osteologiam ex *Bidloo*, *Cowpero*, *Ruyschio* & *Kerckringio*, ac denique nevrologiam ex *Vieussenio* figuris illustravit. Deinde in *libri secundi parte prima* post peritoneum ac *Poupartii* ligamenta rotunda validissima, hernias in inguinibus praecaventia, partes abdominis, omentum scilicet, oesophagum, ventriculum, intestina, mesenterium, lienem, hepar ejusque cystidem cum ductu biliario, glandulas item renales, renes

ipsos,

ipſos, ureteres & veſicam urinariam deſcripſit: At vero in *parte ſecunda* dicti libri, unde *tomum ſecundum* auſpicatur, organa generationis, prout in utroque ſexu reperiuntur, exhibuit.

§. DCXXII.

Porro *librum tertium* thoraci deſtinavit, ac proinde ſtructuram mammarum, pleurae ac mediaſtini, thymi ac glandularum oeſophagi, pericardii ac pulmonum in eodem deſcripſit. Ac denique in *libro quarto* tam meninges ac cerebrum intra cranium quam extra illud oculos, aures, naſum, linguam, genas, tonſillas, uvulam ac tunicam pituitariam explicuit. Quantumcunque vero ſplendoris hoc theatrum *Mangeti* evibrare videatur, deprehendit tamen hinc inde celeb. *Morgagnius,* quod boni publici cauſa corrigeret & emandaret, ſicuti pluribus ſuo loco enarrabimus, ubi clar. *Morgagni* adverſaria anatomica, quae hucusque lucem adſpexerunt, recenſebimus.

§. DCXXIII.

Quod ſpeciatim *Clericum,* ſive, ut ab aliis ſcribitur, *le Clerc* attinet, *oſteologiam,* quam ipſe *exactam* & *completam* vocare non erubeſcit, edidit.

§. DCXXIV.

Ultimo loco prorſus ſilentio praeterire, nefas duco, ſingularem non tam inventionem, quam potius opinionem DD. *Nabothi,* olim profeſſoris medicinae extraordinarii in *academia Lipſienſi* de *novo* quodam *ovario,* quod circa cervicem uteri ſibi detexiſſe viſus eſt, & occaſione diſputationis publicae, quam pro loco habuit, *de ſterilitate foeminarum,* aliquot diſſectarum mulierum obſervationibus confirmare adniſus fuit. Cum vero jam alibi, nempe diſſertatione de *partu octimeſtri*

vitali

vitali & legitimo, respondente Dn. *Stabelio*, deinde medicinae Doctore & apud Silesios practico felici ante aliquot vero annos Halis Magdeburgicis, quorsum medicinae docendae gratia sese contulerat, mortuo desideria mea libere simulque satis prolixe exposuerim, nolo hac vice actum agere.

§. DCXXV.

Credebam autem, hypotheseos *Graeffianae* evidentiam ac certitudinem, quam plerique exercitatissimorum anatomicorum, quippe universo partium genitalium muliebrium systemati consonam atque conformem, calculo suo adprobarunt, plerosque moraturam, ne novo tali invento vel potius commento (quasi ejus farinae plura in medicina non haberemus) nulla in primis verisimilitudine, nedum certitudine sese commendante, ante omnia vera nulla solida experientia confirmato, tam facile aures praeberent: Evenit vero, quod in vulgari dicitur proverbio, nempe uno clamante graculo clamitare & alterum. Ita ergo novum illud ovarium circa cervicem uteri, si Diis placet, reperiundum, suos passim invenit admiratores, imo defensores & statores publicos, incautos tamen, & quam perspicillis in talium rerum testimonium adhibendis, fidem denegaverant, propriis crassis oculis superbe arrogantes. Abunde vero convicti sumus, quod aeque credulos medicinae studiosos non semper inveniant, quorum quippe praesertim oculatiorum & prudentiorum oculis glaucoma inducere nec possibile nec consultum videtur; Simplicioribus vero illudere, facile quidem est, sed simul admodum malitiosum.

§. DCXXVI.

Illorum tamen aliqui, re penitius expensa, ne per praecipitantiam fictionibus atque fabellis, quibus leves tantum & ignobiles

ignobiles animae capiuntur, aliquid darent, facile quidem intellexerunt, citra ingentes absurditates usum, nuperrime isti abusive sic dicto ovario adsignatum, agnosci non posse: Nempe ovula ista seu vesiculas (quas hydatides rectius dixeris) circa cervicem uteri sitas, & intra substantiam ejus maximam partem demersas, quadantenus tamen, prout majorem vel minorem maturitatem adquisivere, prominentes, liquore seminali repletas, veram generationis materiam continere, ab aura spermatis virilis impraegnari, indeque turgefactas abrumpi, in fundum uteri devolvi, tandemque cum eodem ope placentae coalescere, ac prima foetui formando rudimenta praebere; Hunc, inquam, usum istis vesiculis adscribere ausi non sunt: Interea tamen rem ipsam retinentes, & vesicularum talium, secundum naturam semper praesentinm existentiam ambabus ulnis, ut ajunt, concedentes, eo ipso totius negotii participes sese reddunt.

§. DCXXVII.

Versatur autem in eo totius rei cardo, ut *vesicularum* istarum, quas nonnullis *abusive seminales* vocare placet, *certitudo & universalis existentia*, in quibuscunque subjectis foemineis *anatomice* demonstretur, qua demonstratione hactenus deficiente, irritum sane est, quicquid de usibus & consectariis in physiologiam & pathologiam inde resultantibus disseritur. Stabunt sane duae illae rationes in contrarium adlatae inconcussae, quamdiu *primo* per observationes saepius iteratas & experientiam magis universalem non ostenditur, vesiculas istas *semper* & *in omnibus* promiscue *foemellis* tam *brutis* quam *humanis* adesse, & id quidem *secundo* non in *statu extraordinario* vel *morboso*, sed quam maxime *secundum naturam*.

§. DCXXVIII.

Haec duo quamdiu ſolide non praeſtantur, non poterunt, qui talia ſerio objiciunt, accuſari, fruſtra eſſe, quod veritatem rei anatomicam ſollicitent, vel penitus *univerſalem* iſtarum veſicularum *exiſtentiam* negando, vel earundem *naturalitatem*, ut ſic barbare cum aliis loquar, infringendo.

§. DCXXIX.

Indicium eſt malae cauſae valde manifeſtum, quod in puellis impuberibus veſiculas iſtas non adeſſe, liberaliter concedatur; Aut enim ſunt partes *ſpermaticae* (ignoſcite velim, anatomicorum coryphaei, ignoſcite, inquam, antiquae diſtinctioni, ſi forte in delicatioribus veſtris auribus ingratum ſtridorem excitet) ſpermaticae, inquam, quae cum formatione reliquarum partium efformantur, aut *ſanguineae*, quae ſucceſſu demum temporis creſcunt, ſicuti fungi ex gremio terrae propullulant, vel pyra aut poma in arboribus. Si vero *ſpermaticae* ſint, aderunt aeque in puellis impuberibus atque in iis, quae ad annos pubertatis jamdum pervenerunt.

§. DCXXX.

Quando vero *experientiam* talibus in rebus magis univerſalem deſideramus, neminem tam ſimplicem fore praeſumimus, qui exiſtimet, nos hic talem efflagitare experientiam, quae in *omnibus univerſaliter individuis* fuerit inſtituta; Talem enim nemo prudens poſtulaverit: Sed potius talem hic ſubinnuimus, quae in omnis aetatis, omnis temperamenti, omnisque vitae generis foemellis, imo & nullo habito diſcrimine, ſive homines fuerint ſive bruta, pluribus ac ſaepius iteratis vicibus adornata fuerit. Equidem, ut nullam rei violentiam adferamus, lubentes concedimus, veſiculas, cervicem uteri

uteri occupantes jam obſervaſſe *Graeffium*, qui tamen pro hydatidibus illas habuit, *Des-nouen*, qui pro organis ſeminis foeminei, ſimiliter, ut noſtri ovarii novi inventores, illas agnovit, & *Johannem Baptiſtam Morgagni*, qui pro ſcaturigine muci uterini easdem habuit. Tantum tamen abeſt, ut pro exiſtentia harum veſicularum confirmanda quidquam faciant, ut potius opinionum talium varietas univerſum negotium magis adhuc implicitum atque impeditum reddat. Neque anatomia publica ante aliquot annos Halis adornata, veſicularum iſtarum ſeminalium, falſo ita dictarum, certitudinem atque veritatem efficacius demonſtrat, quia ipſi dictae ſectionis adminiſtri negare nequeunt, evidentia ſenſuum convicti, adfuiſſe hydatides, licet etiam praeter has, novum ovarium inquiſituri in veſiculas, liquore ſpermatico repletas incidiſſe, & ſibi & aliis perſuadere laboraverint, licet obſervatores periti, cauti & attenti, ad quos provocatur, nihil horum detegere potuerint. Interim talibus in negotiis non raro accidere ſolet, quod memini aliis accidiſſe, cum ſuccum pancreaticum examinaturi, ſaporem ejus acidum eſſe proclamarent, quibus mox plerique ſpectatorum auctoritatis praejudicio, ut fieri ſolet, occupati, adplaudentes viva voce adclamarunt: Utique, Utique, ſapor ſucci pancreatici acidus eſt, licet certisſimus ſim, plerosque aut nihil aut certe alienisſimum quid ab aciditate guſtaſſe.

§. DCXXXI.

Quae cum ita ſeſe habeant, & veritas anatomica, quae tamen κρινόμενον eſt totius rei, adhuc in lubrico verſetur, nemo, opinor, multum ſollicitus erit de uſu, iſtis vere ſic dictis hydatidibus adſignando; Quia non entis nullae ſunt adfectiones, & hinc ſublato fundamento, totum aedificium

physiologicum atque pathologicum, isti superstructum, sua sponte corruat, necesse est. Sed fortassis curae posteriores omnia vel certius confirmabunt, vel crudius dicta emendabunt, cum tota res *problematice* magis quam *definitive* proposita esse dicatur. Si ergo pro lusu ingenii habeatur, ego quoque non multum tergiversabor, invento huic inter speculationes physicas, si non eminenter utiles vel necessarias, attamen curiosulas, aliquem locum concedere, quae superfluorum instar si non prosint, minimum etiam eminenter non nocebunt, nisi in physiologiam ac pathologiam (nempe medicam) imo ipsam quoque therapeuticam (nempe medicam, non cathedralem vel per chartam fieri solitam) tandem inconsiderate invehantur, quod quidem non speramus, juste tamen metuimus.

§. DCXXXII.

Praeterea vero reticendum non est, quod numerosis selectissimis observationibus repletae sint Ephemerides N. C. quae inprimis e sectione cadaverum humanorum haustae atque collectae sunt, quo nomine passim laudatur *Johannes Jacobus Wepferus*, poliater Schaffhusanus, qui adsumptis eum in finem laborum sociis, *Christophoro Hardero*, *Friderico Lucio Screta*, & *Emanuele Hertnero*, jam ab aliquot retro annis *Schaffhusi* varios aegros morborum impetu exstinctos aperuit, inque veras istorum morborum, quibus denati fuerant, causas & origines inquisivit; Hinc nata est tetras historiarum apoplexia extinctorum. Nec sua laude defraudandus *Ballonius*, qui non minus in cadaverum humanorum apertione & causarum morbificarum investigatione desudavit. De *Jacobi Bontii* observationibus jam superius dispeximus, uti & de observationibus *Johannis Chiffletii*. Nec praetereundus est

Johannes

Johannes Faber Bamberg, professor Romanus, qui ultra centena diversi sextus & aetatis cadavera humana secuit. Similiter ignotus non est *Petrus Castellus*, professor *Messanensis*, qui sepulchretum suum, sive quod idem est, observationes anatomicas ex centum cadaveribus, quae Romae, ubi professione perfunctus est, secuit, sese hausisse ipsemet confessus est. De *Marci Antonii Ulmi* observationibus anatomicis, ex cadaveribus humanis à se aliisque sectis, pariter jam superius locuti sumus. Ut alios taceam, quorum passim in Ephemeridibus mentio injicitur, qui per anatomen hanc practicam plerorumque adfectuum H. C. tam externorum quam internorum, v. g. scirrhorum, abscessuum abdominis, hepatis, renum, anasarca defunctorum, apoplecticorum, asciticorum, asthmaticorum, cachecticorum, calculosorum, catarrho suffocativo interemtorum, cephalalgicorum, colica defunctorum, convulsivis adfectibus demortuorum, dysentericorum, epilepticorum, haemoptyicorum, herniosorum, hydrocephalicorum, hypochondriacorum, hystericarum, ictericorum, passione iliaca demortuorum, ischuria ac mictione purulenta defunctorum, phthisicorum, phreneticorum, syncopticorum, tabe confectorum &c. indagationem summa cum industria & successu praxeos medicae susceperunt.

§. DCXXXIII.

Verum cum praeter cadaverum, variis morbis denatorum, sectiones, non pauca quoque hinc inde occurrant, quae historiam rei anatomicae locupletare queant: Plerisque non ingratum fore spero, si, quae commemoratione digna mihi videbuntur, ex dictis *Ephemeridibus* N. C. huc transcripsero.

§. DCXXXIV.

Ex decuria I. Anni I. obſervatio XL. quam DD. *Joachimus Georgius Elsnerus*, practicus *Uratislavienſis* & academicus curioſus communicavit, huc transferri miretur. Siſtit illa admirandam ſtructuram atque delineationem vaſorum hepatis uterini, quam proinde reti mirabili, quod baſi cerebri ſubjicitur, comparare non dubitat; Structuram vaſorum iſtorum inveniri exiſtimat, ſi placenta chorio annexa aquae calidae ſaepius immergatur, ut ſanguis à glandulis, ex quibus ſubſtantiam hepatis uterini contextam eſſe putat, ſollicite abluatur. Ita enim, cum hepar uterinum, ſecundum *Elsneri* ſententiam, nihil aliud eſſe compareat, quam glandula conglomerata, ex infinitis glandulis, acinos referentibus conſtans, quibus ſanguinis copia ſuperfuſa ſit; Hinc glandulas iſtas, ſenſim atque ſenſim à vaſis vult ſeparandas eſſe; Qui labor, licet taedioſus, in fine tamen pro labore ſuſcepto ingentem cauſaturus ſit jucunditatem, quam quis hauriet ex aſpectu iſtorum vaſorum in pelvim vitream aqua plenam injectorum: Extremitates enim vaſorum, ut *Noſter* pollicetur, infinitas & delicatisſimas plumas candidas aquae innatantes oculis ſubjicient. Figura, qua mira ſecundinae humanae textura cum vaſorum delineatione exhibetur, dicta obſerv. XL. Dec. I. Ann. I. p. 112. ſiſtitur, lectorque curioſus, qui plura de hepate uterino ſcire deſiderat, ad *Nicolai Hobokenii*, Ultrajectini, anatomiam ſecundinae humanae, quindecim figuris illuſtratam remittitur.

§. DCXXXV.

Huc pertinet obſervatio LXXVI. ejusdem decuriae de oſſe cuneiformi in pueris, quod DD. *Laurentius Wolffſtrigelius*, anatomes profeſſor in *academia Viennenſi*, non ex quatuor, quod

quod *Fallopius* & *Riolanus* praetendunt, ſed tribus tantum partibus in nuper natis & abortivis foetibus, quos frequenter diſſecuit, conflatum ſaepius obſervavit; Tum & primam illius partem, quae ſphaenoidea ſella dicitur, in foetu perforatam reperit, contra ac in adultis fieri conſuevit.

§. DCXXXVI.

Anno 1671. collegium medicum Halae Magdeburgicae foeminam 20. annorum, ob crimen incendii & furti decollatam, cultello anatomico ſubjecit, in qua praeter pulmones, diaphragmati & pleurae firmiter annexos, aliaque obſervarunt, qui ſectioni aderant, *cor plane inverſum*, ac ſiniſtrum ejus ventriculum dextram thoracis partem occupantem, arteriam vero magnam ſtatim ſupra cor in viam ſeu latus ſiniſtrum, quaſi erroris ſui memorem, redeuntem, nullius interim alterius partis ſitu mutato.

§. DCXXXVII.

Anonymus quidam curioſus obſervatione CLVII. anni II. dec. I. conjecturas quasdam de nova via ſeri ad renes delabentis academicis communicavit, conjecturas, inquam, ſeu rationes quasdam *a priori*, non veras anatomicas demonſtrationes *a poſteriori*. Exiſtimat enim, uti ſuperius jam commemoravimus, urinae materiam non per vaſa tantum emulgentia in renes ferri, ſed etiam, & quidem potiſſimum per *veſiculas ſeu vaſa circa adipem renum*, quam ex meſenterio & propinquo *Pecqueti* receptaculo chyli per adipem ſerum urinoſum ad renes transveherent. Fundamenta hujus ſuae adſertionis haec ſunt: 1) Quod ex compresſione adipis talis ſalſus liquor effluat: Quanquam hic conſcientia rei incertae Dn. *auctorem* fateri cogat, ex anglis quosdam, quibus mentem

ſuam ea de re aperuerit, adhuc negaſſe, tales ductus per anatomen reperiri poſſe. II.) Quod poſt uſum terebinthinae, exactis duabus horis, odor ejus deprehendatur in urina, qui tamen in ſanguine, eo tempore vena educto, non ſit. III.) Quod impoſſibile ipſi videatur, in bibonibus tantam ſeri copiam, quantum eſt urinae, tam celeriter per ductum thoracicum ferri, & ſanguini per totum corpus miſceri, cum non videamus, arterias & venas tantopere tunc augeri. IV.) Quod incredibile videatur, materiam tam craſſam, purulentam fibroſamque in diabete prius in arteriis fuiſſe & cor corpusque pervaſiſſe; Cum probabile ſit, ex tali impuro ſanguine longe alia & quidem atrociora ſymptomata oriri debuiſſe, quae actu tamen non exiſtant. V.) Quod per urinas acus aliaque mirabilia excreta fuerint, quae per arterias iviſſe abſonum ſit. VI.) Quod ipſe uſus diureticorum valde calidorum doceat, urinas potius ita pelli, quam ſanguinem inflammari. Poſtremo, quod anatome viri ex diabete & calculo mortui docuerit, externam renum tunicam plane laceratam & minutis arenulis obſitam fuiſſe, plus quam ipſam pelvim. Verum, praeterquam quod neutra harum rationum ulla probabilitate ſeſe commendet, conjecturis etiam in rebus anatomicis, ubi autopſia opus eſt, nullus locus relinquendus eſt.

§. DCXXXVIII.

Abſentiam *columellae* in puella quadam à nativitate, quae tamen nihil inde incommodi paſſa ſit, obſervavit DD. *Ehrenfried Hagendornius*, practicus Görlicenſis Luſatus. Huic adfinis eſt obſervatio DD. *Alardi Hermanni Cummeni a Cummen*, Sereniſſ. Duciſſ. *Brunsvicenſis* & *Lünaeburgenſis* conſiliarii & medici cubicularii, de arteriis ſpermaticis deficientibus: Quanquam enim alias *Regnero de Graef* viſum fuerit, nugari omnes

omnes anatomicos, qui aliquando unam, aliquando utramque arteriam ſpermaticam defuiſſe dixerunt: *Noſter* tamen in aliquot ſubjectis tam brutis quam humanis defectum talem autopſia confirmatum adnotavit. Diſſecuit nempe canem maſculum, qui nullas habebat arterias ſpermaticas, vena tamen illius nominis in utroque latere optime conſtituta. Idem notavit in lupo, hacce tamen differentia, quod in hoc exiguus ramus ex arteriae magnae ramo iliaco ſiniſtro ejusdem lateris venae ſpermaticae inſereretur. In alia cane foemina ne veſtigium quidem arteriarum dictarum ſpermaticarum deprehendit, licet novem catellis gravida eſſet, ſicuti & ipſe canis maſculus, cujus modo meminimus, non obſtante arteriarum ſpermaticarum defectu, ſalacisſimus atque foecundus fuit. Et quod hoc modo in canibus, lupo & lepore, idem quoque in corpore foeminae, quae ob perpetratum parricidium capitis ſupplicium ſubierat, obſervavit, in cujus quippe cadavere arteria ſpermatica utriusque lateris deficiebat, ramulo interim exiguo ab arteria hypogaſtrica ad teſtes delato. Eundem quoque arteriarum ſpermaticarum defectum annotavit DD. *Carolus Raygerus*. Lienem duplicem, alium minorem, ovi magnitudine & figura, juxta pancreatis corpus, alium majorem, duos pugnos aequantem, coſtis nothis & diaphragmati firmiter adnexum, utrosque tamen corruptos ac ſemiputridos invenit DD. *Henricus Sampſonius*, medicus Londinenſis.

§. DCXXXIX.

Jungo hisce obſervationibus problema, quod enodandum ſibi ſumpſit L. *Sigismundus Grasſius*, Phyſicus *Swidnicenſis*, *qua* nempe *via pleuriticorum ſputa ad arteriam aſperam perveniant?* *Noſter* cenſet, per easdem vias materiam peccantem ex pleura

pervenire ad pulmones, per quas pleuritidis in peripnevmoniam fit transmutatio: Hanc autem fieri existimat per venas in pleuram desinentes, inprimis ἄζυγον. Dubium vix cuipiam relinquere putat viam tam brevissimam, quam amplissimam, quae quippe talis sit: Humorem nempe ex parte turgente per ἄζυγον in cavam, pronoque impetu per dextrum cordis ventriculum in venam arteriosam seu arteriam pulmonalem, adeoque in pulmones regurgitare; Ex his tandem ab arteriae asperae radicibus absorptum tussi rejici existimat, huncque fiendi modum aliis experimentis practicis confirmat.

§. DCXL.

Anno *tertio decuriae miscellaneorum curiosorum primae* adnexa est *Jacobi Rolandi de Belebad*, chirurgi *Salamuriensis* aglossostomographia, sive descriptio oris sine lingua, quod perfecte loquitur & reliquas suas functiones naturaliter exercet, quam, additis annotationibus e gallico in latinum sermonem vertit DD. *Carolus Reygerus*. Missis vero iis, quae de ordine tractationis *Auctor* praefatus est, id solummodo notamus, quod *capite tertio* de naturali conformatione & usu ordinario linguae in homine ex professo agat; Quod cum argumentum nostrum, nempe anatomicum, proxime stringat, hic sane omittendum non fuit.

§. DCXLI.

Foetum tubarium possibilem esse, ex epistola *Johannis Sigismundi Elsholtii*, medici Electoralis Brandenburgici, ad D. D. *Wolrathum Huxholtium*, Sereniss. Principis *Landgraviae Hassorum* regentis archiatrum, de conceptione tubaria, qua humani foetus extra uteri cavitatem in tubis quandoque concipiuntur, patere potest; Quanquam enim *Benedictus Vassalius*, Chirur-

chirurgus *Parisiensis*, in cadavere foeminae triginta duos annos natae duas matrices sibi detexisse visus sit: *Noster* tamen non sine fundamento reputat, gemino utero *Parisiensem* illam gravidam non instructam, sed dextram tantum uteri genuini tubam dilatatam fuisse, in qua embryo conceptus delituit.

§. DCXLII.

Huic observationi analoga est, quae *anno VI.* ejusdem hujus *decuriae* pag. 289. & sequentibus occurrit, atque de ovario humano & tubis uteri agit. Etenim ad illustrandam hypothesin *de conceptione hominis ex ovario* eximiam nactus est *Auctor* occasionem, dum foemina triginta annorum, jam tum sex liberorum mater, homicidii convicta gladioque percussa, ad anatomen curiosis concessa fuit: Quo in cadavere in partes genitales adcuratius inquisivit, inque tubis & ovario sequentia observavit: Tubas nempe uterinas cum *Spigelio* & *Highmoro* non pro coecis habuit ductibus, sed cum *Veslingio* aliisque insignia & admodum conspicua vasa vel potius canales, in uteri fundum manifesto patentes, deprehendit. Cui suo adserto non modo fidem conciliavit ex inflatione per canaliculum facta, qua aër ore in proboscidem insufflatus per extremum angustum in uteri cavitatem ingreditur, sed & liquorum coloratorum injectione idem patefit, qui pariter tam manifeste per ductus istos in uteri cavum transeunt, ut nullus dubitationi locus amplius relinquatur. Hinc vero etiam delucescere putat, valvulam in uterum patere, sed retrorsum neutiquam, siquidem non tantum difficulter stylum admitteret, sed & frustra liquores per valvulam sursum pellerentur.

§. DCXLIII.

De *proboscide* notavit *Noster*, laceram illam & quasi attritam à se semper observatam esse. *Ovaria* seu *testes* vidit obvelare

membranam ſatis validam, ex qua, cum in dextro ſcinderetur, humor ex albo citrineſcens effluebat. Siniſtrum ſervavit quidem integrum, utrumque tamen in ferventem aquam per medium horae quadrantem ſimul conjecit, tandemque extracta induruiſſe animadvertit, conſpicuis per ſuperficiem ovulorum eminentiis; Quae tamen ova poſt diſſectionem magis in conſpectum ſeſe dederunt, ſuis ſingula cellulis albicantia atque inde facile exemptibilia. De brevi iſto ductu, qui vaſis deferentis titulo communiter ab ovario ad uterum, aut potius ab utero ad ovarium tendit, animadvertit, illum iſto in cadavere non penetraſſe, ipſi viſum eſſe, licet alii hunc ductum pervium ſe inveniſſe crediderint, quorum proinde fidei nihil derogare cupit.

§. DCXLIV.

Caeterum occaſione hujus obſervationis in memoriam ſibi revocat *Benedicti Vaſalii* deſcriptionem duplicis uteri, ſuamque, quam de hac hiſtoria jam olim foverat, opinionem, iterum iterumque defendit, certo perſvaſus, *foetum iſtum extra uterum in medio tubae* conceptum fuiſſe: Cum non potuerit in ampla uteri cavitate primum conceptus fuiſſe, ac deinde demum per anguſtum tubae extremum, valvula uteri inprimis renitente, ſurſum in medium tubae trudi; Contra autem vero magis ipſi conſonum videtur, principium propagationis ſuae deſuper accepiſſe hunc foetum & illud quidem (ovum nempe animatum) in media via, dum deſcendebat, haeſiſſe atque ob impedimentum aliquod ibi ſubſtitiſſe; Id quod ſingulare argumentum eſſe credit, non fieri in utero conceptionem, niſi ex ovario vel teſtibus aliquid in uterum deſcendat: Quod profecto ſyſtema naturali omnium partium genitalium conformationi usque adeo conſentaneum

eſt,

est, ut sua claritate & evidentia plerorumque aliorum praefigurationes longissime superet.

§. DCXLV.

Anno hujus decuriae ephemeridum curiosarum postremo observatione CLXXX. commemorat *Johannes Baptista Verle*, qua ratione parens ejus, *Johannes Verle*, primum anatomiae artificialis oculi humani specimen ediderit, verum tunc quidem ebore & osse tecti; Quod cum ob novitatem (pluribus quantumvis partibus mancum) placeret omnibus, qui id viderunt, dictum ejus parentem id devinxit, ut, quemadmodum etiam *Venetiis* diu fecit, illam continuaret. *Noster* vero, suarum esse partium existimans, non negligere, sed potius provehere illam tanquam paternam haereditatem, perrexit, adjiciendo (ex eadem tamen materia) alias novas partes, & insistens instructioni doctissimi professoris, D. D. *Molinetti*, sicque tandem hisce similes alios confecit. Ex quo tempore subiit ipsum desiderium artificiosa anatomia non tantum hocce sensorium, nempe oculum, sed reliqua sensuum organa imitandi, exprimendo ea non ebore solum & crystallo, sed cera, glutine, gypso, serico, filis laneis lineisque, lana varie texta, membranis, pellibus animalium &c. Quod vero reliquum est, descripsit adhuc ordinem atque rationem, juxta quam sedulas suas observationes in oculo instituit, subjunctis monitis atque cautelis necessariis, secundum quas oculi istius artificialis partes, inprimis vero tunicae, tractandae & custodiendae sint.

§. DCXLVI.

Ast veniamus nunc ad *alteram miscellaneorum curiosorum decuriam*, quae, quo ditior est in accumulandis variis egregiis observationibus practico-clinicis; Ita in inventis novis

anatomicis in apricum deducendis tanto eſt ſterilior. *Anno ſecundo obſervatione* CXXVIII. occurrunt rariora quaedam noviter obſervata in quodam cadavere, à D. D. Georgio Franco, Prof. t. t. *Heidelbergenſi* & Sereniſſimi *Marchionis Badenſis* archiatro communicata, qualia ſunt: Muſculos pyramidales ad 6. digitos transverſos longos, ad radicem in oſſe pubis ultra duos latos ſenſimque ita deſinentes, admodum robuſtos in homine probe mentulato fuiſſe conſpectos; Quo commotus anatomicis iſtis accedere non dubitat, qui pro robore genitalium datos eſſe ſtatuerunt. Credit inſuper, dictos pyramidales ordinarios eſſe; Ipſe ſaltem, in omnibus cadaveribus à ſe diſſectis inventos eſſe, teſtatur; Quinimo apud praeceptores olim ſe vidiſſe, probe recordatur: Ut extraordinarium eſſe reputet, ſi deſiderentur. Monet tantum, in ſeparatione illorum cautela opus eſſe; Unde toties riſit diſcipulos, quando abeſſe illos crediderunt, qui tamen per encheireſin admodum validi deprehendebantur. Muſculos abdominis rectos quatuor habuiſſe inſcriptiones in corpore lacertoſo ſimiliter animadvertit; Quod ipſum impulit ad credendum, tot diverſos eſſe muſculos, quot inſcriptiones eos diſcernunt. In transverſis abdominis muſculis id notabile obſervavit, quod nunquam vel vidiſſe vel alibi legiſſe recordatur, nempe inſcriptionem membranoſam & pinguem per medium illos fere diſcidiſſe, ſi finem verſus umbilicum ad duos digitos transverſos excipias. Inteſtinorum longitudinem 20. ulnas noſtrates exceſſiſſe conſpexit, cum homo tamen mediocris eſſet ſtaturae. Hepar longe maximum ad libras tres cum ſemiſſe fuit, quod convexitate ſua totum laquear diaphragmatis adimplevit & perpendiculariter ad utramque papillam deſiit, quem tamen ſitum naturalem eſſe autumat, quia in omnibus cadaveribus ita invenit; Secus ac plerique, qui

credunt,

credunt, ſaltem in dextro haerere hypochondrio, cum utrumque repleat, magis tamen dextrum.

§. DCXLVII.

Pertinet huc epiſtola DD. *Michaëlis Bernhardi Valentini*, quondam profeſſoris medicinae *Gieſſenſis*, quam de nova matricis & morbonae muliebris anatome aliisque obſervationibus curioſis ad illuſtrem & magnificum DD. *Johannem Danielem Widtium*, diverſorum imperii ſtatuum cameraeque Imperialis *Spirenſis* archiatrum dedit. Is nempe in puella 18. annorum, quae ob perpetratum à ſe infanticidium decollata fuerat, ſequentia vel nova vel inſolita obſervavit. Praeter ovarium, tubae Fallopianae ductum ejusque expanſionem foliaceam contra *Sylvium*, qui urethrae exitum ſub alis ſeu nymphis eſſe ſcripſit, aliam urethrae inſertionem, quae ſub una caruncularum myrtiformium erupit, adſtantibus demonſtravit. Vaginam uteri ſcalpello leviter vulnerans erupiſſe vidit plurimas conglomerationes botriformes, ex indefinitis ovalis figurae glandulis conſtantes, & ad levem quemvis contactum liquoris ſpumoſi albicantis quippiam eructantes: Diducto vero hinc paulatim ipſo vaginae ductu, ſuperficies interna racemis illis glanduloſis tota fuit obſita, altius tamen in utroque latere protuberantibus ſuique veſtigia ad extremum usque orificium ſequentibus, donec carunculis myrtiformibus maritentur, quas pariter nihil aliud eſſe, quam glandularum harum productiones, eodem cum illis officio perfungentes, probabile credit. Hoc autem glandularum iſtarum vaginalium officium eſſe putat, ſecernere liquorem, qui ad ſeminis virilis excellentiam & indolem quidem non accedat, ſed ſublestum generationis negotium quoddam inde mollimentum & illecebrarum argumentum habeat, praeterea ipſum

ipſum quoque partum facilicet, dum nempe foetus in tranſitu per vaginam uteri presſione ſua lentorem quendam dictis ex glandulis emungat, eoque ipſo vias magis lubricas reddendo partum faciliorem reddat. Quod uti in ſtatu ordinario & naturali ſic ſeſe habet: Ita non minus in ſtatu morboſo racemos iſtos vaginales verum nidum & focum eſſe credit, in quo morbona muliebris, variis nempe catarrhis, lymphae effuſionibus, ſtagnationibus, corruptionibus &c. tragoedias ſuas ludat, excepta ſaltem menſtruorum oeconomia. Ex eodem fonte tentiginem, furorem uterinum, clitoridis inſaniam, inſomnia venerea, pollutiones nocturnas imo &, quod miror, prolapſum uteri, chloroſin ſeu febrim virginum albam, fluxum itidem uteri album &c. *noſter* derivat.

§. DCXLVIII.

Hiſce obſervationibus adfinis eſt relatio hiſtorica, quam de duplici utero in foemina 20. annorum exhibuit D. *Divnis*, chirurgus regius *Pariſienſis*, cujus anatomiam ſeorſim ſuperius recenſuimus. Ne quis vero cauſam haberet ſuſpicandi, quaſi nempe matricum altera non ſit verus uterus ſed ejusdem tantum tuba, quod de *Benedicti Vaſſalii* obſervatione vidimus paulo ſuperius judicaſſe *Elsholzium*, archiatrum Electoralem *Brandenburgicum*: Hinc partem iſtam, ſiniſtro in latere ſitam, quae infanti in abdomen egreſſo hoſpitium antea praebuerat, ab ordinario & vero utero duorum digitorum transverſorum ſpatio diſtantem, pro redundante habere non dubitavit: Quia in parte ſua laterali ſiniſtra omnia habuit, quae cavitati matricis ordinariae adhaerere ſolent, nempe vaſa ſpermatica, teſticulum unum, cornu ſive tubam unam, ligamentum latum & rotundum. Cum vero easdem partes in regione corporis dextra non inveniret, ulterius in illas

inqui-

inquisivit viditque, illas adhaerere corpori paulo, quam praecedens, minori, in medio hypogastrio sito, versus dextram regionem, figura simili cavitati uteri, nisi quod crassior esset & longior, quam in statu suo naturali esse solet. Et hanc quidem vere cavitatem uteri esse, archiatris & chirurgis regiis praesentibus ostendit, qui omnes mirati sunt, duas omnino similes cavitatis uteri partes reperiri, cum hac sola differentia, quod sinisterior similis esset cavitati extensae, quae infantem continuit, altera vero cavitas in conveniente sua magnitudine constituta. Interea duo illa corpora collo matricis continua esse deprehendit.

§. DCXLIX.

Meretur huc etiam transferri experimentum anatomicum, quod medicus & anatomicus *Monspeliensis* accuratissimus, Dn. *Chirac* praesente D. *Emanuele Königio* instituit, quique dignum illud judicavit, quod *Ephemeridibus* N. C. insereretur. Experimentum vero sic se habuit: Cani jugulum aperuit, & nervos recurrentes vicinosque alios, qui cor ferire aut surculos ipsi communicare poterant, dextre digitis evulsit, pulsu interea cordis ad attactum aucto celeriorique reddito, sicque persistente ejus motu & vita, ut dimissus canis ad 42. usque horas, non sine admiratione eorum, qui experimento aderant, vitam protraheret. Quod idem aliquoties postea repetitum, multis aliis incredibile visum est. Solertius interim perpendendum relinquitur iis, qui motum cordis systalticum pariter ac diastalticum per nervos, spiritus ita dictos animales ipsi communicantes, expediri, vane sibi hactenus persuaserunt.

§. DCL.

Et quanquam suo loco jam indicatum fuerit, *DD. Johannem*

Conradum Peyerum duabus integris exercitationibus de glandulis inteſtinorum luculenter ſatis egiſſe: Nihiloſecius cum non defuerint, qui partim exceſſu partim defectu ipſum peccaſſe autumarint, conſultum eſſe duxit, obſervatione CXXXII. anni VI. cent. II. denuo cauſam ſuam perorare atque demonſtrare, quod non modo nunquam in mentem ipſi venerit abſurda ſententia, à non nullis ipſi obtruſa, quaſi nempe totum ventriculum cum inteſtinorum univerſo tractu glanduloſum eſſe crediderit ſicque in exceſſu peccaverit, verum etiam, quod, quicquid glanduloſi in inteſtino duodeno comparet, dudum ſibi perſpectum cognitumque fuerit. Neque enim nos, inquit dicta in obſervatione, internarum tantum glandularum genus inteſtinis eſſe multiplex oſtendimus, tam *gregalium* quam *diſperſarum*, ac praeterea intimum velamen inteſtinorum, quod alii cruſtam appellant, diximus naturam glandulae totum ſapere ac affine quadantenus eſſe membranae narium fauciumque pituitoſae, imò hac eadem multo adhuc potius, fabricae nimirum concinnitudine & uſu: Sed inſuper adhuc eximii duo ſcriptores, M. *Malpighius* & *Guil. Cole* glandulas duodeno ſeorſim attribuerunt. Quam ſuam ſententiam deinde non iteratis modo experimentis ſed & aliis argumentis confirmavit. Idem vero *Peyerus* praeter glanduloſam fabricationem in duodeno ſingularem etiam fibrarum nervearum ſtruem reperit, carnis tenuiſſime diviſae quadam ſimilitudine, quae conjunctis apicibus in nodulos quaſi aut tubercula valde minuta & depreſſa concreſcant, ſtipantia nerveam tunicam, cui penitius inhaerent adſtricta vinculis, ut tanto minus de origine & natura dubites.

§. DCLI.

Eadem propemodum fata, quae glandulae inteſtinales

Peyeri

Peyeri ſubierunt, eadem, inquam, experta ſunt experimenta nova DD. *Brunneri* L. B. à *Brunn*, circa pancreas inſtituta. Quanquam enim rem omnem jam olim ſatis confeciſſe videri potuerit: Conqueritur tamen obſervatione CXXXII. dec. II. anni VII. *Ephemeridum Germanicarum*, repertos fuiſſe, qui de experimentorum ſuorum certitudine dubitaverint & decantatam bilis flavae cum ſucco pancreatico efferveſcentiam ſubinde ſuis in ſcriptis à carie revocaverint. Ne itaque dicta experimenta magno olim ſtudio exantlata, in ipſo ſui ortu ſtatim iterum occiderent, novis iſta ſua adſerta experimentis ſuffulcire, ſuarum eſſe partium exiſtimavit, quae citata in obſervatione uberius legi poſſunt.

§. DCLII.

Novam vaſorum ſeminiferorum & lymphaticorum in teſtibus communicationem anatomicis monſtravit DD. *Rudolphus Jacobus Camerarius*, medicinae in *academia Tubingenſi* P. P. *Novam* vocat, quia, licet vaſorum lymphaticorum in hac parte praeſentia ab aliis jam demonſtrata fuerit, hanc tamen communicationem à nemine adhuc, quantum ipſe quidem ſciat, deſcriptam eſſe retur. Id quod praemonere adeo conſultum duxit, ut omnes intelligerent, ſe, quae adducturus eſſet, non ab aliis accepiſſe, ſed proprio marte inveniſſe, ignarus interea, an prius ab aliis fuerint viſa vel deſcripta. Intelligit autem per vaſa ſeminifera teſtium proprie dictorum in maſculo, non ovarii in foemina, vaſa ita vocata deferentia ſeu ejaculatoria, quae cum lymphaticis ſingularem habere communicationem non ſolum inde evincit, quod utraque ex una parte oriuntur, ſed quoniam fluido immiſſo in unum, tranſitus conceditur in alterum. Experimentum, inſtitutu non adeo difficile, ſic ſeſe habet: Immittatur tubulus in

 cavita-

cavitatem vaſis deferentis aërque infletur fortiter, ſic, ubi nullum prius vaſorum lymphaticorum indicium, plurima ſe manifeſtabunt primum in ipſa ſuperficie teſtis, poſt juxta ductum arteriae & venae ſpermaticae exterius quatuor vel quinque majores ductus elegantes, vaſis tamen dictis ſanguineis non inflatis.

§. DCLIII.

Commode hic ſuum quoque locum invenit obſervatio DD. *Johannis Mauritii Hoffmanni* de cartilagine media oſſium pubis in primipara, quae poſt mortem ejus mollis atque ſpongioſa reperta eſt, & quae proinde divulſioni oſſium pubis, quam recentiorum pariter ac antiquiorum quam plurimi defenſam ivere, patrocinari videtur. Eſt autem haec *Hoffmanni* ſententia, cartilaginem mediam oſſium pubis in foeminis juvencis ab humiditate allabente laxiorem redditam eſſe ſequacem & elongationem aliquam ſive diſtenſionem in partu ob foetus magnitudinem vel ſitum incongruum difficiliori (citra tamen manifeſtam continui ſolutionem vel perruptionem) admittere; Qua in opinione ipſum confirmavit infanticida primipara à ſe diſſecta, ubi cartilago *συγχονδρωσιν* oſſium pubis ſuſtinens, mollis & ſpongioſa ſive cavernuloſa adhuc extitit, ut ad levem cultri contactum mox ſeceſſerit. Majorem vero haec obſervatio lucem accipiet, ſi, quae ſuperius de ſimili propemodum obſervatione in meretrice juvencula adnotaverat *Henningus Arniſaeus*, huc transferantur.

§. DCLIV.

Hymenis ſeu membranae clauſtro virginali praetenſae exiſtentiam, quam alii dulce ſomnium eſſe putant, probare ſuſcepit DD. *Johannes Caſparus Weſtphalus*, non quidem rationibus, ſed autopſia, creditque, vel maxime adeſſe omnibus

illibatis

illibatis virginibus hymenem, virginitatis flosculum & infallibile indicium. Largitur quidem, in quam plurimis deesse membranam istam, sed id non vitio naturae, sed contrectatione manus petulantis fieri opinatur. Quid vero ipsemet, inspiciendo corpus puellae 15. annorum, quae incestus cum privigno commissi rea agebatur, deprehenderit, his exponit verbis: *Diductis per obstetricem vulvae labiis, membranam transversam diaphragmatis instar expansam, in qua non foramen rotundum, ut quidam statuunt, sed rimulam conspeximus oblongam. Hanc serti instar cingebant, & complicata inter se erant vascula illa sanguifera, ex quarum non violento quidem sed levi duntaxat contactu vel laeso camisiorum cruentatio deducenda venit. Sita erat haec membrana à collo tergi vesicae & sub meatu urinario circa confinia carunculae myrtiformis terminabatur.* Quibus ita praemissis provocat ad autopsiam & auctoritatem aliorum anatomicorum, *Bartholini*, inprimis *Blegnii* & suamque illorum observationibus sententiam firmat ac roborat.

§. DCLV.

In eadem denique *decuria anno nono observatione* CCXXIV. DD. *Johannes Mauritius Hoffmannus* sciagraphiam notabilium in anatomia corporis feminini visorum exhibuit, quorum haec fuit series: Glandulas subcutaneas miliares elegantissimas, de quarum existentia nonnulli modernorum subdubitare coeperunt, sub cutis interiori superficie innumeras fuisse conspectas, quarum etiam nonnullas cultri acie sedibus suis evulsas spectatorum oculis propius usurpandas dedit; Glandulas itidem in plexum gregalem junctas duodenum, jejunum ileumque hinc inde oculis obvertisse; Valvulam coli non circulum quendam carnosum, uti à nonnullis delineatur, sed geminam quasi pelliculam esse, ita affabre factam, ut

 relapsuris

relapſuris ex colo faecibus cataractae vices, dum clauditur, praeſtare poſſit, αὐτοψίαν monſtraſſe; Meſenterium trunco majori arteriae meſentericae ſuperioris ac venae glandulam inſignem incumbentem viſui exhibuiſſe, quam pro pancreate *Aſellii* humano habuit *Noſter.* Folliculum felleum, mediante inciſione apertum, ſub tunicae intimae mucagine aſpredines glanduloſas hinc inde prominulas oſtendiſſe, leni facta preſſione tantillum bilioſi humoris reddentes; Et annulum fibroſum cervicem cyſtidis ambientem bilisque ſpontaneum & perpetuum effluxum tantiſper coërcentem evidenter conſpectum fuiſſe; Veſicam urinariam, tunica communi prius ablata, flatu diſtentam fibras motrices carneas in longum exporrectas oculis uſurpandas conceſſiſſe; Arteriam ſpermaticam dextram ex aörtae trunco deſcendente enatam, mox in progreſſu gemina anaſtomoſi venae ſociae ex trunco adjacentis cavae dimiſſae, junctam fuiſſe, inter ejusdem venae dein mutuo implicitum propagines, ſerpentino quaſi ductu, ad ovarium deſcendiſſe: Siniſtram autem arteriam ſpermaticam, ex emulgente propinqua exortam, ſuſtinuiſſe pariter ſingulari naturae luſu arteriam, ad renem ſuccenturiatum ſuperiorem aſſurgentem; Circa diviſionem bronchi in bronchia pulmonalia glandulas tres haeſiſſe conglobatas nigricantes &c.

§. DCLVI.

Verum tempus jam eſt, ad *tertiam decuriam miſcellaneorum naturae curioſorum* tranſitum faciendi, quae quidem iterum, ſi verum fateri liceat, numeroſo inventorum novorum anatomicorum proventu non luxuriat: Nihiloſecius, quae in eadem occurrunt obſervationes, ſicco pede penitus praetereundae non ſunt. Rarum atque curioſum eſt, quod in decollata, cultro anatomico ſubjecta DD. *Michaël Bernardus*

Valenti-

Valentinus, in *Academia Giessena* med. P. P. ord. mucronem sterni bifidum deprehenderit, quanquam, ut ipsemet addit, idem quoque *Bartholino* visum & observatum sit, simileque cartilaginis sterni mucronatae, praeter consuetudinem & ordinarias naturae leges bifurcatae & semilunaris exemplum quoque adnotaverit scholiastes, *Wurffbainius*. Et, si privatam quoque observationem addere liceat, adservo adhuc sceleton foeminae, ante *triennium* nostro in theatro anatomico sectae, cujus cartilago ensiformis non solum bifida est, sed & in latiore ossis sterni parte, tribus digitis transversis ab ejus mucrone rotundum conspicitur foramen, per quod sine dubio vasa mammaria suum habuere transitum: Ordinarie enim perforata non est, sed vasa mammaria à latere ejus emergunt. Confer, si placet, *Selecta Francofurtens.* Tom. I. obs. I.

§. DCLVII.

Anno secundo ejusdem *decuriae* DD. *Johannes Jacobus Wagnerus* exhibuit observationem de puero, binis uvulis instructo, aequalis ac solitae magnitudinis, quae tamen, ut facile cogitare licet, obstaculo ipsi fuere, quo minus & ipse verba distincte proferre & ab aliis intelligi potuerit. Contra vero DD. *Johannes Mauritius Hoffmannus*, Professor *Altorffinus*, nova peritonei diverticula adnotavit, quae tamen solertissimum quondam *Lugdunensium* anatomicum, *Antonium Nuckium* jam vidisse & in adenographia sua descripsisse fatetur, quae nempe à peritoneo originem habentia ex orificio angustiori in capsulas latiores expandantur, atque naturaliter ligamenta uteri rotunda non solum excipiant, sed & transmittant, oblique per tendines musculorum extensa, & supra pubis ossa in fibrillas divisa prope clitoridem evanescentia. Addit tamen praelaudatur *Nuckius*, praeter naturam intra diverticula ista intestinum prolapsum herniam inguinalem efficere, &, quia ob ostii angusti-

anguſtiam difficulter regreditur, laqueo quaſi conſtrictam inflammationem, gangraenam demumque mortem parere; Id quod ſingulari obſervatione *Hoffmannus* noſter confirmat in foemina foeta, quae à ponderis gravioris elevatione iſtud mali genus, & inteſtini in diverticulum peritonei ſiniſtrum prolapſum perpeſſa erat, cujus repoſitio cum fruſtra tentaretur, ſeptimo die ileus & mors ſupervenit.

§. DCLVIII.

Similiter DD. *Güntherus Chriſtophorus Schellhammerus*, *olim* in *Jenenſi*, deinde vero in *Kilonienſi Academia* P. P. ordinarius, communicavit *ephemeridum germanicarum collectoribus* obſervationem de *vaſe chylifero-lymphatico* coli noviter demum reperto. Quanquam enim plerique anatomicorum teſtentur, colon ſuis quoque lymphaticis gaudere; Neminem tamen eorum adhucdum demonſtraſſe, praetendit *Schellhammerus*, qualia illa ſint, & quomodo terminentur in veſiculas chyli? Hanc autem felicitatem ſibi obtigiſſe profitetur, cum ultima in *Academia Jenenſi* anatomia perfungeretur. Cum enim totum colon cum coeco reſectum à recto & ileo, illaeſo tamen meſenterio, eximeret, in tabula varie verſaret & vaſa cera impleret, oſtendere conſtituiſſet, cumque arteriae meſentericae inferioris (quam totam ad colon etiam pertinere exiſtimat, quamvis id vulgo ignorent Doctores) truncum & ramos ſepararet, inque id flatum ſubinde per tubulum emitteret, ab errante flatu aliud vas egregie intumeſcere vidit; Quod cum non eſſet vena, neque etiam arteria, quam filo ligatam manibus tenebat, immiſſo altius flatu, intercipere eum redeuntem filo jusſit, ſicque illico apparuit pellucidum, eoque ipſo lymphaticum eſſe agnovit. Egregio autem ſpectaculo oculos animumque exhilaraſſe, lubens confitetur

Schell-

Schellhammerus, cum e trunco mesocolon perreptante versus intestinum permultos ramulos emittere videret, qui se inter duplicaturam membranae insinuabant, ibique diu sub externa conspicui, sensim in minima abeuntes, oculorum aciei sese subducerent. Non autem, uti porro dicta in observatione enarrat *Schellhammerus*, ad finem usque coli versus rectum ibant, sed desinebant post superatas duas ejus tertias, ubi renem sinistrum contingit, vel paulo inferius; Inde enim truncus versus dextrum tendebat: Ex altera vero parte sinistra alius ascendebat sursum versus, ut, quantum conjicere liceret, exacte colligerentur uterque truncus in ductum communem ad dextrum latus ventriculi, ubi brevissima & ad cisternam lacteam via, in quam, ut *Noster* opinatur, haud dubie ille desinit.

§. DCLIX.

Glandulae lacrymalis *Harderianae* realem existentiam non in cervis tantum & damis, verum etiam in aliis diversi generis animalibus, cuniculo v. g. sciuro, lepore, apro &c. confirmavit DD. *Samuel Nebelius*, olim in *Marburgensi*, nunc vero in *Heidelbergensi Academia* Professor medicinae ordinarius. Quem in finem cervino in capite osseam oculi orbitam diffregit, e qua integrum oculum sua adhuc dum pinguedine obductum extraxit, & *glandulam Harderianam* juxta musculum oculi adducentem illico conspexit, adipe dimidia fere ex parte tectam, & in interiore ac decliviore orbitae sede locatam, cujus superficiem quam plurimi vasculorum sanguiferorum plexus occuparunt. A lateribus tam nervulorum, quam vasorum sanguiducorum surculi flexuose circumducti plures observati sunt. Ductus excretorius satis manifestus ex anteriore glandulae extremitate prodire, & juxta vulgaris glandulae lacrymalis alterum latus, ad nictitantem

tunicam progredi visus est, in cujus inferiore limbo sub membranacea plica, ceu valvula, patenti ostio hiavit. Flatu in hoc ostium immisso tota illico glandula intumuit, & albis hinc inde maculis notata fuit. Postea exterior glandulae membranacea tunica facili negotio detracta fuit, cui subjecta & per tenues fibrillas nerveas connexa fuit alia tenuior ac delicatior, glandulam immediate cingens, eique firmiter adhaerens. Hanc dum paulo exactius perlustraret, in posteriore glandulae extremitate deprehendit plures membranaceas cellulas, ut valvulas, multis foraminulis pertusas, & flatum in ipsam glandulae substantiam transmittentes. Has sanguine repletas esse vidit, atque hinc conjecit, cellulas istas totidem esse sinus, quibus sanguis per arteriolas ad glandulam allatus, post lymphae lacrymalis separationem, excipitur, & in proximam venam infunditur. Porosas itaque credidit esse venas in glandula lacrymali nova, ut sanguis eo promptius & celerius ex arteriis in venas transmeare posset, ne mora sua uberiorem lacrymarum copiam continuo suppeditaret, oculis & visui molestam. Tunica denique interiore remota glandula nuda in plures dividi potuit lobulos, qui, pulmonum instar, ex meris constare vesiculis membranaceis visi sunt, quae aëre, antea per ductum excretorium immisso, adhuc dum distentae fuerunt, & propterea facilius in conspectum prodiere &c. Quae tota structura ut tanto melius cognosceretur, non solummodo curavit, ut glandula lacrymalis antliae pnevmaticae submitteretur, verum etiam, ad vasorum hujus glandulae communionem tanto exactius investigandam, in ductum excretorium siphonis ope ceram liquefactam injecit, & mox non solum plerasque vesiculas, sed & omnia vasa sanguifera in glandulae confinio cera repleta vidit, unde conjecit, vasorum sanguiducorum extremas propa-

propagines glandulae veſiculas ſubire, aut forte in easdem ſubtilem ſuam tunicam laxare, ob exilitatem vero nil niſi tenuem lympham lacrymalem transmittere, quae in veſiculis collecta ſenſim per vaſculorum excretoriorum radiculas, e quavis veſicula pullulantes, in communem ductum profluat, e quo oculi bulbo affundatur pro continua ejusdem humectatione.

§. DCLX.

De clitoride ſingularia quaedam adnotavit DD. *Ambroſius Stegmannus*, medicus *Islebienſis*. Nempe non modo prodigioſam interdum crasſitiem & longitudinem adquirere eandem, ſed & in vidua, undecim liberorum matre clitoridem viſam eſſe, quae amplisſimo gauderet orificio, tantaque colli veſicae cavitate & longitudine, ut membrum virile, quod, quale, quantum in coitu perceptibilioris & acutioris delectationis gratia, illaeſa veſica & mictione, admiſerit.

§. DCLXI.

Nervorum atque tendinum fibras eſſe cincinnatas, non ſolum in variorum animalium, ſed & ipſorum quoque hominum corporibus expertus itidem eſt DD. *Daniel Nebelius*. Speciatim id animadvertit in ſtructura nervorum intercoſtalium taxi, inque diaphragmaticis ſubjectorum aliquot humanorum, in quibus quippe non ſolum nervos, ſed etiam tendines tantum non omnes ita cincinnatos & elegantisſime intortos plures cum *Nebelio* philiatri conſpexerunt, qui ſubtilisſimam hanc nervorum tendinumque texturam cum ipſo admirati ſunt. Sicuti vero dubio carere videtur, illarum partium fibras ideo in cincinnos iſtos contractos eſſe, ut citra dolorificam tenſionem aut rupturae periculum in muſculorum membrorumque motu obſequi & ſufficienter prolongari posſint: Ita,

 quo-

quomodo eadem haec fibrarum tortuoſa circumflexio aëream ſpirituum, nempe animalium vulgo ſic dictorum materiam, quae ſubtilis inſtar aurae *facilius* & *citius* per hos nervorum gyros influere & ſenſum motumque in partibus praeſtare debeat, quam ſi ſucco nerveo permixta eſſet, id quidem ad liquidum nondum deductum eſt.

§. DCLXII.

Diſpoſitionem foetus in utero, & ratione ſtructurae & inſertionis vaſorum umbilicalium & inprimis intuitu foraminis ovalis & ductus arterioſi talem eſſe, qualem hucusque multi magni nominis anatomici tradiderunt, id autopſia quoque in foetu foeminino, qui circa nonum menſem in utero expiraverat, comprobavit DD. *Johannes Daniel Dolaeus*, poliater *Caſſellanus*. Secto namque abdomine venas arteriasque umbilicales urachumque, communi membrana veſtitum egregie, qui ſectioni interfuerunt, cernere potuerunt, ſicuti & vena arteria multo major inque hepar per fiſſuram inſerta fuit conſpecta, & intra jecur ex vena cava, mediante canaliculo venoſo in foetu aperto deducta; Urachus ſimiliter exploratus, non tamen admodum pervius fuit repertus, & arteriae umbilicales ab arteriae magnae extremitate prope diviſionem ejus in ramis iliacis internis (uti plerumque accidit) ortum traxerunt. In vena cava prope cor deprehenſum eſt foramen ovale, quo tranſitus e cava in venam pulmonalem patuit, à parte hujus venae obtenta membrana tanquam valvula munitum, canaliculus item, ex arteria pulmonali in aörtam protenſus, ob tunicarum craſſitiem arterioſus dictus, optime potuit explorari. Pulmo admodum rubicundus ſimulque ponderoſus eſt repertus; Unde in aquam projectus non totus modo, ſed & in partes diſciſſus, fundum petiit;

Unde

Unde verosimillimum esse infert, in omnibus, in quibus nempe aëer crassior nondum penetravit, hoc fieri debere, atque adeo pulmonum subsidentiam in aqua satis certum esse experimentum, foetum in utero jam denatum fuisse.

§. DCLXIII.

Substantiam cerebri medullarem esse fibrosam, uti anatomicorum plerique adserunt; Ita in hydrocephalico recens nato, eandem ex fibris nerveis foliatim quasi expansis constare, manifesto spectaculo vidit.

§. DCLXIV.

Memoratu hic quoque digna est via atque insertio insolita pori choledochi, quae sine dubio per lusum naturae contigit, quamque in puero 13. annorum observavit DD. *Justus Fridericus Dillenius*, poliater *Giessensis*. Ductum namque bilis, quem porum bilarium vocant anatomici, satis notabilem deprehendit & viam quidem apertam; Sed mox duorum circiter digitorum latitudine post suum ex vesicula fellis ortum in duos ramos divisum, quorum minor ad intestinum duodenum tendens, eidem quatuor digitorum transversorum infra pylorum spatio insertus est, usque adeo tamen exilis, ut ne minimum quidem stylum admitteret. Alter vero pori bilarii ramulus multo capacior & amplior pancreatis substantiae insertus, & vix digitum transversum latum progressus per totam pancreatis substantiam, in plurimos minutissimos ramulos desinens sese diffudit, & pressa vesicula plurimum bilis ex pancreatis substantia in medio dissecta effluxit. Non obstante tamen solemni hac insertione, *noster* negare vix audet, bilem per ductum pancreaticum in intestinum duodenum non iterum eructari, quanquam viam nullam inveni-

invenire potuerit: Id tamen confidentius edisserit, *Sylvii* ac *Graeffii* opinionem de mutua bilis & succi pancreatici pugna, magnum hinc detrimentum capere.

§. DCLXV.

Occasione hujus à se factae detectionis in puero, enarrat aliam observationem, quam quidam auditorum *Dillenianorum*, D. *Philippus Ludovicus Kuppius*, Gissensis, nunc medicinae Doctor & practicus artis in cuniculo foemina fecerat, cujus nempe ductus seu meatus cysticus ex vesicula fellea ad intestinum duodenum usque quidem pertingebat, ipsum vero intestinum non ingrediebatur, sed retrogrado modo ipsum hepar prope vesiculam biliariam rursum ingrediebatur. Observata autem fuit haec cuniculus foemina, quoad vixit, macilenta non modo & subtristis, sed & alvi durioris: Unde forte non sine ratione conjicere licebit, bilem ad faecum alvinarum excretionem suam conferre symbolam.

§. DCLXVI.

Adamus Brendelius, med. D. & anatomiae atque botanices in *academia Wittebergensi* P. P. ordinarius trigeminos communi quidem chorio, sed distinctis amniis inclusos foetus observavit, idemque in cadavere foeminino sano & robusto, sed angustissimo pectore praedito, foramen ovale patens, quale in foetibus reperiri solet, deprehendit, canalis vero arteriosus paululum hiavit, per quem & foramen ovale aqua injecta expedite fluxit: Ut hinc credibile esse videatur, sanguinem tam per utrumque canalem, quam per pulmones conversum in orbem, cursum suum confecisse. Similem observationem de foramine cordis ovali in juvene 20. annorum adhuc patente naturae curiosorum societati communicavit DD. *Joh. Wilh. Widmannus*, poliater *Norimbergensis*.

§. DCLXVII.

Quaeſtionem inter anatomicos diu agitatam, quin vexatam, num ſcil. urachus in foetu humano pervius ſit, examinandam ſibi ſumpſit DD. *Johannes Melchior Verdries*, medicinae in *academia Gieſſenſi* prof. ordinarius. Probe quidem is novit, multos celeberrimi nominis medicos quaeſtionem & affirmaſſe & negaſſe: Ipſe tamen interea certisſimum eſſe credit, *urachum* in recens natis ſaepisſime, in adultis vero ſaepius etiam pervium fuiſſe deprehenſum; Idque ſua quoque experientia & autopſia confirmare nullus dubitat. Conferri etiam poſſunt, quae ex *Heiſtero* de tunica *allantoide* vaſorumque ejus nova delineatione ex obſervatione XXIV. Cent. V. & VI. *ephemer. academiae Caeſareo-Leopoldinae-Carolinae* N. C. excerpſimus.

§. DCLXVIII.

Meretur huc quoque transferri *Johannis Sigismundi Henningeri*, med. D. & Prof. publ. ordin. Argentor. nec non capitul. Thoman. Canon. elegans deſcriptio de *vaſis lacteis & modo novo inveniendi ductum thoracicum in homine*, quem etiam adcurato ſchematiſmo ad vivum delineari curavit, id quod ante *Guilielmum Cowperum*, ut ſuperius retulimus, nemo auſus fuerat, cum reliquae anatomicorum delineationes tam *vaſorum lacteorum* quam ipſius quoque *ductus thoracici* ex corporibus brutorum animantium eſſent petitae. Occaſio inventi haec fuit: *Menhardus Carolus Eulerus*, medicinae C. *Landavienſis*, ſub praeſidio *Henningeri* diſputationem de meſenterio defenſurus, eum in finem ſtructuram ejus variis in cadaveribus perquiſivit, ut, quae ibi traditurus erat, non aliena fide ex libris tranſcriberet, ſed oculatus teſtis, iterata inſpectione certior redditus, proponeret. Inter alia vero cadavera

ſectioni oblatum eſt corpus virginis, ex gangraena femoris emortuae, in qua, ut refert *auctor*, omnes humores in motu expanſivo conſtituti, partes continentes, vaſa inprimis venoſa, inteſtina cum ventriculo, lienem, peritoneum prope renes, cor, pericardium, pulmones flatu turgidas reddebant, unde ſequens enata eſt obſervatio oppido rara & elegans, quam verbis ab ipſo *auctore* conceptis hunc in modum ſubminiſtramus: *Vaſa lactea chylo turgido in ipſa ſubſtantia inteſtinorum repræſentabant egregios ramuſculos lacteos & quidem magis conſpicuos, quam ramuſculos venoſos, & non tantum majores ramuſculos exhibebant, ſed etiam arcus egregios inter ſe formabant, per tunicas inteſtinorum tranſparentes. Dum progrediebantur hi ramuli inteſtinis adhuc adhærentes, ſingulas venas duplici ramo comitabantur & amplexabantur. Ubi ad meſenterium pergebant, magis variis & diſparibus, quam venæ & arteriæ ramificationibus (per modum fere nervorum plexuum exporrecti) in plures ramos majuſculos in ſuperiori & inferiori meſenterii lamella properabant ad centrum meſenterii. Si vero accuratius eorum progreſſus attendatur, reſpectus glandularum maxime in conſiderationem venit, quas in media fere planitie ingrediuntur, ut exinde etiam, mediante flatu & injectione, manifeſtius ipſæ glandulæ impleantur, eoque ipſo ſubſtantiam ſuam prodant: Præterea etiam multa vaſcula prætergrediuntur has glandulas, pergendo ad vaſa inſigniora.* Quibus ita expoſitis, citat teſtimonium *Warthoni*, qui modum, quo vaſa lactea in glandulas inſerantur, omnium optime deſcripſit, quemque autopſia confirmatum ipſemet adoptare non dubitat. Deinde vero ulteriorem vaſorum lacteorum diſpoſitionem una cum detectione *ductus thoracici* in aliis quoque tribus ſubjectis ſic proſequitur: *Vidimus hæc vaſa lactea non tantum hac occaſione, ſed alia etiam luculentiora, numeroſiora, pleniora chyloque turgida in aliis tribus ſubjectis, quæ nobis viam conſtantem aperuerunt demonſtrandi*

vaſa

vasa lactea, uti vocant, secundi generis, quæ etiam encheiresin facilem, non impeditam subministrat, ductum thoracicum præparandi, inflandi, injiciendi ac demonstrandi. Nam alia denuo occasione in centro mesenterii notavimus, quod quatuor præ omnibus aliis rami vasorum lacteorum secundi generis in conspectum veniant, quorum alii quidem penitus latent, alii manifeste magis adsunt, singuli vero, remotis removendis, longitudinem suam exhibent duorum aut trium articulorum, hinc ampliora fiunt, ut apta evadant, quo mediante tubulo mediocri inflari uno actu sufficienter possint. Id quod præstitimus in hydropico virili subjecto, hoc jucundo spectaculo, ut flatus non solum integrum receptaculum lumbare cum ductu thoracico turgens faceret sisteretque, sed etiam simul multos alios ramos lymphaticos ab inferioribus partibus dictum receptaculum incurrentes manifestaret &c.

§. DCLXIX.

Cumque praeterea praedictus laudatissimus vir una cum sociis laborum, D. *Eulero* & *Kislingio*, in anatomicis administrationibus pariter versatissimis, in investigatione mesenterii vasorumque ejus in cadaveribus humanis occupatus esset, & *Kislingius* vasa lactea per mesenterium versus receptaculum tendentia adcuratius examinaret, eaque occasione vasa lactea conspectiora se sisterent, nova encheiresis subministrata fuit, per dicta vasa lactea secundi generis ductum thoracicum præparandi, inflandi ac demonstrandi. Unde in dictorum fidem ductum thoracicum integrum cum adnexis vasis lacteis, quæ in receptaculum tendunt, à primo suo ortu, progressu & insertione in venas, subjicere non dubitavit, simul fidem suam interponens, omnia in naturali sua magnitudine accurate delineata & dimensa esse repraesentata, prout nempe ex cadavere cum situ suo naturali fuerunt extracta. Figura ductus thoracici una cum receptaculo chyli communi

vasisque lacteis majusculis, illo praecipue, per quod injectum fuit, exhibetur appendice ad *ephemeridum academiae Caesarae-Leopoldinae-Carolinae* Nat. Cur. in Germania cent. III. & IV. p. 124. Spondetque circa finem *auctor*, hanc methodum inveniendi ductum thoracicum tam constantem, certam ac fidam esse, ut quilibet alius in cadaveribus humanis imitari eandem queat.

§. DCLXX.

Atque hae sunt primariae novae in *anatomicis* detectiones, quae, quamdiu illustrissima *naturae curiosorum* societas stetit, successive communicatae fuerunt. Nunc vero ad praesentis, quo vivimus, seculi, scriptores anatomicos nos convertimus, quorum industria tot eximia publicam lucem adspexerunt opera, ut antecessores nostri merito sint miraturi, quo fato fieri potuerit, ut totidem egregia inventa ipsos latuerint.

§. DCLXXI.

Ex *Italis* primum merito locum concedo *Johanni Baptistae Morgagnio*, anatomico nostri temporis famigeratissimo, qui artem hanc summo cum adplausu exercuit & adhuc exercet. Successive edidit anatomica *prima, secunda, tertia, quarta* & *quinta*. In *anatomicis primis* haud pauca occurrunt, quae antiquis quidem cognita fuerunt, hodie vero neglecta habentur, uti sunt cartilaginum arytaenoidum cum cricoide articulationes, ventriculi laryngis, medium epiglottidis ligamentum, suspensorium penis ligamentum & valvularum arteriae aörtae atque pulmonalis corpuscula fibraeque. Adducuntur insuper aliorum quoque anatomicorum observationes & vel confirmantur vel reprobantur per ea, quae de foramine foetus ovali ejusque valvula, de vena umbilicali, de oculorum glandu-

glandulis & lacertis, de thyroidea aliisque glandulis, de musculis coracohyoideis atque laryngis propriis, de hymene, de ovariis & tubis *Fallopianis*, de lacunis fossae muliebris, de muci ad cervicem uteri occurrentis fontibus ac demum de vera menstruorum scaturigine magna ubique soliditate à *Morgagnio* traduntur. Nostram inprimis facimus observationem circa vesiculas, cervicem uteri occupantes, institutam, quas *de Graeff* pro hydatidibus, *Des Noues* pro organis seminis foeminei & *Naboth* pro genuinis ovulis, germen continentibus, *noster* vero pro scaturigine muci uterini habuit. Quae vero de fonte sanguinis menstrui mulierum attulit, nunquam aliter meis explicui, quam per solam tantum vaginam eundem succedere, adductis experimentis & demonstrationibus ocularibus: Postquam vero solertissimus *Morgagnius* tam in sectione virginis quam unius alteriusve mulieris, quibus ante obitum menses vel fluxerant vel imminebant, demonstravit, non vaginam sed fundum uteri maculas sanguineas continuisse; Probabilius est, tam per fundum quam per vaginam excretionem mulierum menstruam succedere.

§. DCLXXII.

Ejusdem *adversaria anatomica altera* complectuntur observationes, in L. animadversiones ad lib. I. *theatri anatomici* Cl. Joh. Jacobi Mangeti, serenissimi Regis Prussiae archiatri distributas. Ingenue confitetur Clar. *Morgagnius*, in splendido hoc *Mangeti* opere *non quaedam, neque multa, sed plurima cum praeclaris ejus promissis non congruere.* Non enim modo inter legendum observavit *Morgagnius*, correctiones & mutationes figurarum necessarias, quas pollicitus erat *Mangetus*, omissas, sed novas insuper gravesque hallucinationes additas esse, imo, quae ex aliis auctoribus protulit, aliorum inventis

neque illustrasse neque correxisse, tantum abest, ut plagii vitium, quod quam maxime decebat, sollicite evitaverit; Id quod vel solo *Verheyenii* exemplo manifeste liquet. Hae vero imputationes, quam graves illae etiam videantur, tam clare probavit *Morgagnius*, ut qualemcunque ipsi factam esse injuriam, nullam justam conquerendi caussam *Mangetus* habeat.

§. DCLXXIII.

Verum ad *adversaria tertia Morgagni* nostri transeundum est, quae quinquaginta animadversiones in *partem primam libri secundi* theatri anatomici *Mangeti* continent, ex quibus praecipuas tantum, brevitati studentes, hic sistemus: Quae de processibus peritonaei ex *Glissonio*, *Nuckio*, *Verheyenio* adlata fuerant, *noster* partim contradictoria, partim falsa esse judicat, nec negligit ea in medium proferre, quae de ligamentis *Poupartii* suspensoriis abdominis observaverat; Scilicet annotari quidem illa jam in veterum anatomicorum libris, in multis tamen cadaveribus resecto illo ipsorum extremo, per quod pubis ossi affiguntur, eoque una cum continuato musculi obliqui externi tendine ad latus sensim inverso, evidentissime ipsa non peculiaria ligamenta, sed imam saltem tendinis ejusmodi musculi oram existere. Prolixe etiam exponit, quid de valvulis quibusdam semilunaribus, quas *Glissonius* ano assignavit, observaverit; Scilicet in recto intestino unum vel alterum digitum transversum supra extremam ani oram bis valvulam admodum extantem apparuisse, frequentius autem infimum intestini recti tubum à columnis quibusdam longitudinalibus, paulatim angustiore ad summum fastigio extenuatis undiquaque intus cingi, quae ex contracta nervea intestini tunica resultarent ac fibris carneis desuper gauderent, inter basin vero unius & alterius columnae membranas singu-

ſingulas non abſimili forma valvularum cordis ſemilunarium diſponi.

§. DCLXXIV.

Circa valvulam coli ſequentes *Noſtri* obſervationes memoratu dignae ſunt: Ileon eo denſioribus fibris muſcularibus inveſtiri, quo propius ad colon accedit; Colon immobiliter ſedibus quaquaverſum ſuis detineri; Idem inteſtinum trajici ac perenniter aſſidere ante annulos muſculorum abdominis, unde ad ſcrotum peritonaei elongationes procedunt: E converſo ileon ab hiſce locis longe diſſitum eſſe; Appendicem vermiformem à fundo coeci ordinario eſſe pendulum; Oſſium pelvis diductionem in omni quidem partu jure ab antiquis declaratam fuiſſe, perperam vero à modernis negatam; Ileon horizontaliter ad colon excurrere &c.

§. DCLXXV.

Non minus in eo *Mangetum* cenſura dignum exiſtimat, quod vaſa lactea à lymphaticis vere differre dixerit; Miratur interim, cur utraque vaſa in una eademque meſenterii parte ſimul & eodem tempore à nemine adhuc anatomicorum obſervata fuerint. *Bianchi* hiſtoriam hepaticam, quam *Mangetus* accuratam & conſummatam pronunciaverat, mancam, obſcuram, contradictoriam, falſam & in *Malpighii* manes injuriam *Noſter* pronunciat. Refellit quoque ejusdem *Bianchi* novos, quos adſeruerat, veſicae muſculos, elevatores nempe ac depreſſores, & quidem *priores*, à quibus veſicam attolli & urinam contineri *Bianchus* tradiderat, quod in nullo ſubjectorum à ſe diſſectorum fuerint inventi, qui potius in pelvi ad tergum cavitatis acetabuli, ac aliquantum altius & poſterius originem ſumerent, indeque notabiliter lati, validi ac teretes oblique ad proſtatarum extuberantias deſcendendo in his

finirent: *Posteriores* autem musculos, qui vesicam deprimere ac urinam excernere dicuntur simulque depinguntur, ita describi notat, ut à tuberculo posterioris altiorisque processus ossis ischii horizontaliter ad quintam vertebram ossis sacri & principium ossis coccygis excurrentes vesicae nequaquam deprimendae, sed juxta alios, qui eosdem ante *Bianchum* jamdum cognovissent, ischio cum osse sacro simpliciter alligando rectoque intestino ejusque musculis melius sustinendis possent inservire. Neque vero perspicere potest *Noster*, quomodo tales musculi vesicam deprimerent, quorum terminum in collo vesicae nunquam videre ipsi licuit: Unde eosdem potius levatorum ossis coccygis titulo insignire voluit.

§. DCLXXVI.

Reliqua, quae innumera propemodum sunt, eximia observata mitto, & ad *adversaria anatomica quarta* tanto lubentius depropero, quo liberius benevolum suum erga me animum in illis declarare, meorumque levidensium scriptorum perhonorificam facere mentionem Vir amicissimus dignatus est, mutuae sine dubio amicitiae interprete *Hermanno*, quondam Collega nostro amantissimo & in hac *Viadrina* mathematum & philosophiae naturalium professore, cum viveret, celeberrimo. Complectitur iterum *quinquaginta animadversiones ad partem secundam libri secundi theatri anatomici Joh. Jacobi Mangeti*, de quo in epistola dedicatoria ad Illustrissimos *Gymnasii Patavini* moderatores graviter conquestus est, *splendide* quidem illud, *sed negligenter editum* multisque *gravissimis erroribus* refertum esse.

§. DCLXXVII.

Id quod ut tanto clarius dilucescat, in *prima animadversione* non id quidem improbat *Morgagnius*, quod *Mangetus* genita-

genitalium anatomiam *Graefii* potius quam ſuis verbis tradere conſultum duxerit, ſed quod notulae & obſervationes adpoſitae partim ſint perpaucae, partim non admodum rarae, partim denique ad textum *Graefii* obſcurandum quam illuſtrandum adcommodatiores. Id quoque deſideravit *Noſter*, non tantum *Mangetum* de inventoribus *ſepti ſcroti* (quod & ante & poſt *Veſalium* dudum deſcriptum eſſe, jam in *adverſariis primis* monuerat) nihil adjeciſſe, ſed &, quid de ſepto ipſo ſentiendum eſſet, *ex Rauio* & *Fantonio* nihil, quod obſervationum ſcriptorem decebat, monuiſſe. Caeterum duo adhuc ſunt, quae ſilentio non ſunt praetereunda; Nempe internam vaginalis & externam albugineae tunicae ſuperficiem humore aqueo more pericardii humoris conſperſam ſeſe conſpexiſſe; ac deinde ſe ab externa tunicae vaginalis ſuperficie alteram tunicam, quam muſculi cremaſteris fibrae aut immediate complectuntur aut fortaſſe etiam componunt, facillime & ſine ulla vi ab ſummo ad imum diviſiſſe.

§. DCLXXVIII.

Quod in *ſecunda animadverſione* à *Noſtro* allegatur, omni intuitu dignum eſt, quod pace ejus huc tranſcribatur: Miratur nempe, neque *Graefium*, qui veſicularum ſeu potius communium veſiculis & deferentibus vaſis ductuum in urethra finem plurimis in cadaveribus conſideravit, neque diſſentientem *Swammerdammium*, neque ex aliis anatomicis quenquam prope illum ipſum finem atque adeo in eadem caruncula (caput gallinaceum vocant) in qua is finis eſt, vidiſſe, quod hiſce verbis Clar. Auctor deſcribit: *Scilicet praeter illa duo foraminula, in quibus duo iſti ductus finiuntur, & quorum ſingula in ſingulis ejus carunculae lateribus vulgo pingunt atque deſcribunt; eſſe inter utrumque tertium ſolet, ſaepe quidem his paulo ſuperius, aut inferius,*

inferius, & praeterea aliquanto majus, ut quod parvae inſtar fiſſurae ſecundum carunculae longitudinem apertum eſt. Hoc ego vel ante novem vel decem annos, cum aliud agerem, forte conſpexeram, eique tenuis ſpecilli tantam partem, quanta apicis minimi digiti latitudinem ferme aequaret, in uno vel altero cadavere immiſeram. Poſtea autem cum, ſeminalibus compresſis veſiculis, non ex lateralibus modo, ſed ex hoc etiam medio foramine erumpens ſemen vidiſſem; Specillo immiſſo, & ſecundum hujus & carunculae longitudinem hac inciſa, parvam oblongam caveam, ſeu mavis ſinum, detexi, qui etſi in quibusdam minor eſt, ſaepe tamen latitudine carunculae reſpondet, latitudine autem ſummam hujus, quam verſus protenditur, partem ſuperat. Parietibus eſt lubricis & mollibus; Hosque humidos propriae, ut opinor, ſervant exiguae glandulæ, quas nonnunquam ibidem videre viſus ſum granulorum inſtar protuberantes. Nam quod aliquando conjeceram, nonnullos ſubjectae proſtatae canaliculos intra hunc ſinum influere, exprimendo confirmare nunquam potui. Ductus autem ſeminales etſi nonnunquam, ut ex paulo ante dictis intelligitur, cum ſinu communicant, hoc tamen fieri perraro, multis accurate inſpectis diſſectisque carunculis deprehendimus.

§. DCLXXIX.

In *animadverſione quarta* id cumprimis deſiderat Clar. *Morgagnius*, quod de ligamento penis ſuſpenſorio, de glandulis *Cowperi* mucoſis, de alia glandula Cl. *Litrii*, de canaliculis urethrae à ſe detectis, de glandis ipſius ſive glandulis ſive papillis, de transverſis & triangulari penis muſculis nihil *Mangetus* in ſuis ad *Graeſium* adnotationibus monuerit, id quod tamen in tali ſplendido theatro maxime fieri decuiſſet.

§. DCLXXX.

In animadverſione VIII. IX. & X. de duplici genere canaliculorum urethrae prolixum ſermonem inſtituit Cel. *Morgagni-*

Morgagnius, & *majorum* non modo inventionem jure ſibi tribuit & primam gonorrhoeae virulentae ſedem in illis conſtituit, ſed &, quid circa *minores* urethrae canaliculos à ſe obſervatum ſit, candide ediſſerit.

§. DCLXXXI.

Non minus reprehendit negligentiam *Verbeyenii* & *Mangeti*, quod prior figuram 1. tab. 13. ex *adverſariis* ejus *anatomicis* deſumptam minus diligenter, poſterior vero inſuper pleraque ex foraminibus majoribus ſatis accurate ſua in tabula non expreſſerit, alia vero loco, alia poſitu, alia figura, alia magnitudine ab iconiſmo *Morgagni* diſcrepent.

§. DCLXXXII.

Animadverſionibus proxime inſequentibus ad vigeſimam usque id potisſimum agit, ut objectiones, quas ſuper canaliculis urethrae ipſi & *Terraneo* moverat *Mangetus*, diluat inſuperque oſtendat, quam injuſtum judicem in eo ſeſe praebuerit, quod primam illorum inventionem non tam ipſi quam *Terraneo* vindicaverit: Cum tamen majora & peculiaria foramina continuatosque canaliculos (de quibus laudatus *Morgagnius* ſolummodo loquitur) *Terraneus* neque delineaverit neque deſcripſerit, foraminula autem, quae à *Graeſio* quadantenus indicata fuerant, minimosque illos atque communes ductus non niſi tertio ab editis *adverſariis Morgagnianis* anno demum deſcripſerit.

§. DCLXXXIII.

In *vigeſima prima animadverſione*, poſtquam notaverat, par muſculorum penis transverſorum jam ante *Bidloum* deſcripſiſſe *Thomam Bartholinum*, qui *Lindanum* imo *Fabricium ab Aquapendente* laudaverat Auctorem, adſtipulatur *Bidloo*, qui

ingenue monuerat, musculos dictos transversos *non semper reperiri:* Adseverat enim *Noster*, testari se posse, cum in multis praeclare illos viderit, se in duobus vel tribus cadaveribus quamvis idoneis & diligenter etiam cum amicis anatomicis perlustratis *invenire* illos *non potuisse.* Adjicit tamen, quod, cum desint, munus eorum, quod in *adversariis tertiis* tum in seminis tum in urinae ejaculatione consistere dixerat, à triangulari, quem descripserat, tanto facilius suppleatur, quo magis conspicuum deprehendit illum in iis, quibus defuerant transversi.

§. DCLXXXIV.

Animadversione vigesima tertia auspicatur Cl. *Morgagnus* caput alterum, quod de partibus genitalibus mulierum agit, postquam ad *animadversionem usque vigesimam secundam* produxerat tractationem de virilibus. De hymene agens non tam de existentia, quam potius structura, sede & forma disquirit. De urethra muliebri observat, in ipso fine fieri eam augustiorem, & suis non destitui canaliculis, à quibus intrinsecus obliniatur; Quam utramque circumstantiam, utut ex *Terraneo* facile petendam, male *Mangetum* praetermisisse, silentio premere *Noster* non poterat. In vagina uteri papillas cum in plerisque, minus etiam idoneis cadaveribus satis observavit, tum aliquando ita confertas, elegantes ac manifestas iis, qui aderant, ostendit, ut complures vaginae rugae nihil aliud quam perpetuae distinctarum papillarum series esse viderentur. Menstrui fluxus fontes, ut jam superius observatum, non in vagina, sed in fundo uteri quaerit, provocans etiam ad autopsiam Cl. *Santorini*, qui idem prorsus in foemina viderat, quae sanguine menstruo fluente mortem oppetierat. In glandulis sebaceis non modo generatim denuo adserendis ac defen-

defendendis prolixus eſt; ſed & in nymphis ſebaceas tales glandulas confertim reperiri ex pluribus obſervationibus, etiam poſt edita *adverſaria anatomica* habitis confirmat, nec ad auctoritatem aliorum praeſtantisſimorum in arte virorum confugere erubeſcit, cum iſtas ſuas ſebaceas nympharum glandulas in *Bononienſi* primum theatro *Stancarius* oſtenderit, tum in Veneto *Santorinus*, & hic praeſertim valde conſpicuas & ſebaceam materiam evidentisſime emittentes. Verum haſce glandulas ſebaceas tanquam novum inventum Cl. *Morgagno* vindicandas eſſe, jam in anatomes hiſtoria monui & nunc repetere non erubeſco. Quod idem etiam de valvulis cervicis uteri, quas ſe unquam obſervare potuiſſe negat *Mangetus*, adfirmare nullus vereor. Si enim ante *Morgagnum* deſcriptae ſunt, citentur Auctores, ex quibus demonſtrari illud posſit.

§. DCLXXXV.

Atque ea, quae modo memoravimus, ex tredecim animadverſionibus, quae à *vigeſima tertia* ad *trigeſimam quartam* conſecutive ſe extendunt, excerpta ſunt. In animadverſione vero *trigeſima ſexta* commemorat *Noſter*, quae ejus figura ibi nominata prae aliis peculiaria habeat, inter quae refert ligamentum clitoridis & proximorum labiorum ſuſpenſorium, quod quippe nemo ante ipſum, quod ſciam, delineaverit, deinde novas ſebaceas nympharum glandulas, porro plures muliebris foſſae lacunas cum varia ipſarum habitudine ac directione aliaque pluribus ibi legenda.

§. DCLXXXVI.

Religio vetat, ea ſilentio praeterire, quae Celeb. *Morgagnius* de muliebris uteri vaſis lymphaticis detexit, non quidem ex conjectura & analogia, ut plerique alii fecerunt, ſed ex

certa accurataque obſervatione. Sic enim loquitur *noſter: Ante annos ferme duodecim in Veneta puerpera & vidi ipſe, & iis, qui diſſectioni aderant, amicis doctisſimis oſtendi vaſa lymphatica turgentia admodum atque adeo ſatis ſuperque conſpicua, quae ſub exteriore uteri tunica prope oſculi regionem manifeſtisſime reptabant. Mors foeminae, quae repente & brevi à partu, ſic ut valde adhuc tumeret uterus, ſupervenerat, atque addita ab inteſtinis, quae flatibus mirum in modum diſtenta erant, compresſio, novi hujus & gratisſimi nobis ſpectaculi copiam fecere.*

§. DCLXXXVII.

Verum tempus eſt tranſeundi ad *adverſaria quinta*, quae Illuſtrisſimo ac reverendisſimo Praeſuli D. D. *Johanni Mariae Lanciſio*, intimo cubiculario & archiatro Pontificio dedicata ſunt & ſtricturas continent in *librum tertium theatri anatomici Mangeti.* Ex quinquaginta, quas complectuntur, animadverſionibus memorabiliora tantum excerpemus, nimiam prolixitatem vitaturi. In *prima animadverſione* inconſtantiae & contradictionis inſimulat *Mangetum*, quod communicationem inter ramos mammarios & epigaſtricos modo negaverit, modo denuo adſtruxerit. Non minus in *ſecunda* reprehendit eundem, quod vaſis lactiferis valvulas adſcripſerit, quae tamen à *Nuckio* meris adnumerentur figmentis; Scire etiam cupit *Morgagnius* noſter, cujus generis ſint glandulae, papillae vaſis interſitae, quae tamen ab ſolertisſimis anatomicis, *Nuckio* & *Heiſtero* non agnoſcantur?

§. DCLXXXVIII.

Animadverſione *tertia*, *quarta* & *quinta* redarguuntur ea, quae in ſua anatomia de ſtructura & uſu mammarum attulerat *Verheyenius*, quaeque calculo ſuo adprobaverat *Mangetus*,

ſecure adſerens, ſe hujus anatomici deſcriptionem quoad tubulos lacteos aliaque ad mammas & earum uſum facientia, veracisſimam inveniſſe; *Noſter* contra fateri non erubeſcit, ſe talem mammarum ſtructuram, qualem deſcripſerat *Verbeyenius*, ex plurimis nempe glandulis compaginatam, invenire non potuiſſe, cum tamen multas ſive ſiccas ſive lacte ſcatentes mammas haud negligenter diſſecuerit, imo ſemper potius, quicquid propriae glanduloſae ſubſtantiae in mammis fuit, in corpus unicum magnumque compactum, cujus ferme centrum papillae reſpondit, deprehendiſſe, interque ſubſtantiam ſubduram, dum lacte ſcateret, nonnullas quaſi cellulas eodem plenas ſpectaſſe, quae ad ductus lactiferos pertinebant. Suas quoque in partes pertraxit *Johannem Riolanum*, *Thomam Warthonum* & *Laurentium Heiſterum*; quorum poſtremus in praefatione, compendio anatomico praemiſſa, diſerte negat, ſe unquam mammarum glandulas ita, ut *Verbeyenius* delineat, rotundas, copioſisſimas-diſperſas - - reperire potuiſſe, quamvis lactantium, puerperarum, virginum & aliarum mulierum mammas ſaepius examinaverit - - verum in medio mammae, ſub pinguedine, aliam quandam, parvam quaſi mammam latere, cujus ſubſtantia uberibus brutorum haud abſimilis ſit; Idemque cenſet, *Verbeyenium* de glandulis mammarum tam breviter & frigide loqui, ac ſi nunquam eas vidiſſet.

§. DCLXXXIX.

Ab animadverſione *ſeptima* ad *decimam* usque agitur de areolarum tuberculis, in quae ductus lactiferos hiare, jam *adverſariis primis* primus indicaverat Cl. *Morgagnius*; Et quod tunc temporis ſimpliciter tantum indicavit, id in praeſentia pluries iteratis obſervationibus confirmat; Scilicet ad ſingula tubercula ſingulos pertingere ductus lactiferos, & ſic

intra ipſa dilatari, ut tuberculorum efformatio eorum ductuum & dilatationi & ultra areolae planum eminentiae maxima ex parte deberetur. Quod vero dicta tubercula *glandulas ſebaceas* vocaverit, ex quorum quippe oſculis materiam ſebaceam frequentisſime proſtantem vidit, neque minus frequenter expresſit, id quidem abſurdum eſſe judicat *Mangetus*, quanquam nullas idoneas, quibus adſertum firmaret, rationes attulerit.

§. DCXC.

Porro vero, poſteaquam *animadverſione decima tertia* notaverat *Noſter*, integrum tertium caput, quod eſt de pleura ac mediaſtino, ex *Verbeyenii* capite de iisdem membranis inſcripto deſumptum eſſe, licet id per ſe teſtari & lectoribus ſignificare oblitus fuerit: Occupatus potisſimum eſt in evellendis ſcrupulis, quos de valvulis arteriae magnae & pulmonaris, earundemque corpuſculis, fibris & uſu ſibi formaverat is, cum quo contendit: Quae quidem prolixa tractatio ad *animadverſionem* usque *vigeſimam ſextam* ſeſe extendit.

§. DCXCI.

Animadverſione *trigeſima ſecunda*, qua de vaſis bronchialibus ſermo eſt, lubentisſime quidem fatetur atque concedit Cl. *Morgagnius*, à *Ruyſchio*, ſolertisſimo *Amſtelodamenſium* anatomico, arteriam bronchialem reſtitutam auctamque eſſe; Nihilominus tamen veretur, ne veteribus forte anatomicis ſit injurius, ſi ejusdem quoque exiſtentiae, initii atque inſertionis inventum acceptum eidem referret; Aliter enim ac *Mangetum* judicaſſe *Fantonum* exiſtimat, qui arteriam hanc à *Galeno* & *Fernelio* dudum deſcriptam eſſe, ex *adverſariis Morgagnianis* repetit, imo *Heiſterum*, virum veri non minus quam *Ruyſchii*, ſui quondam praeceptoris amicum, locis adlatis perlectis,

perlectis, hunc tandem rediisse memorat, ut idem quod ipse concluderet: *Ruyschium* nempe *ramificationis* ejus arteriae perspicuam descriptionem & delineationem *primum* dedisse: Unde addit: *Quod si satis esse homines censeant, ut illi omnem inventionis ejus arteriae gloriam adscribamus, mihi denique non id molestum sane erit, sed longe jucundum, propterea quia pares ob causas, multarum rerum, quas auctas primaque perspicua descriptione & delineatione illustratas restitui, inventorem pariter me dicent.*

§. DCXCII.

Cumque insuper exercitatissimus noster anatomicus glandulas asperae arteriae & visibiles & crebras & varia magnitudine at miliaribus plerasque majores, praesertim ad inferiorem asperae arteriae truncum, & quidem in cadaveribus minimum viginti, quae harum glandularum causa continenter inspexit, observaverit; *Mangetus* contra contendit, eas non modo non ita solere esse extantes, sed & nunquam, nisi morbose sic condita magna haec tubercula aut visibilia occurrere &c. Neque enim verisimile esse putat *Noster Morgagnius*, in viginti, quae continenter secuit, cadaveribus, morbosas fuisse glandulas asperae arteriae, ac proinde ad auditorum suorum testimonium & autopsiam in subjectis sanissimis, tum ratione magnitudinis tum numeri intuitu provocavit, imo allegavit quoque laudatum *Fantonum*, testem omni exceptione majorem, qui diserte scribit, se non modo in postica asperae arteriae parte glandulas numerosissimas, quales *Morgagnius* expressit, deprehendisse, sed &, secto per longum canali, poris etiam innumeris, quo nomine oscula eorundem excretoria intelligit, internam superficiem perviam vidisse, qui, digitis canali presso, viscidiusculum humorem eructassent.

§. DCXCIII.

Animadversione *quadragesima tertia, quarta* & *quinta* agitur de ventriculis laryngis, eorundem usu, nec non illorum ut & appendicum varietatibus. Commodam hic nactus est occasionem nonnulla veterum inventa, insufficienter descripta in lucem denuo protrahendi suisque additamentis augendi & illustrandi, ut novo tali lumine corruscantia novorum inventorum titulo (quanquam summa *Morgagnii* nostri modestia id omni modo deprecetur) superbire jure possent. Id quod in larynge potissimum, si verbis amicissimi viri uti mihi liceat, observetur, velim, ut in qua non ii modo, qui universi corporis anatomen tradebant, verum ii pariter, qui de voce ejusque organis singulari studio scribebant, haud obscure ostenderent, se haud satis scire, quid glottis ipsa esset, cujus potissimum causa ut vox efficitur, ita larynx tota constructa est, & praeterea tum rem, sine qua dilatationis & constrictionis glottidis verus ignoratur modus, articulationem videlicet arytaenoidum cum annulari cartilagine se ignorare, tum insignes & maxime attendendas ad ipsius glottidis latera caveas duas tanto artificio constitutas, ut ea dilatata dilatentur, constricta constringantur, nescire. Cum igitur, rebus ita constitutis, haec omnia non sine ingenti labore, ut facile suspicari licet, in lucem revocaverit, & tam in aperto, quam antea nunquam fuerant, posuerit, ingentem sine dubio invidiam proderet, qui haec solertissimi viri merita non agnosceret. Caeterum optime mea sententia facit, quod de nomine cavitatum laryngis cum *Verheyenio* contendere nolit, an rectius sinuum, quam ventriculorum nomine salutandae veniant, dummodo res ipsa recte agnoscatur, quod quidem fecisse *Verheyenium* pleno brachio concedit laudatissimus

Morgag-

Morgagnius, non immerito tamen, ſuppreſſum fuiſſe nomen ejus, per quem profecerat, conqueritur.

§. DCXCIV.

Poſtremis animadverſionibus ad *quinquageſimam* usque exercitatisſimus noſter anatomicus obſervationes ſuas, quas de ſtructura & glandula epiglottidis habuit, exponit: Ubi non potuit non aegerrime ferre, quod hiatus illi praecipue majores, quos & ipſe vidit & pictor ejus circini ope fideliter deſcripſit, ita fuerint repraeſentati, quaſi in rerum natura nunquam extitiſſent: Cum toties foveas iſtas totidem ſpectatoribus, quos inter viri, profeſſoria dignitate illuſtres fuere, demonſtraverit. Eadem facilitate non minus quam felicitate alterum convellit dubium, quod de glanduloſa ſubſtantia, qua utraque epiglottidis facies obducitur, animadverſionis, qui dicitur, auctor conceperat. Obſervavit enim primus oculatisſimus *Morgagnius*, non *duas diſtinctas glandularum congeries* hic eſſe conſiderandas, ſed *unam eandemque evidenter hujus cartilaginis glandulam eſſe, quae videlicet ab una ipſius facie ad alteram operiendam per eos hiatus continuetur.* De cartilaginis cricoidis cum arytaenoide articulatione, à *Galeno* olim aliisque anatomicis celebrata, poſtremorum vero ſcriptorum communi fere negligentia obſoleta, à *noſtro* vero in antiquum notitiae publicique uſus locum reſtituta, in *adverſariis primis* jam facta eſt mentio.

§. DCXCV.

Nunc vero ad *quartum & poſtremum theatri anatomici Mangeti librum* deproperandum nobis eſt, in quo celeb. *Morgagnius* obſervationes, in centum animadverſiones diſtributas, complectitur, quibus ea breviter perſtringuntur, quae quarto iſto

libro *Mangetus* propoſuerat. Initio ſtatim reprehenditur *theatri auctor*, quod ſinum longitudinalem minorem ſive inferiorem, non minus quam ſuperiorem & laterales ſemper occurrere cum *Verheyenio*, cujus textum, paucis mutatis, ſuum fecerat, crediderit, cum tamen iſtum ſaepe abeſſe non difficile illi futurum ſit cognoſcere, ſi vel reliquos anatomicos vel (quod praeſtat) anatomen ipſam conſuluerit. Quaedam deinde adduntur de ſinuum lateralium initio & communicatione inter ſeſe, atque adverſus communem anatomicorum ſententiam adſeritur, ex quatuordecim, quae continenter ſecuit, cadaveribus, quatuor, haud amplius fuiſſe, in quibus laterales ſinus eſſent continuatio bifurcata *ſinus longitudinalis ſuperioris*, in reliquis autem decem tantum abfuiſſe, ut is bifariam, aequaliterque in laterales divideretur; Jam ſupra torcular in alterum latus evidentisſime deflectebat, totusque adeo ejusdem lateris ſinui continuabatur. Quocum ſinu qua ratione lateralis alter communicet, uti & de fine ſinus quarti, in *animadverſione prima*, *ſecunda* ac *tertia* copioſius diſſeruit *Morgagnius*.

§. DCXCVI.

Ab animadverſione *trigeſima tertia* ad *ſexageſimam octavam* repetit ea, quae de caruncula & glandula, ut putatur, lacrymali diſputavit *Mangetus*. Fatetur libere, ſe, cum ex variis & inter ſeſe diſcrepantibus anatomicorum traditionibus de lacrymalibus glandulis & ductibus nihil certi colligere potuiſſet, ad optimum anatomes librum, hominis videlicet ac brutorum diſſectionem ſeſe contuliſſe, ex quo illud praecipue cognoverit, pleroſque paſſim recentiores anatomicos in eo potisſimum lapſos eſſe, quod non modo eas glandulas, earumque canaliculos eadem in nobis atque in brutis ratione eſſe tradidiſſent, verum etiam glandulam horum interiorem,

quae

quae in nobis omnino deest, & lacrymalem carunculam, quae neque proprie glandula est, & brutis atque hominibus est communis, idem prorsus esse credidissent. Observat insuper fibrillas quasdam nerveas per innominatam glandulam subterlabentes, atque adeo instar exilium rectorumque canaliculorum palpebram versus contendentes, quas in homine ab nonnullis anatomicis pro ejusdem glandulae ductibus nimis facile acceptas esse, alias jam suspicatus est: Unde non citra rationem artis anatomicae tyrones monet, ut, quae descriptiones non satis certae ac manifestae observationi, sed illi potius brutorum atque hominum similitudini innixae sunt, iis ne temere fidem habeant. Quid enim, inquit Clar. *Morgagnius*, si glandulae innominatae canaliculi longe aliter in homine, atque in bobus dispositi tantummodo essent ac distributi?

§. DCXCVII.

Succedit deinde examen dissertationis inscriptae; *Ductus lacrymales novi:* Quae potissimum cl. *Anellio* opposita est: Quanquam nihil hic novi adferri, candide, pro more suo cel. *Morgagnius* exponat, simul tamen de sacco, ut vocant, lacrymali, de majoris ductus lacrymalis figura ejusdemque obliquitate, fine non pelviformi aliisque huc spectantibus copiosum sermonem instituat, nec reticeat, qua angustia, figura & positu extremum ejus orificium fuerit in sectionibus inventum, ita nempe, ut ellipsin referret, non in transversum positam, sed à perpendiculo aliquantum in latus inclinatam, eâ autem non modo in ima parte, qua saepe videlicet ista ellipsis angustior fuit, verum etiam in totum parvitate, ut haud raro iis, qui propius inspectârunt, interdum sibi ipsi quoque non ante appareret, quam demissum per ductum specillum

orificium ipſum indicaret. Notavit inſuper, carunculam inter & oculum locatam eſſe in nobis rubellam quandam & ſemilunarem membranam, ex duplicata interiore palpebrarum tunica conſtructam, cujus ut & vaſculorum, à quibus irrigatur, deſcriptionem non credidit omittendam, tum ut conſtaret, quid in angulo humani oculi interno glandulae & cartilagini in multis animantibus poſitae reſponderet, tum ut chirurgis occaſio praeberetur videndi, an illius oculi affectionis, quae *πτερύγιον* Graecis, unguis autem noſtris dicitur, ſedes & origo in hac plerumque membrana nimium excreſcente, ponenda ſit. Negat quoque *noſter*, ad majoris ductus lacrymalis finem eſſe valvulam ſemilunarem ita quidem poſitam, ut rebus à naribus in ductum aſcenſuris apta ſit potius adverſari, quam obſequi: Tantoque magis miratur, valvulam hic agnoſci ab eo, qui alias inſignem inteſtinorum valvulam negaverat. Uti vero in reliquis animadverſionibus partium memoratarum uſus indicantur: Sic ductuum quoque lacrymalium morbi & curationes adnectuntur ſimulque de ſpecillorum in ductus lacrymales immisſione agitur diſquiriturque, num operatio iſta veteribus nota fuerit, vel etiam injectiones per puncta lacrymalia inſtitutae ante *Anellium* innotuerint?

§. DCXCVIII.

Animadverſione *octogeſima tertia* non ſolummodo generatim in memoriam revocat medicis utilitatem anatomes in reliquis artis medicae partibus, ſed &, qua ratione ſpeciatim, venarum occipitalium & deſcriptione & delineatione non modo hiſtoria anatomica inſtaurari atque augeri, verum etiam facultas medica juvari & illuſtrari queat, exponere non dubitat. Uti enim, inquit Cl. *Morgagnius*, eae venae hinc in occipite chirurgicis inſtrumentis expoſitae ſunt, inde vero

intra

intra cranium cum laterali utroque ſinu communicant: Ita opportunitatem praebent, ut ipſas incidendo atque ideo ſanguinem, quem in ſinus convecturae eſſent, avertendo, reliqui ſanguinis, per eosdem ſinus fluentis, copiam quidem non nihil minuere, motum vero augere pro re nata immediate posſimus. Quae duo ut in multis cerebri affectionibus ſunt admodum neceſſaria, ita illud per admotas cucurbitulas & crebras altasque inciſiones eo certius praeſtatur, quod earum venarum truncos & profunde ſemper locatos, & nonnunquam, ut eorum per cranium meatus, in plures atque adeo minores diviſos invenimus. Quibus rebus ita per anatomen illuſtratis, cum proclive fuit *noſtro* iſto ipſo praeſidii genere magnam opem ferre laboranti olim contumaci quadam ac perdifficili ſoporoſa affectione - - - tum multo facilius erit omnibus intelligere, qua ratione *Zacutus Luſitanus* deſperatam apoplexiam cucurbitula bis in occipite profunde ſcarificata curare potuerit. Cui adfine eſt, quod ex *Valſalva* de hemiplexiae cauſa repetit ſuaque experientia, ex ejusmodi cadaverum ſectionibus hauſta confirmat, nempe nullam ſe ferme vidiſſe in apoplecticis affectibus alterius medietatis corporis reſolutionem, cujus cauſam, ſecto cadavere, in oppoſita cerebri parte non invenerit.

§. DCXCIX.

Animadverſione *octogeſima quinta, ſexta* & *ſeptima* probat quidem *noſter*, quod *Mangetus* elaborato Cl. *Valſalvae* tractatu in tradenda auris anatome uſus fuerit; Metuit tamen, ne lectores in eo diligentiam ejusdem ſint requiſituri, quod nec omnia, quae *Valſalva*, neque ita, ut *Valſalva*, exhibuerit. Occaſione animadverſionis *octogeſimae octavae* monet, praeter glandulas & papillas nerveas membranae naſi peculiares quas-

quasdam, ut *noster* judicat, glandulosas & plerumque admodum insignes congeries, à nemine adhuc, quod sciat, observatas, in certis hujus membranae locis detexerit: In octo enim cadaveribus continenter dissectis ad utrumque septi latus, loco inter summam infimamque cavearum nasi regionem ferme intermedio, sed multo anticis quam posticis nasi limitibus propiore, membrana secundum earum cavearum tum altitudinem tum longitudinem binis sectionibus incisa, peculiarem & valde notabilem hujus crassitudinem ibidem invenit, basi narium parallelam, ea secundum nasi altitudinem latitudine circumscriptam, ut auricularis digiti latitudinem, interdum & multo majorem prope aequaret, longitudine admodum ampliore; Sed quo magis ad extrema & posterius praesertim, accedebat, eo magis contractam & extenuatam. Vidit autem, crassitudinem hanc deberi densae compactaeque substantiae ex albo rubescenti, quam *Morgagnius* noster *glandulosam* esse judicavit. Id denique in descriptione nasi *Mangetiana* desiderat *noster*, quod neque, unde vasa sanguifera ad ipsum veniant, aut quo redeant, neque ullos alios praeter eos, qui à primo pari exeunt, nervos indicaverit, cum tamen illud in haemorrhagiis scire deceat, nervos autem à pari quinto huc pertinentes sive in sternutatione explicanda plerique, sive in olfactus facultate exponenda nonnulli potissimum attendant. Reliqua de thyroideae glandulae appendice, de medio epiglottidis ligamento, de foramine ad linguae radicem, de canali eidem foramini continuato ejusdemque usu, de glandulis linguae, parotide ejusque ductu &c. non attingo, brevitati consulens, idque unicum adhuc monens, in cunctis hisce animadversionibus, *Mangeto* oppositis, celeberrimum *Morgagnium*, ut modestum disputatorem sese ubique exhibuisse. Optandum esset, exemplum ejus imitari omnes litera-

literatos, qui de re quacunque serram disputationis inter se reciprocant.

§. DCC.

Subsisterem hic, & inventorum novorum meritorumque clar. *Morgagni* commemorationi finem imponerem, nisi duarum adhuc *epistolarum anatomicarum*, quae ipsum auctorem agnoscunt, quaeque non paucas, praeter superius recensitas, novas observationes & animadversiones complectuntur, *quibus anatome augetur, inventorum anatomicorum historia evolvitur & utraque ab erroribus vindicatur*, mentio injicienda esset. Istis vero epistolis scribendis lites, quae inter *Morgagnum* & *Bianchum* exarserant, occasionem dederunt. Et quamvis controversia ista consopita esse videretur, recruduit tamen, ex quo *Johannes Baptista Bianchi* tractatum suum de *hepatis structura & usu* recudi curavit, cui novae editioni animadversiones adjecit, in quibus *Morgagnum* aliosque lacessere non dubitavit: Ut proinde ex justo dolore calamum denuo arripere fuerit coactus, & epistolarum harum bigam amicis suis communicare, aequum duxerit, in quibus errores à *Bianchο* commissos, castigavit, & *Lancisii* nec non *Malpighii* suamque famam defendit.

§. DCCI.

Nova vero, quae hisce in epistolis continentur, & sublimiorem hepatis anatomen spectant, huc fere redeunt: Subtiliter in illis differitur de *ligamento hepatis suspensorio*, de *trunci venae cavae habitudine vera*, de *eminentiis & lobulis hepatis*, de *arteria hepatica*, de *ingressu venae portae in hepar*, de *exitu venae cavae ex hepate*, de *ramulorum venae cavae orificiis biantibus*, de *vasis lymphaticis jecoris*, de *productionibus membranaceis inter pancreas & cysternam chyli*, de *foveis hepatis*, de *funiculis*, *quos*

inter-

intercostalis & spinales nervi suppeditant, de *ductibus hepati-cysticis & cyst hepaticis in homine*, de *reticulata intimae faciei folliculi fellei structura*, de *valvulis ductus cystici*, de *glandulis folliculi ejusque ductuum*, de *tunicis folliculi fellei*, nec non de *finibus ductus hepatici*, & quae sunt ejus generis plura.

§. DCCII.

Singularem disquisitionem *de vena sine pari* Illustrissimus & reverendissimus DD. *Johannes Maria Lancisius* instituit, quam in meditationem ut descenderet, laudatissimus *Morgagnius* auctor ipsi fuit, eumque in finem epistolam ad *illum* scripsit, in qua haec *quatuor rerum momenta* solidius sibi declarari petiit; *Primum* est, quid causae sit, cur, quicquid sanguinis ex arteria magna per intercostales plerasque effluit, id omne non per totidem venulas, quae in cavam pari ordine desinant, in hanc refluat? *Deinde*, cur non in inferiorem truncum redeat, sed in superiorem? *Tertio* cur istuc non per duas venas, singulas videlicet more institutoque naturae ab singulis lateribus positas, sed per venam sine pari inferatur? *Postremo*, cur hujus ipsius venae truncus, non à sinistris, sed à dextris prorepat? Quanquam autem horum omnium rationes attingere non neglexerit *Morgagnius* noster, pleniorem tamen eorum perquisitionem *Illustrissimo Lancisio* maluit permittere, qui proinde pro praeclara, qua in rebus anatomicis pollet, scientia arduum argumentum adgressus, cogitata sua per epistolam amicissimo *Morgagnio* communicare non dubitavit.

§. DCCIII.

Equidem jam olim dignum judicavit hoc argumentum *Bartholomaeus Eustachius*, in quo ingenium suum exerceret: Confidit tamen illustrissimus *Lancisius*, non pauca se esse detectu-

detecturum ab aliis praetermissa. Quod si enim cum illo numerum spectes, in homine quidem, simia, cane, equo aliisque unica est utplurimum, eaque per dextrum thoracis latus producta ramos ad utriusque partis intercostales musculos protendit: In echino vero & mure sinistrum duntaxat latus illam perreptare & utrinque suas propagines mittere observavit *Eustachius*. Idemque animadvertit, suibus duplicem quidem datam esse, mirabili tamen artificio dispositam, ut sinistra à dexteris quoque, sed inferioribus costis, sanguinem excipiat. In aliis animalibus aliam venae azygae dispositionem ratione numeri adinvenit Illustrissimus *Lancisius*. Locum anastomoseos quod attinet, illum pariter non eundem omnibus esse deprehendit *noster*; In homine siquidem, ubi unica reperitur vena sine pari, ibi semper cum superiori cava extra pericardium, & supra asperam arteriam inosculatur; In simia, cane & fele cum eadem superiori cava, sed intra pericardium, & prope dexteram cordis auriculam jungitur. In aliis animalibus aliter res sese habet. Cum vero *Lancisii* institutum sit, humanam tantum *azygam* expendere, tanto lubentius mittimus discrimina proprietatum in caeteris animantibus, quo magis cum eodem intelligimus, ejusmodi venam apud homines peculiari artificio instructam esse, quippe qui respirationis organis uti debuerant, tum ad vocem multifariam excitandam flectendamque, tum ad varios ac pene innumeros corporis ac praecipue thoracis edendos motus, tum denique ad nonnullos pectoris morbos per anacatharsin profligandos.

§. DCCIV.

Itaque notat, *venam sine pari* seu comite in hominibus locatam esse intra thoracem ad radices costarum secundum

dexterum vertebrarum latus & caeterarum venarum more valvulis munitam ſurſum progredi, à ſepto nimirum transverſo inter pleurae membranas, atque in aſcenſu e ſingulis intercoſtalibus muſculis tam dexteris quam ſiniſtris ramos accipere, tandemque inſignem truncum conſtituentem curvo itinere ſeu paululum in arcum flexo ſupra tubum aſperae arteriae inter quartam, utplurimum & quintam dorſi vertebram aſſurgere, ac ſanguinem, quem convehit, univerſum ingerere atque immittere in ſuperiorem cavam, quo loco nondum pericardium ingreſſa eidem aſperae arteriae incumbit ac firmiter adhaeret. Et quanquam aliquibus viſum eſt, venulas à tribus vel quatuor ſuperioribus coſtis in *azygam* non derivari; Re tamen vera primus ramus, qui inter tertiam & quartam, vel, quod frequentius accidit, inter quartam & quintam coſtam progrediens, in *azygam* aperitur, tres ſurculos in via, qui ſanguinem e muſculis primarum coſtarum (unde revehunt etiam venulae à ſubclaviis & axillaribus, praeſertim in laevo latere) ad eandem venam ſine pari, veluti per communem canalem regerunt & importanf; Quos quidem ramulos *Euſtachius* etiam diligenter inſpexit atque deſcripſit.

§. DCCV.

Verum ne iis multum immoretur Illuſtr. *Lanciſius*, quae ab aliis jam adnotata leguntur, tria potisſimum occurrunt, quae in *azyga* ipſi obſervare contigit. *Primum* eſt; Nervos quosdam utrinque per dorſi coſtas inter pleurae membranas usque ad poſteriora diaphragmatis, ſingulas intercoſtales venas vago itinere & ſaepe ad rectos fere angulos ſecantes decurrere. *Secundum* eſt; Orificium ejusdem azygae in cavam dehiſcens ſemicirculo muſculari inſtar hemiſphincteris cum peculiari ramo munitum. *Tertium* denique eſt; In eadem anaſto-

anaſtomoſi venae *azygae* cum cava (quae ſane inoſculatio adamusſim accidit ſupra dorſum aſperae arteriae, priusquam in duos majores bronchiorum ramos faceſſat) animadvertisſe ſeſe, minimos tubulos ab inferiori ingredientis *azygae*, atque excipientis cavae parte inter tracheae annulos ac membranas ſenſim irrepentes, atque ad internam usque ipſius tracheae tunicam pervadentes. Quae deinde omnia luculentius perſequitur, &, quae peculiari obſervatione in iisdem à ſe fuerint deprehenſa, oſtendit. Tandem vero ad problematum à Cl. *Morgagnio* propoſitorum ſolutionem deſcendit, & primi problematis occaſione aliquid monet, de quo apud anatomicos altum putat eſſe ſilentium; Scilicet arterias intercoſtales, quae ab aörta ſiniſtrum latus petunt, breviores iis eſſe, quae ad dextrum tendunt: Contra vero ex ramis in azygam deſinentibus, ſiniſtros dextris eſſe longiores. Quod ſane non fruſtra vel fortuito factum eſſe opinatur, verum potius, quod vel major vis adhibenda eſſet in latere dextro ad ipſius thoracis dilatationem, quia hepatis moles liene major à coſtis ſpuriis loco ſuo in ipſa inſpiratione paululum movenda eſſet, vel ut in viribus ſanguinis utriusque lateris muſculorum aequalitas quaedam ſervaretur. Verum ſciendum eſt, utramque hanc rationem problematice tantum à *Lancisio* propoſitam eſſe.

§. DCCVI.

Accedamus nunc ad diſſertationem *Lancisii*, quam de ſtructura uſuque gangliorum conſcripſit, quo quidem nomine hic non intelligit morbidos nervorum nodos ſeu renitentes fibrarum contractiones tumoresque incertis in ſedibus à plaga vel nimia compresſione ſubortos; Sed naturalia, ob figuram *olivaria corpora* à *Fallopio* primum vocata, quorum

non modo ſtructuram & vim, ſed & uſum atque morboſas affectiones inveſtigavit. Quanquam autem, monente *noſtro*, puſilla quaedam ganglia, ſeu gangliorum rudimenta in nervorum truncis à cervice per ventres, atque per artus ubivis locorum reperiantur, in quibus diverſi ordinis nervi ſimul coëunt, majoremque ac praedurum caudicem efformant, à quo poſtmodum veluti à trunco ramuli prodeunt ac diſperguntur, ut adeo certus eorum numerus definiri nequeat: Tyrones tamen artis commonere aequum duxit, ne ſingulos nervorum plexus pro perfectis ſtatim gangliis habeant. Enimvero, ut praeclare loquitur *noſter*, rami nervorum, qui à veris gangliis proxime proficiſcuntur, lacertoſi ſunt ac musculares, iisque in varios deinceps veluti nerveos tendines abeunt, ubi poſtea in alios atque alios diſtribuuntur, tendinea pariter tunica circumveſtiuntur, plexumque ſaepe effingunt, qui non eſt conſiderandus tanquam novum ganglium, ſed utplurimum veluti pars ſeu membrum à ſuperiori ganglio productum atque elongatum.

§. DCCVII.

At vero ad genuinam gangliorum naturam intelligendam, jubet advertendum eſſe, non quaslibet nervorum complicationes, quae nempe in ovalem aut ſaltem hordeceum tumorem non elevantur, pro abſolutis perfectisque gangliis habendas vel conſiderandas, ſed vel pro tendineis propaginibus ſupernorum gangliorum vel pro colligationibus plurium ſimul nervorum aeſtimandas eſſe, quas interdum ipſa natura, medio quodam artificio inter perfectum ganglium & ſimplicem tunicam nectit atque complicat; Quae quidem natura induſtriori tandem opere eadem majora ganglia, ceu conglomeratas miſtasque glandulas & veluti robuſtisſimos muſcu-

mufculos exftruxit & fabricata eft. Figuram gangliorum non orbicularem, fed ovalem feu olivarem effe oftendit, ita ut verum ipfi ganglium conftare quodammodo videatur ex duobus conis per bafes commiftis, atque in medio conjunctis, quorum apex fuperior principium, inferior finem feu caudam conftituit.

§. DCCVIII.

Structuram gangliorum quod attinet, notum quidem eft, *Fallopium*, *Willifium* & *Vieuffenium* in ea evolvenda laboraffe; *Nofter* vero citra fucum edifferit, neminem, quod fciat, internam gangliorum fubftantiam perfecutum effe, fibrarumque ordinem, principium, fitum, modumque, quo excurrunt, recte pervidiffe ac delineaffe. Atque adeo adftipulatur *Morgagnio* noftro, qui mufcularem in ganglio fubftantiam quaerendam effe voluit. Diligenti enim accurataque adhibita gangliorum fectione, quae modo cruda, modo cocta, modo etiam longo tempore tum in urina tum in aceto macerata, deprehendit, eadem effe peculiares fuique generis mufculos, cum reipfa mufculari textura donentur. An vero glandularem etiam naturam participent, hoc eft, de quo *nofter* vehementer dubitat.

§. DCCIX.

Haec vero, quae de gangliorum ftructura eleganter expofuit, iter ipfi muniverunt, ad eorundem vim & actionem tanto melius affequendam; Hinc progreditur ad ufum eorundem declarandum, quantum nempe rei novitas pariter atque obfcuritas ejusdem pati videtur, nullo interea modo negligens ipfas quoque affectiones morbofas indicare, quibus ganglia expofita effe ipfe diuturno experimento animadvertit. Cum enim ganglia nihil aliud effe deprehenderit, quam

muſcularia ſui generis corpora, quae tendineis nervis ſanguinea praeſertim vaſa & muſculorum fibras veluti claviculis ſic apprehendant, ut ad dirigendum moderandumque animalis arbitrio liquidorum in illas influxum comparata ipſi eſſe videantur: Idcirco non dubitat adſerere, quod ganglia triplici malorum genere, quibus muſculares partes utplurimum tentari ſolent, ipſa quoque obnoxia eſſe posſint, nimirum primo convulſioni ſeu convulſivo motui, ſecundo convulſioni tonicae ac tertio ſemiparalyſi aut verae paralyſi.

§. DCCX.

Praeter hanc edidit aliam adhuc diſſertationem, operibus *Lanciſianis* inſertam, qua univerſi corporis humani ſynopſin anatomicam exhibuit. Praeterea de tabulis *Euſtachii* anatomicis ſcripſit, atque, prout & ipſe *Morgagnius* hinc inde ſuis in ſcriptis memorat, lucubrandis commentariis de corde & anevriſmatibus vacavit; An lucem publicam actu adſpexerint, mihi quidem ignotum eſt; Id tamen ſatis conſtat, quod *Lanciſius* Cl. *Aſſalto* hanc curam commendaverit. Probabile eſt, *Lanciſii* mortem harum lucubrationum editionem retardaſſe vel prorſus impediviſſe. Auctor quoque eſt tractatus de *mortibus ſubitaneis*, in quibus multa anatomica, ex cadaverum ſectionibus depromta continentur. Idem *nervi intercoſtalis* veram originem & progreſſum deſcriptum reliquit.

§. DCCXI.

Id denique laudi non exiguae cedit *Lanciſio*, quod, ſicuti ſuperius jam memoravimus, cum *Bartholomaei Euſtachii* ſcripta recenſeremus, promiſerit ille *tabulas anatomicas* aeri inciſas, quae tamen, licet anxie dudum deſideratae, dudum delituerunt, & diutius forte delituiſſent, niſi *Lanciſius* tandem easdem ex capſulis *Pini* protraxiſſet & imprimi curaſſet. Prodierunt itaque

que hae tabulae anatomicae *Eustachii*, praefatione tamen & notis illustratae, studio & opera *Johannis Mariae Lancisii*, cubicularii & archiatri Pontificii, quo proinde nomine non vulgares illustrissimo editori grates debentur.

§. DCCXII.

Historiam hepaticam seu tractatum de structura, usu & morbis hepatis conscripsit *Johannes Baptista Bianchi*, in quo, praemissa secretionum doctrina generali earundemque necessitate variis rationibus evicta, imo &, confutatis hypothesibus cum fermentationis assertorum tum poristarum, ad ipsam hepatis descriptionem propius accedit, illud primum secundum partes suas externas, vasa lymphatica & nervos, deinde etiam quoad reliquam sui structuram una cum cystide fellea delineando ac praeter usum bilis secretorium illos etiam hepati vindicando, quod non modo virtutem ventriculi chylificatoriam juvet ac promoveat, sed & sangvini diverticulum praebeat una cum liene, quotiescunque nempe is vel copia vel rarefactione auctus ultra ordinariam quantitatem ampliores vias exigit. Atque his jam superstruit statum hepatis praeternaturalem, omnesque ejus morbos ad tres classes reducit, nempe ad affectus à solido hepatis dependentes, deinde qui à fluido, sangvine, bile & lympha, quique tandem ab extraneo corpore, v. g. calculo, vermibus, flatibus &c. originem suam deducunt.

§. DCCXIII.

Idem *Bianchi* dissertatione epistolari ad virum Illustrissimum, *Josephum Lanzoni* descripsit ductus lacrymales novos eorumque anatomen, usum, morbos atque curationes; *Novi* dicuntur, non quod canales tales vel veteres vel recentiores penitus latuerint, cum neminem fugere possit, clarissimum

Morga-

Morgagnium ſuis in adverſariis anatomicis figuris illos adumbraſſe; Sed quod naturalem illorum diſpoſitionem, inprimis vero morbos & operationes illis convenientes exactius deſcripſerit. Quae tamen omnia ſicco hic pede praetereuntes, notamus ſolummodo, quae anatomicae conſiderationes ſunt, eaque vel nova tantum nomina prae ſe ferunt, vel reipſa *novis obſervatis* adnumerari merentur. *Nova* nomina ſunt, quando auctor duos ductus lacrymales, qui prope internum oculorum canthum à punctis palpebrarum lachrymalibus incipiunt ac nonnullis cornua limacum audiunt, *laterales* vocat, concurſum autem horum ſpeciatim *ſaccum*, & reliquum canalis, ſub inferioribus oſſibus ſpongioſis ſive turbinatis intra nares hiantis, *ductum longitudinalem* ſalutat, *roſtri ſacci* voce internam hujus prominentiam majorem intelligens. Verum *nova obſervata* ſunt annulus cartilagineus punctorum lacrymalium, fraenum palpebrarum oculi cum ſuis productionibus, ſacci lacrymalis duo annuli, ſuperior & major alter, alter inferior & minor, aequalis tum ſacci & ductuum lateralium, tum ductus longitudinalis & antri naſalis longitudo, ligamentula ſaccum cum ſubtenſis oſſibus nectentia, à perioſteo provenientia & ſacco vaginam ſimul tendineam concedentia, ductus lacrymalis longitudinalis à perpendiculo verſus poſteriora notabiliter declinans ac inaequalis capacitatis, dum latior à ſacci angulis deſcendit, mox gracileſcit & demum rurſus in pelvis modum ampliatur. Pertinet huc, quod primus adnotaverit *noſter*, cunctos ductus iſtos ex capite exemptos atque inciſos ob retia vaſcularia exquiſite interius rubeſcere, ſaccumque & longitudinalem ductum fibris quidem muſcularibus gaudere, ſaccum tamen peculiari ulterius ſubſtantia ſpongioſo-glanduloſa praeditum, ob eminentias plures minores & unam majorem vix ſenſibilem

ſibilem cavitatem obtinere, ductus autem longitudinali expanſioni pelviformi, qua intra naſi cavum patet, valvulam quandam tenuem ſeminularem praeponi, quae tamen nec canalem occludat, nec variorum à naribus ad oculum tranſitum arceat, niſi major aliquando extiterit.

§. DCCXIV.

Johannes Fantonus, Med. D. & in *Univerſitate Taurinenſi anatomiae* Profeſſor jam multis abhinc annis diſſertationes *anatomicas* ediderat, quas A. 1711. ſub titulo anatomiae C. H. ad uſum theatri adcommodatae *Auguſtae Taurinorum* recudi curavit. In tractatione ipſa ſic ſe geſſit auctor, ut praeliminari diſſertatione non modo mirabilem corporis humani fabricam primis veluti lineamentis adumbraret & durarum pariter ac mollium partium neceſſitatem demonſtraret, ſed etiam, quo mechaniſmo utraeque ad multiplices uſus concinnatae fuerint, fuſius declararet. Pergit hinc ad velamenta abdominis tam communia quam propria deſcribenda, & de peritoneo ſpeciatim notat, duabus tantum laminis, difficilius à ſe ſeparandis illud conſtare, etiamſi in peritoneo bubulo tres ſine negotio ſejungi poſſint. Sequuntur organa maſticationis ac deglutitionis, ſicque ordine deſcribuntur oeſophagus & ventriculus cum inteſtinis & omento ſuperincumbente, ubi vermicularis cylindrulus pro coeco habetur, qui in juvencula octo transverſorum digitorum longitudinem obtinuerit, ad colon inſtar infundibuli amplior. Expenditur deinde meſenterium cum ductibus chyliferis atque lymphaticis, qui in corpore cachectico, viginti poſt mortem horis aperto, *noſtro* adparuerunt. Hinc tranſitum facit ad deſcriptionem hepatis, pancreatis, lienis, renum, ureterum, veſicae renumque ſuccenturiatorum, & partium genitalium virilium, ubi circa

liquorem proſtatarum notat, eam tantum ob cauſam in urethram illum effundi, ut lubricetur & quaſi inungatur, ne ab urina acriori moleſtius vellicetur. Convertit hinc ſeſe ad deſcriptionem partium genitalium muliebrium, ubi negat, portionem ſeminis maſculini per tubam Fallopianam ad ovarium ferri atque ovulo inſinuari, credens potius, activitatem ſeminis à mucilagine tubae enervari, ulterioremque motum ad ovarium usque in prolixo iſto ac tortuoſo canali cohiberi. Tandem in hoc ventre circa uterum gravidarum, foetum, involucra, placentam uterinam & funiculum umbilicalem occupatus eſt, ubi tamen varia iterum dubia movet, reddens non modo incertum tempus, quo foetus in utero verti ſoleat, ſed & nutritionem foetus per os in dubium vocans, ideo quod foetus longe ante ſeptimum menſem capite ſuo orificio uteri inſiſtere deprehendatur, & humor omnis unice ex hujus folliculis glanduloſis in longe minori quantitate proveniat, quam ut foetui per os nutriendo ſufficiat.

§. DCCXV.

Exhibita hiſtoria partium infimi ventris, ad deſcriptionem mediae cavitatis ſeu thoracis ſeſe convertit auctor, ubi de mediaſtino, pericardio & thymo agit, inprimis vero elegantem ſtructuram cordis atque pulmonum evolvit, quos pro praecipuo reſpirationis organo habet atque in poſtica tracheae parte numeroſisſimarum glandularum, quas *Morgagni* expreſſerat, realem exiſtentiam ſua autopſia confirmavit & reſpirationis modum pariter atque uſum latius deduxit. Supremi ventris ſeu capitis deſcriptionem, in qua multa nova promittuntur, adhuc expectamus, animitus interim optantes, ut propediem lucem publicam adſpiciat.

§. DCCXVI.

§. DCCXVI.

Pertinet huc *Jacobi Vercelloni*, Pedemontani, phil. ac med. D. diſſertatio anatomico-medica de glandulis oeſophagi conglomeratis, humore digeſtivo vero ac vermibus; In qua negotium chylificationis explicaturus auctor, primum glandulas oeſophagi externas earundemque canaliculos excretorios patefacit, deinde verum humorem digeſtivum ab illis derivat, ac denique vermes ita ſubjungit, ut ultimam veluti manum imponere chylo videantur. Neſcio vero, quo impetu hodie auctores in verminoſam iſtam hypotheſin ruant. An forte, quia *Leuwenhoeckius* artificioſis ſuis microſcopiis illos ſeduxit? Verum abſtineo hac vice ab omni judicio, idque tanto lubentius, quo apertius jam id feciſſe animadverto celeberrimos actorum Lipſienſium auctores his verbis: *Interim* autor, *num in oeſophagi glandularum ſtructura earumque canaliculis, nec non in duobus fermentis digeſtivis, ſolutivo altero, altero transmutativo deſcribendis veritati magis litaverit, an imaginationi, non tam noſtrum eſt, quam lectoris, judicare.*

§. DCCXVII.

De *Antonio Maria Valſalva* jam ſuperius §. CCCXXXVII. commemoravimus, quod multa *nova* in ſtructura auris detexerit; *Nova* merito dicuntur quam plurima, quae in hac auris deſcriptione occurrunt, ſive auriculam & meatum auditorium, ſive tympanum & labyrinthum ſpectaveris. *Nova* enim ſunt non pauca in auricula & meatu auditorio detecta, uti ſunt glandulae cutis ſebaceae, cartilaginis quidam proceſſus, glandulae tragi, muſculus auriculae anterior, muſculi tragi & antitragi, novum auriculae ligamentum, verum meatus auditorii inceſſum obſervandi ratio, glandularum meatus auditorii corpus reticulare, auriculae & meatus auditorii

 rami

rami venoſi à peculiari vena occipitali oriundi, nonnulla baſis cranii foramina, certior nervum in odontalgia adurendi locus atque in parotide humana lymphatica ſeu conglobata glandula. Non minus *nova* quaedam demonſtrata ſunt in *tympani* cavitate, quae nempe membranae tympani compoſitionem ex duabus laminis, modum proceſſus mallei minoris muſculum à *Caſſerio* inventum detegendi, demonſtrationem ejus membranae mobilis, cujus interventu baſis ſtapedis cum feneſtra ovali connectitur, foramina tympani cum cavitate cranii communicantia nec non *tubae Euſtachianae* muſculum &c. concernunt. *Nova* denique aut ſaltem non adcurate ſatis deſcripta ſunt, quae in labyrintho ſeu interiore auris cavitate à *noſtro* obſervata ſunt, uti ſunt cavitas orbicularis ante canalis ſemicircularis majoris orificium proprium, canalium ſemicircularium proportiones, ſcalae tympani & veſtibuli differentia, quinque veſtibuli foramina nervos transmittentia, tres canalium ſemicircularium Zonae ſonorae &c.

§. DCCXVIII.

Georgius Baglivus, medicinae theoricae in *archilycaeo Romano* Profeſſor circa initium ſeculi hujus ſpecimen de *fibra motrice* & *morboſa* edidit, in quo, examinata ejus ſtructura, oſtendit, quanta vi polleant partes fibroſae ſolidae, ad motum fluidorum varia ratione modificandum. Occaſionem ipſi dedit lectio ſcriptorum *Hippocraticorum*, in quibus deprehendit, magnum hunc Graeciae medicum in curationibus morborum non tam ad humorum alterationem & correctionem, quod permulti recentiorum facere conſueverunt, verum potius ad ſolida eorundemque poteſtatem ac vim, quam in liquida exercent, reſpicere; Id quod ex *fotuum*, *frictionum*, *balneorum*, *ſuccusſionum*, *vellicationum* aliorumque talium remedio-

remediorum, ſolida potius adficientium, commendatione ſat liquido conſtat.

§. DCCXIX.

Ejusdem ſtudio variae quoque diſſertationes, quae anatomici ſunt argumenti, lucem adſpexerunt publicam, uti ſunt, quae anatomen tarantulae, itemque experimenta anatomico - infuſoria &c. ſiſtunt; Quibus etiam ſectio cadaveris Marcelli Malpighii, & quae in eo inventa ſunt, adnumeranda eſt. Ut taceam, ipſum quoque anatomen cordis teſtudinis exhibuiſſe.

§. DCCXX.

Anno 1707. faſciculus epiſtolarum prodiit, auctoribus *Georgio Deſnoues* ſive *Noveſio*, anat. & chirurg. Prof. in acad. Bononienſi, & *Guilielmino*, pariter medicinae & matheſeos *Profeſſore Patavienſi* aliisque, in quibus varia inventa nova continentur, uti ſunt *ſingularis nervi auditorii reptatus per auris* labyrinthum, methodus artificioſa vaſa ſanguinea replendi itidemque methodus partes elegantisſime cera imitandi, ut naturalibus quam ſimillimae reddantur; Quod, an ullus alius anatomicorum ante ipſum praeſtiterit vel praeſtare ſaltem potuerit, non recordor, me ullibi legiſſe.

§. DCCXXI.

A. 1709. *Laurentius Terraneus* tractatum ſuum de glandulis *univerſim* & *ſpeciatim* ad urethram virilem pertinentibus, quas pro novis venditat, publicavit, additis etiam majoris illuſtrationis gratia aliquot figuris, Cl. *Mangeto* communicatis, qui eas theatro ſuo anatomico inſeri jusſit. Re autem penitius expenſa, glandulae iſtae eaedem eſſe videntur cum iis, quas jam antea *Morgagni*, *Littre*, & *Cowperus* deſcripſerant.

§. DCCXXII.

Continet autem univerſus tractatus 5. capita, in quorum *primo* de glandulis disgregatis in genere, in *ſecundo* de glandulis diſgregatis urethrae, in *tertio* de glandulis conglomeratis ejusdem, in *quarto* de glandularum conglomeratarum urethrae muſculo, ac denique in *quinto* de morbis glandularum urethrae ac ſpeciatim de gonorrhoea agitur; Quae omnia deinde uſibus phyſiologicis ac pathologicis adplicantur.

§. DCCXXIII.

Johannes Hyacynthus Vogli, philoſophus ac medicus *Bononienſis* de *anthropogonia* diſſertationem anatomico-phyſicam conſcripſit & duas in partes diſtinxit, in quarum *priore*, de viviparorum geneſi agens, ova vivipara refellit, in *poſteriore* vero novum ſpecimen per uterinae ſubſtantiae elongationem atque ordinatam texturam ex ſeminibus plasmantibus propugnat. An vero hac ſua theoria, quam pro nova venditat, plus luminis abſtruſae doctrinae de generatione animalium accenderit, alii dijudicent.

§. DCCXXIV.

Prodiêrunt quoque ſtudio & opera *Petri Simonis Rubalti, Regis Sardiniae & generalis militaris chirurgi, profeſſoris chirurgiae Taurinenſis, ut & chirurgi jurati Pariſienſis & academiae ſcientiarum regiae ſocii*, obſervationes anatomico-medicae, illuſtrandae oeconomiae foetus humani inſervientes. Comprehenduntur autem, quae partim nova detexit, partim ab aliis jam deſcripta ſunt, ſex capitibus, in quorum *primo* de placenta & membranis foetus, in *ſecundo* de funiculo umbilicali, in *tertio* de nutritione foetus, in *quarto* de motuum potentia, qua ſanguis à matre ad foetum urgetur, in *quinto* de circulatione ſangui-

ſanguinis per cor in foetu ac denique in *ſexto* de partus cauſis agitur.

§. DCCXXV.

Cum vero in modo, quo ſanguis in foetu humano circulationem ſuam abſolvit, ab opinione *Harvei* & *Mery* recederet, ac theſes ipſius, quas ea de re concinnaverat, cenſuram *Winslovii* ſubiiſſent, ſui officii eſſe putavit, cenſurae huic ſuam opponere reſponſionem; Unde opuſculum ſub hac inſcriptione enatum eſt: *Petri Simonis Rubalti* reſponſum ad cenſuram D. *Winslovii*, ſuper commentarium ſuum de circulatione ſanguinis in foetu humano factam; Quam controverſiam nos ſuo loco relinquere cogimur, brevitati quippe ſtudentes.

§. DCCXXVI.

Joſephus Pozzi, *Jacobi* filius, Profeſſor anatomes *Bononienſis*, & academiae ſcientiarum inſtituti ſodalis, duas habuit orationes, quibus *epiſtolare anatomicum commentariolum* adjecit, eo forte conſilio, ne orationes ipſae nimia ſterilitate lectoribus taedium parerent. Continet vero epiſtola obſervationes aliquot, quae anatomen propius reſpiciunt, uti ſunt: Ungues à muſculorum tendinibus, per extrema digitorum internodia diffuſis ſubnaſci. Structuram thymi eſſe celluloſam, & intra cellulas obſervari fibrillas quasdam carneas, quas firmitati ac motui thymi inſervire exiſtimat, & quae ſunt pauca alia.

§. DCCXXVII.

Induſtria atque labore *Dominici Gagliardi*, M. D. & Profeſſoris anatome oſſium, novis inventis illuſtrata prodiit. In praefatione pollicetur lectori, ſe *medullae oſſium ſecernicula ac ejus receptacula delineaturum, oſtendendo artificium, quo laminis*

internae

internae ſubſtantiae ea alligata ac diſtributa ſint? Idem quoque ſpem facit, ſe nonnulla quoque *de circulatione ſanguinis per oſſa ac per medullas* adlaturum, ubi mirabile artificium, quo in tali parte refluus ſanguis propellitur, & ea occaſione plurima alia curioſa aeque ac utilia eventilanda ſibi propoſuit.

§. DCCXXVIII.

Ordo vero totius operis talis eſt: Praemiſſa praefatione, agit primo in capite de compoſitione oſſium in genere, ſubjunctis novem obſervationibus admodum curioſis, quibus ſtructura oſſium ex ſententia *Gagliardi* confirmatur. In *ſecundo* capite particularem oſſium indaginem inſtituit, eamque pariter octo obſervationibus corroborat.

§. DCCXXIX.

Antonius Nicolaus Barnabeus ſua, nempe italica lingua de *mortibus ſubitaneis* ſcripſit, quarum cauſſas ut experiretur certius, cadavera talium hominum, qui plane ex improviſo denati erant, cultro anatomico ſubjecit.

§. DCCXXX.

Eodem ſibi vernaculo idiomate *Thomas Alghiſi* tractatum ſuum de *lithotomia* concinnavit; Quod argumentum cum rite tractare non poſſet, niſi probe cognita ſtructura partium ſecandarum: Hinc non modo deſcriptionem ſed & figuras novas partium, urinae ſe & excretioni inſervientium praemiſit.

§. DCCXXXI.

Et quamvis *Franciſcus Maria Nigroſolius* anatomica ex profeſſo non ſcripſerit: Nihiloſecius tamen, cum a. 1712. conſiderationes quasdam de generatione viventium & ſigillatim monſtrorum ederet, vix impetrare à ſe aliter poterat, quin anatomica quaedam immiſceret.

§. DCCXXXII.

Antonius Saracenus anatomiam quidem C. H. publico exhibuit, ſed, ut ipſe ingenue fatetur, ex anatome quadam gallica, quam *anonymus* quidam ediderat, in linguam italicam converſam; Additae tamen ſunt adnotationes quaedam, comprehendentes eorum multa, quae noviter in anatomicis inventa ac detecta ſunt.

§. DCCXXXIII.

Jacobus de Sandris, anat. & chir. prof. in acad. *Bononienſi* nihil quidem, quod *anatomen* ſtricte concerneret, in publicum dedit, niſi quod de ventriculo & glandulis egerit; In tractatu tamen, quem de ſtatu ſanguinis naturali pariter ac praeternaturali reliquit, non pauca anatomen ſpectantia continentur.

§. DCCXXXIV.

Sebaſtiani Melli, profeſſoris Veneti, nullam aliam ob rationem hic mentio injicitur, quam quod in tractatu ſuo, de *fiſtula lacrymali* conſignato, melioris doctrinae gratia, ductus lacrymales deſcribere ac delineare fuerit coactus. Quod idem argumentum etiam *Dominicus Anellus* ſibi evolvendum ſumſit.

§. DCCXXXV.

In *gallica* natione, ad cujus ſcriptores anatomicos nunc progredior, permulti quoque fuêre, qui in hoc ſtudii genere eminuerunt, & quorum non paucos jam in ſuperioribus recenſuimus. Inficias tamen ire neque poſſumus neque debemus, quod eorum nonnulli plus curioſitati, quam verae ac ſolidae utilitati tribuerint; Id quod tamen laudatisſimis hujus nationis conatibus, artem tam utilem atque neceſſariam excolendi, nihil derogare poteſt. Multi non contenti iis,

quae ſenſus ſubminiſtrant, more *Leuwenhoeckii* oculis armatis utuntur & interiora rerum hoc beneficio rimari conantur, unde tamen ſaepius exigua imo nulla ſolida utilitas reſultat. Hujus cenſus eſſe videtur labor, quem Dn. *Chirac*, profeſſor regius in academia *Monſpelienſi* circa *pilorum ſtructuram* ſuſcepit. An vero ex talibus praeſuppoſitis, quae ab ipſo formantur, pilorum phaenomena, ut nihil tamen cöacti admittatur, explicari posſint, aliis dijudicandum relinquo.

§. DCCXXXVI.

Utiliorem in ſe operam ſuſcepit *Johannes Bagetus, magiſter chirurgus juratus Pariſienſis, atque anatomiae & chirurgiae demonſtrator*, qui eo non obſtante, quod ab aliis deſcriptiones osſium ſatis adcuratae jam proſtent, *oſteologiam* tamen publicavit, in qua unumquodque os ratione partium, ex quibus componitur, cavitatum, quae inibi exiſtunt, & articulationum cum aliis osſibus, conſideratur. Diſtinxit auctor opuſculum ſuum in tres *tractatus*, quorum *primus* lucem jam adſpexit, & in quo de osſibus, nulla partium molliorum ratione habita, agitur.

§. DCCXXXVII.

Quamvis aliquoties jam *Jacobi Benigni Winslovii ex academia regia ſcientiarum doctoris regentis, Facultatis medicae in academia Pariſienſi, ſeniorisque profeſſoris anatomiae & chirurgiae ejusdem Facultatis* mentio hoc in ſcripto facta ſit; Nondum tamen *expoſitio anatomica* ſtructurae C. H. per illum luci publicae data à nobis recenſita eſt. Placuit vero celeberrimo auctori, hoc ſuum anatomicum opus, *Veſalii* exemplo, in quatuor tomos diſtinguere, ita ut *primus* doctrinam osſium, *alter* muſculorum, *tertius* vaſorum & *quartus* reliquorum abdominis viſcerum pariterque thoracis & capitis & praecipuarum

puarum glandularum proponeret. Quid vero ſingulare in ſingulis praeſtiterit, & quibus acceſſionibus anatomen pro vaſta, quam in hac arte poſſidebat, ſcientia, locupletaverit, nimis prolixum foret hic recenſere. Ad commendationem operis ſufficere hac vice poteſt, quod ſtatim ac lucem adſpexit publicam, in germanicam, anglicam & forte alias verſum fuerit.

§. DCCXXXVIII.

Johannes Creſcentius Garengeot, chirurgiae demonſtrator regius in collegio S. Coſmi, ut & ſocietatum, *Londinenſis* ac *Pariſienſis* membrum, in lucem dedit *ſplanchnologiam* ſeu anatomiam viſcerum cum figuris, quam ex gallico in teutonicum vertit *Johannes Alexander Miſchel*, una cum diſſertatione de origine chirurgiae & medicinae.

§. DCCXXXIX.

Comprehenditur tribus diſtinctis partibus, in quarum *prima*, praemiſſa partium omnium definitione generali, abdominis, in *ſecunda* thoracis viſcera ac denique in *tertia* capitis partes tam externae quam internae deſcribuntur.

§. DCCXL.

In obſervationibus *medico-chirurgicis* D. *Wagret* haud pauca etiam anatomen concernentia occurrunt; Ut *oſteologiam* taceam. Similiter *Louis-Leger de Gouey*, chirurgus gallus in *chirurgia*, quam *veram* appellare amat, nova inventa, *oſteologiam* aeque ac *myologiam* illuſtrantia in medium producit.

§. DCCXLI.

Cum obſtetricandi ars non admodum fructuoſe exerceri ab eo poſſit, qui anatomes penitus ignarus eſt: Hinc *Franciſci Mauriçau* obſervationes eo majori in pretio habendae

 ſunt,

ſunt, quo pluribus ad anatomen ſpectantibus animadverſionibus ſunt exornatae. Simile inſtitutum adprobavit obſtetrix quaedam gallica, *de la Marche* dicta, quae in praeceptis, ſcitu obſtetricibus admodum neceſſariis, talem partium genitalium deſcriptionem ſuppeditavit, quae arti iſti cum ſucceſſu exercendae ſufficiat.

§. DCCXLII.

D. *Verduc* myologiam edidit, & *Berengerus*, qui tractatum de herniis publicam in lucem emiſit, nihil omiſit eorum, quae ad deſcriptionem earum partium pertinent, in quibus herniae contingere conſueverunt, adjectis, melioris illuſtrationis gratia, figuris.

§. DCCXLIII.

Jnngimus hiſce D. *Beſſe*, M. D. qui tractatum anatomicum in partes diſtributum edidit, in quo praeter ſtructuram uſus etiam partium C. H. explicatur.

§. DCCXLIV.

Briſſaei tractatus de *cataracta* & *glaucomate* alio nomine hic non memoratur, niſi quod, ad cauſſam horum malorum rectius intelligendam, oculi ſtructuram concinne admodum deſcripſerit. In eodem argumento induſtriam ſuam exercuit *Antonius Maitre Jean*, chirurgus, qui, ut morbos oculorum ſcientifice magis tractaret, deſcriptionem oculi anatomicam praemiſit.

§. DCCXLV.

De *generatione hominis* tractatum gallicum in publicum emiſit *Nicolaus Venette*, medicus & profeſſor quondam *Rupellenſis*, qui a. 1702. *Coloniae* auctior cum figuris, partium genitalium ſtructuram & totum generationis negotium illuſtrantibus

prodiit

prodiit. Optarem vero cum Cl. *Heistero*, castis auribus & oculis pepercisse *nostrum*, cum juvenilis aetas ad illecebras venereas sponte jam satis propendeat.

§. DCCXLVI.

Subjungo his chirurgum *Parisiensem*, *Saviardum* nempe, qui quidem fasciculum tantum *observationum chirurgicarum* scripsit, verum quibus non paucae anatomicae, ex cadaverum sectionibus depromtae, sunt insertae.

§. DCCXLVII.

Meryo ac *Littrio* non paucas eximias debemus observationes, quas *academiae scientiarum regiae Parisiensi* inseri curarunt, & quarum aliquot jam supra commemoravimus.

§. DCCXLVIII.

Inter Anglos hoc nostro tempore anatomicam artem illustrarunt, qui sequuntur: *Carolus Holt*, ad editorem *actorum philosophicorum Anglicorum* litteras perscripsit, in quibus commemorat, se sectioni infantis, duos menses nati, interfuisse, in cujus abdomine aperto, praeter hepar, renes, vesicam urinariam & intestinum rectum, nullum aliud viscus, alias secundum naturam in eo reperiundum oculis sese objecerit; At vero, sterno remoto, mesenterium cum adjunctis intestinis, super cor & pulmones expansum in cavitate thoracis conspectum est. Omentum una cum mediastino omnino desideratum fuit; Id quod tamen pro certo & indubitato auctor venditare non audet.

§. DCCXLIX.

Jacobus Douglassius, magnae Britanniae Regis archiater extraordinarium Coll. med. Londinens. & societatis regiae Collega scripsit speciem *myographiae comparatae* sive *descriptionem*

 compa-

comparatam corporis humani & quadrupedum, lingua nempe anglica, quam *Johannes Fridericus Schreiberus* latinum in ſermonem convertit. Addita eſt deſcriptio nova muſculorum, mulieribus propriorum una cum tabula etymologica. In lucem primum emiſſa eſt Londini A. 1707. noviter vero edita *Lugduni Batavorum* A. 1729. cui poſtremae editioni interpres multas egregias obſervationes anatomicas adjecit. Multa quoque praeſtitit in anatome C. H. quam *Guilielmus Cheſeldenius*, chirurgus *Londinenſis* in publicum dedit, ſicuti ipſemet lubens in praefatione confitetur. Praeterea deſcriptio adcuratior *peritonei* & *membranae cellularis* eidem debetur, quam una cum recenſione veri ſitus omnium viſcerum abdominis, quantum ad has partes attinet, ex anglico latine vertit & annotationibus auxit *Elias Fridericus Heiſterus*, filius *Laurentii*. Denique *bibliographiae anatomicae* ſpecimen edidit, in quo praecipuos, ſi non omnes, ſcriptores anatomicos a magno *Hippocrate* usque ad *Harvaeum* adcurate deſcripſit.

§. DCCL.

Guilielmus Rutti, Med. D. ſocietatis regiae collega & anatomiae in theatro chirurgico lectoris tractatum de *viis urinariis* conſignavit, quem in tres ſectiones diviſit, in quarum prima, nempe *anatomica*, ſingulas partes, urinarum ſe & excretioni dicatas, renes, ureteres, & veſicam urinariam explicuit, quibus tamen partibus renes quoque ſuccenturiatos addidit. *Altera* ſectio eſt phyſiologica ac *tertia* pathologico-therapeutica, quae tamen utraque non eſt hujus loci.

§. DCCLI.

Jacobus Keil, M. D. anatomiam corporis humani, in compendium redactam reliquit, quae *Londini* A. 1718. ſextum prodiit.

diit. Septem continet capita, in quorum *primo* de partibus constitutivis, externis & communibus, in *altero* de infimo ventre, in *tertio* de thorace, in *quarto* de capite, in *quinto* de ossibus, in *sexto* de musculis & in *septimo* demum de nervis, venis & arteriis tractatur. Et licet hac anatome clar. auctor non exiguam sibi famam comparaverit; Non minori tamen adplausu exceptus est quoque ejusdem tractatus de *secretione animali*, qui licet pure *physiologicus* esse videatur: Multa tamen etiam, natura rei sic expostulante, *anatomica* continet.

§. DCCLII.

Inter commentatores ossium, quorum plures hinc inde commemoravimus, referri etiam meretur *Alexander Monro*, Professor *anatomiae* in academia Edimburgensi, qui, licet multa jam satis nota adferre necesse habeat; Non pauca tamen etiam hoc in scripto leguntur, quae aliis aliter visa sunt. Ita v. g. de periosteo agens, duplex ei stratum vindicat, quorum alterum, nempe membranaceum à dura matre ortum ducere, alterum vero à musculosis fibris repetendum esse existimat. Per ossa tam vasa sanguinea quam nervos disseminari credit: Unde non omnem illis sensibilitatem denegandam esse censet. Plura talia specimina, quod factu facile esset, excerpere, instituti nostri ratio haud patitur.

§. DCCLIII.

Eidem huic volumini, eodem auctore, adjunctus est tractatus anatomicus de *nervis*, nec non recensio *motuum reciprocorum cordis*, ut & *sacci ductusque lactei humani* descriptio. Nervum parvulis segregatisque constare fibris adserit quidem, at nulla tamen oculo etiam quam maxime armato osculi vestigia exhibere lubens confitetur; Quo tamen nihil obstante argumen-

argumentis *Bellini*, *Bohnii*, & *Pitcarnii* convictus concedit, nervos esse fasciculos vasorum, per quae conveniens angustiae viarum liquor transvehi queat. Quanta vero incertitudine hae tales res adhuc laborent, ipse dissimulare nequit.

§. DCCLIV.

Johannes Freind, M. D. & serenissimae reginae Carolinae archiater, ob historiam medicinae, quam à *Galeni* tempore usque ad initium seculi 1716. concinnavit, eruditis satis notus, in *emmenologia* sua *structuram uteri* ejusdemque *vaginae* adcurate admodum descripsit, ut naturam & caussam fluxus mulierum menstrualis eo felicius investigaret.

§. DCCLV.

Simili modo in *ophthalmiatria* sua sese gessit *Guilielmus Coowardus*; Vix enim possibile erat, in ejus elaboratione digne ac fructuose versari, nisi oculi ejusque partium structura & functionibus rite praemissis. Jungo huic *Guilielmum Read*, ocularium, cui idem placuit consilium; Acturus enim de morbis oculorum, condigne se hoc praestiturum vix sperabat, nisi oculorum anatomica consideratione debite praemissa.

§. DCCLVI.

Gibsius observationes de *adfectibus scrophulosis* cum publico communicavit: Qua occasione suas, quas de *glandularum structura* fovit, considerationes, eruditorum quoque judicio exposuit.

§. DCCLVII.

Petrus Kennedy in *ophthalmographia* sua quadam quasi necessitate coactus fuit, ut structuram oculi simul explicaret, cum alterum sine altero condigne tractari nequeat. Quod idem

idem institutum adprobavit quoque *Georgius Berckeley*, hybernus, qui, *novam visionis theoriam* traditurus, necesse omnino habuit, ut *oculi anatomen* conjungeret.

§. DCCLVIII.

Guilielmus Cheseldenius, cujus jam antea de *Douglassio* agentes, mentio injecta est, *anatomen* C. H. vernacula sua conscripsit, in qua varias non modo observationes, ab aliis praetervisas attulit, sed & variarum C. H. partium delineationes viginti tribus tabulis aeneis exhibuit. Ex his prae reliquis notatu digniores judicat Cl. *Heisterus*, quae *vasa lactea* una cum *ductu thoracico*, *sinus* & *arterias cerebri* itidemque *intestinorum arterias* & totius *venae portae* delineationem, nec non *ductus hepatici pororumque bilariorum* per totam hepatis substantiam distributorum ac deniq; *organa*, *urinae se - & excretioni inservientia vasaque cordis* ac *hepatis* ex foetu desumta repraesentant.

§. DCCLIX.

Guilielmus Cockburn, gonorrhoeam virulentam rite descripturus, sponte absolutam agnoscebat necessitatem, describendi simul ipsas illas partes, quae in foedissimo hoc morbo, ex impura venere ortum trahente, potissimum adfectae sunt.

§. DCCLX.

Idem plane institutum placuit *Johanni Purcel*, qui in colicae natura exponenda occupatus, vix abstinere potuit, quo minus qualemcunque partium in colica laborantium descriptionem anatomicam subministraret. Cur vero digressionem ad *lienem*, ejusque structuram & usus singulares evolvendos, alieno plane loco fecerit, ejus rei rationem nec facile nec adcurate comprehendo.

§. DCCLXI.

Archibaldi Pitcarnii, qui natione quidem *Scotus* fuit, sed tamen in academia *Lugduna-Batava* professione publica perfunctus est, scripta magno quidem adplausu sunt excepta; Verum paucissima in illis occurrunt lectori, quae nostrum, nempe *anatomicum* argumentum stricte concernunt.

§. DCCLXII.

Cumque nihil sit, ut jam aliquoties monuimus, quod observationes medico-practicas clarius illustret atque confirmet, quam *anatome practica*: Hinc *Hum. Ridley*, M. D. & coll. med. Lond. socius, operae pretium esse duxit, ut, quas collegerat observationes tam physiologicas quam practicas, sectionibus corporum humanorum, variis morbis extinctorum, corroboraret. Inscriptio opusculi haec est: *Observationes quaedam medico-practicae & physiologicae, inter quas aliquanto fusius agitur de asthmate & hydrophobia, quarum etiam decem ultimis subjiciuntur administrationes totidem corporum, morbis, quorum tituli observationibus iis praefiguntur. anatomicae; Cum particulari & non ante observata de cordis in embryone vasorum structura, & juxta cum sanguinis circuitu dissertatio.*

DCCLXIII.

Ex *Suecis* & *Danis* pauci sunt, quorum scripta hoc seculo ad nos pervenerunt, nisi *Johannem Chr. Heyne* & *Christianum Stroem* excipere placeat. *Ille* namque, ossium morbos expositurus, eorundem structuram perite conjunxit. *Hic* vero in *nova motuum reciprocorum machinae animalis theoria, ex partium organicarum structura & proprietatibus deducta*, ad anatomicae artis subsidium hinc inde recurrere coactus fuit.

§. DCCLXIV.

§. DCCLXIV.

Praeter hos inter ſcriptores ſeculi decimi ſexti *Johannis Jacobi Döbelii*, med. D. & civitatis *Gothoburgenſis* ac provinciae *Babuſienſis* medici ordinarii mentionem facere debuiſſem. Verum cum ſerius ad notitiam meam pervenerit ſcriptum ipſius, malui illud alieno loco recenſere, quam ſilentio penitus velare. Deſcriptam itaque reliquit hiſtoriam glandis penis cancroſi ac feliciter diſſecti cum adnexa quaeſtione: Num, qui integris inſtructus eſt teſticulis, pene vero vel natura breviore vel caſu abbreviato, ad prolificationem aptus eſſe posſit?

§. DCCLXV.

Verum *germani* noſtri magno numero in ſcenam prodiêre, atque ad *anatomen* ulterius expoliendam ſocias operas contulerunt. Spectat huc *Bartholdus Krügerus*, medicus *Brunſvicenſis*, qui non tam de anatomia ipſa, verum de adminiſtrationibus anatomicis tantum ſollicitus fuit. Inſcriptio tractatus haec eſt: *Anatomicus curioſus* Θιαδίδακτος, h. e. ut ipſe eam declarat, methodus ſecandi cadavera Hippocratica-Democritea.

§. DCCLXVI.

Bellingeri deſcriptio ductuum, ex glandula thymi ad os abeuntium, pleriſque ſuſpecta eſt; Niſi ergo clarior ei lux adfundatur, ejus exiſtentiam in medio merito relinquimus.

§. DCCLXVII.

Johannes Conradus Ammanus, natione quidem *Helvetius* fuit, ſed *Amſtelaedami* praxin medicam exercuit. In tractatu, quem *ſurdum loquentem* inſcribit, loquelae organa, *linguam, laryngem, nares, palatum, uvulam, dentes, labra &c.* adcurate deſcripſit.

ſcripſit. De eodem hoc argumento aliquot annis poſt etiam *Dodartius* in galliis diſſeruit.

§. DCCLXVIII.

Johannis Nicolai Pechlini ideo tantum in hiſtoria *anatomes* mentionem facimus, quia in tractatu de *purgantibus* qualemcunque *ventriculi*, *inteſtinorum*, *hepatis* atque *pancreatis* deſcriptionem ſimul ſuppeditavit. De *Chriſtiano Maximiliano Spenero*, magni illius theologi n. t. filio, ſatis quidem notum eſt, quod in *theatro anatomico Berolinenſi* demonſtrationibus talibus diligenter vacaverit; An vero ſcripta quaedam reliquerit, ignotum mihi eſt, niſi quod a. 1704. myographiam *Johannis Browne* ex anglico in vernaculum tranſtulerit, multisque additamentis locupletaverit.

§. DCCLXIX.

Güntherus Chriſtophorus Schellhammerus, M. D. & antehac in *Julia*, deinde in *Jenenſi* tandemque in *Kilonienſi* profeſſor fuit. In *analectis anatomico-phyſiologicis* libere quidem, quae in ſectionibus cadaverum obſervavit, exponere potuiſſet, ſed ab invectivis in *Verheyenium*, *Williſium*, *Nuckium*, *Tournefortium*, *Gavettum*, *Highmorum*, *Vieſſenium*, *Bellinum* pluresque alios abſtinere merito debuiſſet. Veritatis character eſt, ſine bile eandem profiteri. Quae praeterea à *Schellhammero* obſervata ſunt, in epitomen congeſta in ſuo *inaugurali* programmate *Heiſterus* p. 133. 134. 135. & 136. expoſuit.

§. DCCLXX.

Ex eorum numero, qui *medicinam forenſem* tractarunt, innotuit *Valentinus*, *Zittmannus* aliique, qui ex variis cadaverum ſectionibus utiliſſimas, *anatomen* illuſtrantes collegerunt obſervationes. *Valentino* praeter *pandectas* & *novellas medico-*

dico-legales debemus quoque *medicinam nov-antiquam*, in qua delineatio *ductus thoracici* ex *Saltzmanno* tamen mutuata continetur. *Zittmanni* vero prolixum opus nil nisi casus continet, qui ad facultatem medicam *Lipsiensem* transmissi & ab eadem elaborati sunt.

§. DCCLXXI.

Georgius Albertus Hambergerus, existentiam DEI, quod alii jam ante ipsum fecerant, probaturus, ad artificiosissimam cordis structurum recurrit.

§. DCCLXXII.

Christophorus Jacobus Trewius, med. D. & reipublicae Norimbergensis physicus ord. os *sesamoideum* in externo femoris condylo, similiterque in primo digiti auricularis articulo saepe reperiundum delineavit. Promisit praeterea decadem observationum anatomicarum, quae, an lucem adspexerint, mihi certo non constat.

§. DCCLXXIII.

Heinricus Bassius, med. ac chir. D. nec non in alma *Fridericiana* P.P. observationes *anatomico-chirurgico-medicas* scripsit, quas in IV. decades digessit, variis observatis rarioribus exornavit, & solidis medicae scientiae principiis superstruxit, variis figuris aeneis additis.] Anatomen caeteroquin exacte callere *Bassium*, ex cadaverum sectionibus, quas *Halis* administravit, satis constat.

§. DCCLXXIV.

Hoc anno mense martio debita naturae persolvit *Polycarpus Gottlieb Schacherus*, phil. & med. D. & in acad. *Lipsiensi* therapevtices P. P. O. Fac. med. Dec. perpetuus, Universitatis senior & decemvir, in cujus vita describenda ideo prolixus

non ſum, quod eam in novellis litterariis *Lipſienſibus* A. 1737. menſ. Aprilis adcurate jam video delineatam. Scripta vero noſtri argumenti ac diſputationes, quas reliquit, hae ſunt: De loquela hominis; De cataracta; De deglutitione; De fiſtulae ſpiritalis fabrica ejusque ſectione, quam *bronchotomiam* nuncupant; De placenta uterina ejusque morbis; De anatomica praecipuarum partium adminiſtratione, de qua diſputatione id cum primis notari meretur, quod in ea nova plane ſingularis deſcribatur machina, aeri inciſa, concurrente in primis antlia pnevmatica, vaſa alicujus viſceris cera vel mercurio vivo ita adimpleri poſſunt, ut melius in conſpectum producantur. De anatomia & phyſiologia in genere; De partibus C. H. externis & internis; Inter programmata ejusdem pariter occurrunt, quae anatomen concernunt, & tractant de anatomia C. H. olim invidioſa ſatis atque exoſa, ſumme tamen neceſſaria; De nuda peritonei dilatatione, herniarum cauſa; De vaſorum biliariorum exiſtentia & diſtributione; De prolapſu vaginae uterinae &c.

§. DCCLXXV.

Jacobus Benignus Winslow, cujus jam alio loco perhonorifica facta eſt mentio, anatomiae & chirurgiae in Facultate medica *Pariſienſi* Prof. nec non regiae ſcientiarum ſocietatis *Pariſienſis* & *Berolinenſis* membrum ſpectabile hoc noſtro tempore tantam in anatomica arte famam & exiſtimationem ſibi comparavit, ut de palma cum pleriſque aliis hujus aevi certare jure poſſit. Ipſe ſcil. manum admovit operi, atque hinc intervallo aliquot & viginta annorum, quos informandis aliis Gallis aeque ac exteris in hoc ſtudii genere impendit, tantam ſibi dexteritatem adquiſivit, ut univerſi corporis humani elegantisſimam ſtructuram feliciter ob oculos poſuerit.

§. DCCLXXVI.

§. DCCLXXVI.

Luci proinde publicae exposuit *tractatum anatomicum* gallica lingua, ex qua tamen, ut nostrorum etiam germanorum usui inservire posset, in vernaculam nostram jam dudum translatus & a. 1733. Berolini in forma, ut dicunt, octava editus est. Haec ipsa vero editio in quatuor volumina est distincta, in quorum *priore* de ossibus tam *recentibus* quam *siccis*, in *altero* de musculis, in *tertio* de arteriis, venis & nervis agitur; Quibus omnibus demum terminorum anatomicorum, ossis, cartilaginis, ligamenti, fibrae, glandulae, pinguedinis &c. explicatio una cum integumentorum corporis communium historia subjungitur. Tandem vero quarta in parte viscerum explicationi sese adcingit, singulosque tres ventres, caput, thoracem & abdomen percurrit.

§. DCCLXXVII.

Christianus Polycarpus Leporinus, M. D. disquisitionem brevem quidem, fundamentalem tamen de secundinis retentis communicavit eruditis; Quam anatomicae tractationi *Friderici Rhyschii* de musculo in fundo uteri observato modeste opposuit.

§. DCCLXXVIII.

Johannes Fridericus Ermelius, Grimma-Misnicus, M. D. & practicus, auctor est tabularum *physiologico-anatomicarum*, quae fundamenta tradunt medicinae tyroni, ejusque fini inserviunt. In praefatione libere fatetur, se *Schachero* Lipsiensium professori celebri, quem praeceptorem suum veneratur, debere. Nec tamen dissimulat, multum se quoque ex *Stahlii* & *Nenteri* scriptis profecisse.

§. DCCLXXIX.

§. DCCLXXIX.

Univerſum vero opus ita digeſſit, ut tabula *prima* anatomiae definitionem praemitteret, in *ſecunda* de inſtrumentis anatomicis & in *tertia* de objecto artis hujus ageret. Tabula *quarta* externas corporis humani denominationes, *quinta* & *ſexta* vero oſteologiam in genere exhibet; *Septima* de osſium cavitate eorumque perioſteo, medulla & cartilagine, *octava* de partibus eminentibus oſſiumque connexione agit & *nona* atque *decima* & *undecima* demum ſpecialem oſteologiae partem ſiſtit una cum osſiculis auditus, faciei &c. Tabula *duodecima* de dentibus, *decima tertia* de oſſe hyoide, *decima quarta* de oſſibus ſpinae vertebrarum, *decima quinta* & *ſexta* de osſibus thoracis, ſpeciatim de claviculis & ſcapulis, tabula *ſeptima decima* de oſſibus abdominis agitur. *Decima octava* & *nona* exhibentur oſſa manuum pedumque. In duabus poſtremis vero de pilis & unguibus tractatur.

§. DCCLXXX.

Studio & opera *Johannis Timmii*, Bremenſis, M. D. & practici *obſervationes aliquot anatomico-practicae rariores*, ex ſectionibus hominum, certis morbis denatorum hauſtae prodierunt; Unde non ſolum pars laeſa, ſed & cauſſa mortis genuina innotuit; Addito ſuccincto tractatu de exiſtentia DEI, ex conſideratione medullae ſpinalis anatomica demonſtrata.

§. DCCLXXXI.

Eodem *Timmio* auctore lucem adſpexerunt *collectanea ad praxin anatomes ſpectantia*, quae tamen nihil aliud continent, quam collectionem ſcriptorum quorundam anatomicorum, ad praeparationem corporum humanorum anatomicam pertinentium, uti ſunt *Lyſeri* culter anatomicus, *Caſpari Bartholini* demon-

demonſtrationes anatomicae, *Regneri de Graef* tractatus de uſu ſiphonis anatomici cum *Bartholini* emendatione ejusdem inſtrumenti; Acceſſit latina terminorum technicorum in arte anatomica uſitatorum denominatio una cum aliquot obſervationibus; De quo opuſculo adſeveratur in praefatione, quod in lingua vernacula ejus generis ſcriptum lucem nunquam viderit, quod ei comparari mereatur.

§. DCCLXXXII.

Johannes Henricus Herlinus, M. D. & pract. *Altenburgenſis* obſervationem *anatomico-pathologicam* de praeternaturali ac lethali fluxus haemorrhoidalis ſuppreſſi ad pectus translatione; Quae ſane obſervatio multis de cauſis omni animadverſione digna eſt & optandum, ejus farinae plures à practicis conſignari, quia ex ſtatu praeternaturali & morboſo ſtatus ſubinde naturalis optime cognoſci poteſt.

§. DCCLXXXIII.

Chriſtianus Michaël Adolphi, M. D. & Fac. Med. *Lipſienſis* adſeſſor inter varias, quas habuit, diſputationes, etiam *triadem diſſertationum phyſiologico-anatomicarum*, quas ante hac diverſis temporibus ſeorſim ventilandas propoſuerat, deinde unum in faſciculum collectas edidit; *Prima* illarum de motu ventriculi & inteſtinorum periſtaltico, *altera* de tunica inteſtinorum villoſa ac *tertia* de inteſtino agit.

§. DCCLXXXIV.

Hermannus Fridericus Teichmeierus, M. D. & in *academia Jenenſi* anatomiae, chirurgiae & botanices P. P. O. in elementis *anthropologiae* meminit *oſſiculi auditus*, quod ſpeciatim inter mallei & incudis juncturam à ſe primum obſervatum, deſcriptum ac delineatum eſſe profitetur. Cumque non modo oſſiculum

hoc, sed & alia inventa sua anatomica à celeberrimis quibusdam anatomicis in dubium vocari deprehenderet, eorundem vindicias in se suscipere coactus est, atque adeo disputatione solemni egit *primum* de tribus ossiculis auditus *majoribus*, malleo, incude & stapede, *deinde* vero etiam de *minoribus*, *ovali* nempe, *semilunari*, *lenticulari* atque *triangulari*. Reliqua sua in anatomicis inventa circa finem praedictarum *vindiciarum* ipse enarrat his verbis. Reliqua, quae in anatomicis à me detecta, sunt 1. *in valvula cerebri majore.* 2. *in fimbriis tubarum* FALLOPII, *in quarum utraque evidens eaque necessaria admodum, conspicitur valvula.* 3. *in ramo nervoso, a plexu nervoso abdominis ad epididymides tendente, quem nervum* cel. *Valsalva pro speciali ductu ad epididymides procedente venditat.* 4. *in tunicis testium, ubi albuginea dicta in tres evidentes tunicas separari potest.* Dubia quidem praeter *Heisterum* movit *Waltherus*, sed quae amice removere *noster* studuit.

§. DCCLXXXV.

Henricus Albertus Nicolai, M. L. in academia *Argentoratensi* praeceptore inprimis *Johanne Saltzmanno* usus est, qui sincerum hoc ipsi perhibet testimonium, quod, cum anatomiae potissimum excolendae sese consecraverit, magnam *in secando* dexteritatem sibi comparaverit. Edidit proinde *diatribam mechanico anatomicam* de *directione vasorum pro modificando sanguinis circulo*, quod primum ejus specimen penes cultores anatomes non vulgarem invenit adplausum.

§. DCCLXXXVI.

Et licet germania nostra ignoraverit olim consuetudinem, docendi artem *anatomicam* in scholis trivialibus & gymnasiis; Hodie tamen rem aliter sese habere, exemplo scholae

saldriae

Saldriae, quae eſt *Brandenburgi*, addiſcimus, in qua à pluribus jam retro annis *Erneſtus Victor Sprengel*, ejusdem *Saldriae* Conrector *tabulas anatomicas* à ſe concinnatas juventuti ſcholaſticae, cum fructu praelegit, ut eandem hoc etiam modo ad ſtudia academica rectius praepararet.

§. DCCLXXXVII.

Conſtant autem, praeter *prolegomena*, tribus ſectionibus, in quarum *prima* partium H. C. maxime exteriorum conſideratio ſiſtitur; In *ſecunda ſarcologia* univerſa, cujus *dermatologiam*, *ſplanchnologiam*, *angiologiam*, *nevrologiam*, *myologiam* & *adenologiam* partes conſtituit, exhibetur, & in *tertia oſteologia* breviſſimis adumbratur; Ita tamen, ut eorum nihil, quae ad rem pertinent, ſit omiſſum.

§. DCCLXXXVIII.

Johannes Henricus Heucherus anatomen magnam artem eſſe praedicavit alioque in loco de ignorantia anatomicorum, odioſo certe argumento, diſſeruit, cum plerique, ſi non omnes, hodie credant, *anatomen* ad eam usque perfectionem eſſe evectam, ut perfectior & conſummatior reddi nequeat.

§. DCCLXXXIX.

Franciſcus Balthaſar von Lindern lingua vernacula *oſteologiam* edidit, in qua oſſium hiſtoriam breviter ac ſuccincte explicuit.

§. DCCXC.

Guilielmus Henricus Müllerus, Sylva-Duco-Brabantius diſputationem ſuam inauguralem de *thymo* ſub praeſidio *Bidloi* habuit, in qua *Verhyenium* acriter quidem perſtrinxit, ſed reſponſoriam accepit, ſale iſto ſatyrico dignam. Commode hic etiam locum ſuum invenit *Johannis Matthiae* tractatus de

effractura cerebri, in quo permulta, anatomen capitis concernentia, reperiuntur.

§. DCCXCI.

Christianus Heinricus Kircheim, usibus chirurgorum consulturus, *vademecum anatomicum* conscripsit. Jungo huic *Adamum Brendelium*, anatomes professorem in academia *Wittebergensi*, qui tres decades observationum, de ejusdem peritia in anatomicis testimonium praebentes, reliquit, & plura sine dubio praestiturus fuisset, nisi fata praematurius viventium coetui eundem eripuissent.

§. DCCXCII.

Godofredus Klaunigius in nosocomio *Wratislaviensi*, cui praefuit, multiplicem nactus est occasionem corpora mortuorum secandi sicque varias ad anatomen spectantes observationes colligendi. *David* vero *Hermannus* tabulas *osteologicas* edidit, in quibus universa ossium doctrina continetur. Jungimus his *Georgii Theodori Bartholdi*, professoris olim *Giessensis* opera medica, satis quidem ampla, sed quorum pleraque ex dictatis illustr. *Friderici Hoffmanni*, cujus olim discipulus & auditor fuit, sunt deprompta. Et similiter cum descriptione C. H. anatomica res sese habet, quae quippe magna imperfectione laborat.

§. DCCXCIII.

Johannes Adolphus Wedelius, M. D. & in *academia Jenensi* P. P. de *valvula venae subclaviae ductui thoracico* imposita, ejusdemque usu longe alium sibi format conceptum, quam hucusque anatomici sibi formarunt. Recepta nempe sententia est, valvulam hanc subservire ipsi ductui thoracico & efficaciter impedire, ne chylus retrocedere queat: Noster vero probandum in se suscepit, longe aliam valvulae hujus destina-

destinationem esse, nempe illi potius usui illam consecratam esse, ut *in auriculae cordis contractione conjunctim cum vicina valvula claudat venae subclaviae cavitatem sicque impediatur, ne sanguis per eandem hanc viam versus brachium retrocedere* queat. An vero specialis valvulae hujus situs ejusdemque respectus ad ductum thoracicum ejusmodi explicationem ferat vel ferre tantum possit, ulteriori ac diligentiori disquisitioni commendo.

§. DCCXCIV.

In eadem academia *Schlevogtius* in dissertatione quadam a. 1715. publice ventilata contra communem & hactenus receptam sententiam probandum in se suscepit: *Processus medullares cerebri ex nervorum numero esse proscribendos.* Cujus adserti rationes nunc ad examen vocare non licet.

§. DCCXCV.

In *academia Lipsiensi* in dissertatione inaugurali de vitiis auditus, *Johannes Augustus Rivinus* sub patris sui *Augusti Quirini Rivini* praesidio defendendam in se suscepit parentis sui sententiam de *foramine tympani*, eamque ulterius confirmavit figurisque illustravit. Vocatur ab inventore suo ***hiatus Rivini.***

§. DCCXCVI.

Johannes Andreas Schmidius, in academia *Julia* professor extraordinarius in dissertatione epistolica periostium ossiculorum auditus ejusdemque vasa sanguifera descripsit, figuris illustravit & *processus Raviani* in malleo delineationem repraesentavit.

§. DCCXCVII.

Johannes Wilhelmus Albrecht, M. D. & in acad. *Erfordiensi* P. P. nec non phys. provinc. sub titulo *observationum anato-*

anatomicarum edidit libellum mole quidem parvum, ſed qui profecto multa eximia rerum momenta in ſe complectitur; Deſcripſit enim praeter *ſyphonem anatomicum* modumque operandi, etiam ſtructuram ventriculi & inteſtinorum nec non veſicae urinariae; Indicavit inſuper verum ac genuinum vaſorum coronariorum uſum in corde tranſitumque aëris ex bronchiis ad ſanguinem, ut & ſtructuram V. P. longe peculiarem ramosque venae pulmonalis ad pleuram pertingentes. Singularem inprimis conſiderationem meretur *valvula* in vena dorſali penis inventa, quam ante ipſum a nemine obſervatam eſſe contendit notatque, quod valvula iſta ex tribus quaſi valvulis compoſita fuerit viſa, &, quod longe peculiarem conſiderationem expoſcit, ſitus ejusdem à reliquis venarum valvulis prorſus diverſus ſit conſpectus; Eo quod ab ampliori parte verſus anguſtiorem ſpectans regreſſum ſanguinis à pene ad venas hypogaſtricas ſub certis circumſtantiis impedire, non ſine ratione concludi poſſe, obſervatori noſtro videatur.

§. DCCXCVIII.

Hamburgi a. 1720. publicam in lucem prodiit *anatomia*, auctore J. M. *Gluſingio*, M. D. quam ipſe *rationalem* adpellitare non veretur, quem librum ipſe quidem non inſpexi, ſed qui, *Heiſteri* judicio, *multas figuras anatomicas partim ex Verheyeno depromtas, partim vero novas easque valde mirabiles, in omnibus vero perquam ſingulares partium H. C. delineationes, cum earum tamen natura parum convenientes* in ſe contineat &c.

§. DCCXCIX.

Cum ante aliquot annos Francofurtum noſtrum ſalutaret *Eduardus Petrus Wium*, me etiam honoris gratia inviſit ſuamque diſputationem inauguralem, quam ſub praeſidio

Georgii

Georgii Friderici de Franckenau, Prof. regii Haffnienfis, publice defendit, mihi etiam exhibuit, quam, cum attente perlegerem, defcriptionem ac delineationem fingularis ac ftupendi *ductus thoracici*, quam in homine invenerat, continere obfervavi, eamque cum ftructura ac delineatione ejusdem ductus, quam jam ante quatuordecim, &, quod excurrit, annos in fubjecto humano deprehenderam & meis in fcriniis adfervabam, fi non in omnibus, faltem in plerisque convenire animadvertebam, ficuti utriusque figurae, quae fuo tempore in *felectis medicis Francofurtenfibus* communicabitur, collatio unumquemque facile edocebit.

§. DCCC.

Abrahamus Vaterus, anatomiae & botanices profeffor in academia Vitebergenfi a. 1721. obfervationem de novo ductu falivali communicavit, veftigia celebris anatomici, *Johannis Baptiftae Morgagni* fecutus, qui ad linguae radicem foramen aliquando hiare primus obfervavit. In eodem invento ducem quoque & hodegum habuit *Laurentium Heifterum*, qui, ut in compendio fuo anatomico ipfe refert, idem hoc foramen vidit coecumque adpellavit. Horum itaque infignium & in re anatomica expertisfimorum virorum induftria excitatus *Vaterus*, poft multos labores fruftra fufceptos tandem in puella novem menfium demortua, injectione aquae in hoc foramen faepius tentata, fuccesfive elevatam vidit glandulofam expanfionem amplisfimam, majorem linguae fauciumque partem involventem, quam glandulofam expanfionem ad falivales referre neutiquam dubitavit. Praeterea fcripfit etiam differtationem de novo bilis diverticulo, quod vult confiftere in anfractuofa cavitate intra tunicas duodeni, orificium ductus choledochi circulariter quafi ambiente. In programmate

de

de *anatomico acerbius* castigato conjecturas suas de foramine ovali & ductu arterioso obturatis exponit. Parentis sui, *Christiani Vateri* physiologiam experimentalem, in qua permulta *anatomica* continentur, idem imprimi curavit.

§. DCCCI.

In ductibus salivalibus rite eruendis, differentiisque eorundem, prout in linguis brutorum ac hominum sese habent, indicandis & erroribus inde prognatis demonstrandis suam inprimis industriam & secandi dexteritatem publico comprobavit *Augustinus Fridericus Waltherus*, M. D. & anatomes atque chirurgiae t. t. in academia Lipsiensi P. P. ord. Quem in finem exercitationem de *lingua humana*, novis inventis octo sublingualibus salivae rivis, ex suis fontibus, glandulis sublingualibus eductis, irriguam publico exhibuit. Qua in disquisitione errores ab aliis commissos non modo cautissime evitavit, sed &, quod soli linguae humanae tribuendum erat, solertissime indicavit.

§. DCCCII.

Etiamsi autem haec omnia luce sua radiarent, visum tamen est *anonymo* cuidam, salivales, quos descriptos exhibuerat *Waltherus*, eosdem videri cum illis, quos *Morgagnius* in adversariis suis anatomicis jam dudum cum publico communicasset; Proinde de *sublingualibus* hisce salivae ductibus ad actorum eruditorum Lipsiensium auctores epistolam dedit, in qua hanc mentem & opinionem suam clarius exposuit; Verum ab *Anonymo* quodam alio id responsi loco tulit: Interpretem verborum cl. *Morgagni*, quisquis demum ille fuerit, *diversa non discernere*, imo metum esse, *ne quadrata misceat rotundis*. Deinde idem petit *Anonymus*, ne graviter ferant ductuum, ad latus versus gingivas excurrentium adsertatores, si,

cum

cum ab aliis hactenus non ſint viſi, prius non admittantur, quam & clarius deſcripti & oculis quoque conſpiciendi ab ipſis exhibiti fuerint.

§. DCCCIII.

Eidem *Walthero* in acceptis referendae ſunt obſervationes, quas de *articulis*, *ligamentis* & *muſculis*, *hominis inceſſu ſtatuque dirigendis* cum orbe erudito communicavit. Hiſce in obſervationibus non id ſolummodo egit vir clarisſimus artisque anatomicae peritisſimus, ut ea tantum, quae ab aliis circa hoc argumentum jam dicta & in lucem producta fuerant, recenſeret, ſed novis acceſſionibus locupletaret, &, quae ab aliis vel minus adcurate perſpecta, vel manca ac mutila relicta erant, ſuppleret novisque inventis augeret; Id quod egregie ab ipſo praeſtitum eſſe, non inficiabuntur, qui obſervationes haſce ea, qua par eſt, attentione perlegerint.

§. DCCCIV.

Nihiloſecius tamen, cum Cl. auctor ob tabularum anguſtiam aliaque impedimenta omittere nonnulla coactus fuerit; Hinc ea ſupplere aliaque explanare & emendare ſuſcepit: Unde enatum eſt *ſupplementum* tractationis de *articulis*, *ligamentis* & *muſculis* inceſſu dirigendis, cui tabula nova, in qua planta pedis humani, arte anatomica praeparati & ſicci exhibetur, addita eſt.

§. DCCCV.

Neque hic ſubſtitit Cl. *Waltherus*, ſed, ad muſculorum doctrinam magis magisque illuſtrandam, Cl. *Winslovii* expoſitionem cum cadavere comparavit; Qui novi ipſius conatus *obſervationibus anatomicis*, muſculorum doctrinam dilucidantibus, occaſionem praebuerunt. Prodierunt A. hujus ſeculi MDCCXXXIII.

§. DCCCVI.

Eidem *Walthero* in acceptis referamus necesse est singularem paris vagi & intercostalis C. H. nervorum investigationem; Qui etiam expositionem, quam & *Winslowius* dedit, cum cadavere comparavit & observationem recensuit.

§. DCCCVII.

Cumque inter desiderata anatomica emendatiorem ac luculentiorem *arteriae cœliacae* delineationem ac descriptionem merito referret, operam omnem impendit, ut, quid crebrius vel rarius in *coeliacae* divisione, nec non ramorum, inprimis gastricorum hepaticorumque principalium numero subjecta humana inter secandum ipsi obtulerint, omni, qua decet, cura studioque adnotaret.

§. DCCCVIII.

Quod suum propositum ut dignius & luculentius effectui daret, consultum duxit, ut prius antesignanorum anatomicae artis quorundam, v. g. *Galeni*, *Vesalii*, *Palfyni*, *Morgagni*, *Fantoni*, *Ruyschii* aliorumque sententias praemitteret, quam suam in apricum produceret. Itaque integram corporis humani *coeliacam* una cum notabilioribus ramis & cera quidem liquata repletam in theatro anatomico publico & quidem masculino in cadavere ita demonstravit, ut ad hoc exemplum, quo tres trunci habebantur hepatici (id quod nondum ab alio memoria proditum erat) alii, quicunque in cadaverum sectionibus forte occurrerent, casus, adcommodari facile possent. Adjecit majoris illustrationis & facilioris conceptus gratia tabulam, ex cujus inspectione clarius omnia intelligi posse, sponte agnoscimus.

§. DCCCIX.

§. DCCCIX.

Hisce non contentus *Waltherus*, additamenta ad obſervationes de ductibus ſalivalibus ſublingualium glandularum, exercitatione de lingua humana traditas concinnavit, in quibus plures canales, quos glandulae ſublinguales depromunt, adjecit pleniusque deſcribere ſuſcepit; Id quod & facilius ipſi fuit, quo plura ipſi cadavera tam publice quam privatim ſecanda obtigerunt: Unde amplam nactus eſt occaſionem ea uberius confirmandi, quae cadaverum apertio ipſi olim ſuppeditaverat.

§. DCCCX.

Idem quoque *exercitatione angiologica* de *vaſis vertebralibus* novam obſervationem communicavit, cui deinde obſervationem alteram ceu prioris ſupplementum, de *vena vertebrali* adjunxit.

§. DCCCXI.

At vero *Conradus Ludovicus Waltherus*, chirurgus *Hallenſis*, dum de ſpina ventoſa tractatum germanico idiomate publicavit, figuris ſimul anatomicis peſſimum hunc puerilis aetatis morbum illuſtrare conatus eſt.

§. DCCCXII.

Structuram inteſtinorum tenuium adcuratius evolvendam ſibi elegit *Chriſtianus Bernhardus Albinus*, qui, licet anatomen in acad. *Lugduno Batava* profiteatur, natione tamen germanus eſt, patre quippe germano natus, qui pariter profeſſione publica primum in *Viadrina* noſtra, deinde etiam in *Lugduna-Batava* ſumma cum laude eſt perfunctus. Vindicavit autem in hoc ſpecimine anatomico, quo novam inteſtinorum humanorum deſcriptionem exhibuit, quinque diver-

ſas tunicas, inteſtinis tenuibus, quarum *primam* & extimam, alias communem dictam, à peritoneo derivavit, *ſecundam*, alias *celluloſam Ruyſchii* dictam, à meſenterio repetit, *tertiam* ex muſculis exiguis duplicis ſeriei conflatam, cui muſculoſo ſtrato *quartam* ſubjacere adſerit, per cujus telam ſubtilisſimam vaſa ſangvifera denſiſſima ramificatione diſſeminentur, & *quintam* denique ſeu intimam, *villoſam* vulgo dictam holoſerico comparare non dubitat. Et ut eo majorem dictis fidem conciliet, ad experimenta ubique provocat provideq; monet, ut, qui partes C. H. cum fructu ſunt inveſtigaturi, non recentes tantum, ſed & arte praeparatas exacte oculis ſuis ſubjiciant; Cum alteruter horum modorum ſolus infidus ſit, mancus & imperfectus, debite vero junctus uterque firmiorem ac ſolidiorem cognitionem ſubminiſtret.

§. DCCCXIII.

Ejusdem germanus frater *Bernhardus Siegfried Albinus*, anatomes pariter profeſſor in academia *Ultrajectina*, in gratiam auditorum ſuorum *tractatum de oſſibus* imprimi curavit, in quo conſtructionem & formam omnium totius corporis in homine adulto osſium una cum ſingulorum uſibus deſcripſit, nullis tamen figuris additis, quas quippe tam ex *Veſalio* quam ex *Euſtachio* peti, & ſpectantium oculos ad figuras illorum auctorum tuto remitti poſſe, ut ſuis delineationibus non aeque opus ſit, confidenter exiſtimat. Itaque praemisſis generalioribus quibusdam, oſſa ſpectantibus, ſpeciatim deinde ſceletum virilem, perfectum & in eo caput, truncum, pedes, brachia ſeorſim examinat & de oſſe hyoide ſermonem facit; Quo miſſo, ſceletum foemineum, idque pariter perfectum in auditorum ſuorum conſpectum producit & utriusque differentiam exponit, tandemque adpendicis loco tractationem

tionem de dentibus ſubjungit, eoque ipſo tractatui ſuo finem imponit.

§. DCCCXIV.

Idem hoc, in quo vivimus, ſeculum illuſtrarunt *tabulae anatomicae Johannes Adami Kulmi*, M. D. ejusdemque & phyſices profeſſoris in athenaeo *Gedanenſi*, quae *Amſtelaedami* A. MDCCXXXII. romano ſermone prodiere, & in qu ibus C. H. omniumque ejus partium ſtructura & uſus brevisſime explicantur, adjunctis, majoris perſpicuitatis gratia, annotationibus & tabulis aeneis. Dedicavit illos *Friderico Ruyſchio*, *Johanni Saltzmanno* & *Guilielmo Röel*, omnibus ac ſingulis anatomiae Profeſſoribus celeberrimis, quos ceu fideles ſuos praeceptores omni venerationis cultu proſequitur, & quibus omnes ſuos, quos in arte ſecandi fecit, profectus in acceptis refert. Quid in illis praeſtiterit auctor, ipſemet in praefatione ingenue indicat hiſce verbis. *Redegi praecipuas & tyronibus maxime neceſſarias res in paucas tabulas, ea methodo concinnatas, ut ſingulorum viſcerum pertractandorum* definitionem, figuram, ſitum, connexionem, ſtructuram, ſubſtantiam, partes & uſum, *quantum fieri potuit*, plerumque unica ſaltem pagina complecteretur, ſicque uno intuitu cuncta, ad unamquamque rem pertinentia facillimo negotio perluſtrari poſſent. Specialius vero in pertractandis viſceribus eundem naturalem ſervavit ordinem, quo partes C. H. externae diſtribuuntur. Atque hac ratione expoſuit prius partes capitis, poſtea thoracis ac tandem abdominis viſcera. Integumenta autem communia ad caput eo lubentius retulit, quo certius eſt, panniculum carnoſum nullibi curatius, quam in capite patere.

§. DCCCXV.

Concinnavit itaque *compendium hocce anatomicum* in

 audi-

auditorum ſuorum gratiam, qui plerumque vel de nimia ſcriptorum talium prolixitate vel figurarum defectu conqueruntur: Utrique huic defectui mederi ſtuduit *noſter;* Atque adeo tabularum forma ipſi placuit, qua odioſae prolixitati ita conſuluit, ut nihilominus omnium ac ſingularum C. H. partium notionem animis auditorum ſuorum ingeneraret. Nec tamen figuris additis dicta illuſtrare neglexit, quibus quippe omnia vividius phantaſiae repraeſentari poſſunt.

§. DCCCXVI.

Gaudemus quoque, eodem *Kulmo* auctore, *deſcriptionem anatomica-phyſiologicam* foetus alicujus monſtroſi, cui adjicitur obſervatio viri cujusdam aqua ſuffocati, quorum cadaverum ſingulas partes praeternaturaliter conſtitutas debito modo expoſuit atque ulteriori eruditorum diſquiſitioni expoſuit. Et quamvis alias ejusmodi monſtrorum deſcriptiones quoad formam externam parum proſint incrementis phyſiologiae vel pathologiae vel ipſius quoque anatomes; Aliter tamen in hac deſcriptione ſeſe geſſit *Kulmus,* & permulta, ſecandi artem concernentia, hinc inde adjecit.

§. DCCCXVII.

Martinus Schurigius, phyſicus Dresdenſis, multis eximiis collectaneis publico inſervire ſtuduit: Quem in finem, praeter *ſpermatologiam* & *ſialographiam* etiam *chylologiam* edidit, quibus operibus ſingulis anatomica hinc inde interſperſa ſunt.

§. DCCCXVIII.

Idem *Schurigius* eſt quoque auctor *parthenologiae* ut & alterius tractatus, in quo partes genitales muliebres conſiderationi phyſico-medico-forenſi ſubjiciuntur; Id quod cum

ſine

ſine genitalium organorum muliebrium, pudendorum nempe externorum partiumque uteri internarum deſcriptione fieri neutiquam potuerit: Hinc vel eo nomine ad cenſum anatomicorum ſcriptorum pertinere, exiſtimavimus.

§. DCCCXIX.

Georgius Daniel Coſchwitius; M. D. inque *Fridericiana* regia P. P. Ord. nec non in comitatu *Mansfeldenſi* & apud *Palatinos* Halenſes phyſicus, de *valvulis in ureteribus repertis* ſingularem communicavit obſervationem, in qua non ſolummodo eorundem *ſtructuram* deſcripſit, ſed & earundem ſimul *uſum* indicavit. Quoad *prius*, exiſtimat *auctor*, valvulas haſce *verſus inferiora oblique & magis pendulas adparere, modo circulum integrum, modo ſemicirculum repraeſentantes, & vel ſub membranae vel ſub firmiori textura non ſolum circa inſertionem in veſicam, ſed & in reliquo eorum cavo & tractu cum diſtinctionibus ſeu arctitudinibus conſpicuas eſſe.* Quoad *poſterius* vero, uſum nempe harumce valvularum ita ſentit, quod moderamini urinarum ſubſerviant, ne nimio cum impetu, ſed ſucceſſive fiat earundem in veſicam deſcenſus, & ut omni regurgitationi verſus renes via efficaciter praecludatur.

§. DCCCXX.

Idem *Coſchwitius* videri quidem voluit *novum* praeter jam inventos detexiſſe *ductum ſalivalem*, cujus etiam deſcriptionem a. 1724. Halis Magdeburgicis publicavit. At vero hoc inventum multis ſuſpectum viſum eſt, eidemque non pauci contradixere, quos inter ſuum quoque nomen profeſſus eſt *Chriſtophorus Jacobus Trew*, M. D. & Reipublicae Norimbergenſis phyſicus ordinarius in obſervatione, declarante ductum ſalivalem novum cl. *Coſchwitii* ad venae lingvalis ramificationes

nes pertinere. Id quod in *novis literariis circuli Franconici* part. I. p. 186. enarratur fuſius. Eandem opinionem de ductu hoc *Coſchwitiano* fovit etiam *Waltherus*, Prof. *Lipſienſis*, ſicuti ex ejusdem exercitatione de lingva humana patet. Quibus denique adſtipulari non dubitat Dn. *Du Vernoy*, Profeſſor Tübingenſis, in diſſertatione de ductu ſalivali novo cl. *Coſchwitii*, qui omnes in eo tandem conſentiunt, hunc putatitium ductum ſalivalem *Coſchwitii* nihil revera aliud, quam unam ramificationum venarum lingvalium eſſe.

§. DCCCXXI.

Johannes Saltzmannus non modo ſpecimen anatomiae curioſae & utilis publico exhibuit, ſed & de articulationibus artuum commentatus eſt. Ipſi quoque debemus novam encheireſin, qua ductus thoracicus una cum receptaculo chyli in quovis ſubjecto humano demonſtrari poſſit. Adjungimus huic *Johannem Fridericum Bauerum*, qui diſſertationem anatomico-phyſiologicam de nervis eorumque praeſtantia in corpore humano edidit.

§. DCCCXXII.

Cum etiam *Albertus Hallerus* animadverteret, ſtructuram *diaphragmatis*, pro nobili ſua, qua in oeconomia animali perfungitur, ſparta, nondum ea, qua requiritur, ακριβεια, ab anatomicis deſcriptam aut figuris expreſſam eſſe: Hinc diſſertationem ſcripſit anatomicam de *muſculis diaphragmatis*, qua novam hujus partis figuram, prout à parte inferiore ſpectatur, & cum cartilagine *xiphoide*, margine coſtarum ſpuriarum & lumborum vertebris cohaeret, ut ſic nulla ejus pars ſitum naturalem mutaverit, delineari curavit, adjecta commentatiuncula, qua omnes ejus conditiones ſollicite exponuntur.

§. DCCCXXIII.

Johannes Fridericus Cassebohm, med. D. & anatomes P. P. in Fridericiana Regia, neutiquam quidem ignorabat, praeter *Schelhammerum*, *Duvernayum* alios quoque in investiganda auris internae structura occupatos fuisse; Attamen à proposito suo, mirabilem hanc auris structuram penitius enucleandi, minime deterreri se passus est, sed manum operi strenue admovit & quatuor distinctis tractatibus, tribus figurarum tabulis illustratis, auris humanae admirandam structuram ita elucidavit, ut non modo aliorum, qui idem argumentum tractandum ante ipsum in se susceperunt, defectus emendaverit, sed & multa nova aliorum inventis adjecerit.

§. DCCCXXIV.

Primus itaque tractatus de osse temporum, in quo maxima organi hujus auditus pars delitescit, agit; *Secundus* aurem externam, sed brevissimis tantum, describit. *Tertius* cavitatem tympani exponit, & in *quarto* demum de iis, quae in hac cavitate continentur, agitur. De *primo* adhuc notari meretur, quod eum *speciminis inauguralis* loco hac nostra in *Viadrina* publice defendendum sine praeside in se susceperit; Quo actu feliciter finito honores & insignia Doctoralia meis ex manibus accepit, ac paulo post in alma *Fridericiana* professionem *anatomes* publicam est auspicatus.

§. DCCCXXV.

Si vero omnia, quae de hoc auditus organo partim noviter ab ipso detecta, partim emendatiora hisce in tractatibus sistuntur, recensere deberem, satius sine dubio foret, si verbotenus omnes huc transferrem, cum ne verbulum quidem

dem gratis dictum ſit: Quare ad auctorem ipſum lectores ablegare, conſultius erit.

DCCCXXVI.

Praeterea ornamentum atque decus germanicae nationis merito habetur *Laurentius Heiſterus*, qui, cum animadverteret, anatomiam *Verheyanam* & complures alias, quae hucusque primatum in ſcholis obtinuerant, multis foedis hallucinationibus partim ſcatere, partim vero multas neotericorum detectiones & inventa male omiſſa vel neglecta eſſe, novum compendium, quo univerſam rem anatomicam complecteretur, meditatus eſt, idque auctoribus artis noſtrae non diſplicuiſſe, inde patere poteſt, quod jam plures editiones, prioribus auctiores una cum figuris aeneis adornare coactus fuerit. *Auctor*, qua eſt modeſtia morumque elegantia, ſponte fatetur, nullam quidem, neque librorum neque compendiorum anatomicorum eſſe penuriam: Interim tamen nec actum ſeſe acturum exiſtimat, ſi tale quoque compendium anatomicum in hominum manus tradere ſuſciperet: Nam cum ſcientia haec indies nova capiat incrementa & à pauco quoque tempore actu largiſſima ceperit, jam vero moleſtum admodum ſit, res jam cognitas ex tam multis libris conquirere: Hinc iſto ſuo compendio ſeſe ſtuduiſſe taedium prolixae lectionis removere & philiatrorum labores ſublevare artemque faciliorem reddere, ingenue ſimul profitetur. Cumque inſuper in ſyntagmatibus anatomicis hucusque uſitatis quam plurima deficiant, quae ab aliquo usque tempore vel recens detecta atque inventa vel emendata & correcta fuerunt, quae tamen tyronibus medicinae & ſcitu utilia & neceſſaria ſint: Hinc eorum quoque deſideriis, qui nova cum antiquis uni quaſi obtutui oblata cuperent, eoipſo ut ſatisfaceret, ſtrenue adlaboravit.

§. DCCCXXVII.

§. DCCCXXVII.

Quod cum reipſa praeſtiterit, & ſcientiam anatomicam, alias valde prolixam, in idoneam epitomen redegerit, merito gratulamur iis, quibus docendi provincia publica eſt demandata, de idoneo compendio, quo pro ſtudioſae juventutis informatione in academiis commodisſime uti queant.

§. DCCCXXVIII.

In pertractione ipſa vero ſic ſe gerit *auctor*, ut praemiſſa generaliori anatomes notitia ac ſubjuncta brevi oſſium hiſtoria, ad partes corporis molliores poſtea faciat progresſum: Ubi prius tegumenta ejusdem communia brevibus in tabellis explicuit, deinde vero eadem methodo partes abdominis, thoracis & capitis, tandemque arterias, venas, muſculos & glandulas expoſuit: In quarum omnium deſcriptione rem ita dirigere ſtuduit, ut plerumque unamquamque partem organicam una vel duabus, e regione ſibi poſitis tabulis explicaret, quo juvenes unico quaſi aſpectu intueri poſſent, quid in qualibet parte ex obſervationibus recentiſſimis notandum ipſis occurreret: Id quod, experientia edoctus, tam ad excitandam attentionem, quam memoriam tyronum adjuvandam multum collaturum exiſtimavit.

§. DCCCXXIX.

Neque vero diſſimulat *auctor*, quod hocce compendium primis jam tyrocinii anatomici initiis conſcribere coeperit ex anatomia *Verheyana*, tanquam tunc temporis optima, non alium tamen in finem, quam ut privato uſui inſerviret, ut nempe in ſectionibus & inquiſitionibus cadaverum breviter atque in epitome mox perſpicere poſſet, quaenam

in hac vel illa parte, quam pervestigaturus erat, inquirenda essent: Et si deinde in autorum lectione aut cadaverum sectione aliquid offenderat, quod in *Verhayeno* istisque suis tabulis non reperiebatur, vel aliter, quam ab ipso descriptum fuerat, observaverat, illud sedulo adnotavit, tabulisque suis addidit; Atque sic tandem, ob rerum additarum copiam in majorem molem, quam ab initio fuerat, accrevit, aliamque prorsus faciem adsumpsit. Cumque inprimis *author*, quod pauci alii imitarentur, fidem suam interponat, se pauca pro veris descripsisse, quae non ipse in cadaveribus humanis exploraverit ac vera esse deprehenderit: Hinc tanto majorem meretur commendationem *compendium Heisterianum*, dignum proinde, quod non modo studiosorum manibus diligenter teratur, sed quod etiam Doctores publici commendatum sibi habeant, in quo quippe res, hucusque in anatome cognitas, in compendio deprehendent.

§. DCCCXXX.

Exemplaribus primae editionis, quae anno 1717. adornata fuerat, brevi tempore distractis, necessitas incumbebat *auctori* anno 1719. novam editionem eamque priori longe auctiorem denuo adornandi, cui adenologia ac deinde notae in praecipua loca controversa aut obscuriora accesserunt. Quoad adenologiam, *noster* sane tractationem de glandulis, hodie tantopere controversam, haud perfunctorie pertractavit, &, quae partes pro glandulis habendae, quae vero ex illarum censu proscribendae essent, idoneis rationibus indicavit. In notis vero, ad calcem rejectis, loca varia obscuriora illustravit & prolixius descripsit, controversias modeste excussit, res, quae falsae ipsi vel saltem dubiae visae fuerant, emendare studuit, &, quid circa eas ipsemet expertus fuerit, candide ubique aperuit.

§. DCCCXXXI.

Postremo id adhuc addere ac monere consultum duxit, quod in ultimo, quod secuit, cadavere virili musculum uvulae azygon *Morgagnii*, â tergo corporis uvulae situm, valde teretem ac tenuem tandem offenderit; Deinde, quod etiam in pene praeter ligamentum ejus suspensorium, duo alia ligamenta, suspensorio fere similia repererit, quae utrinque mox supra ortum musculorum erectorum ex ossibus pubis distincta prodierint, & supra insertiorem horum musculorum in latera corporum cavernosorum inserta fuerint.

§. DCCCXXXII.

Ex quibus speciminibus cunctis clare colligere licet, non ex libris anatomicorum tantum, sed potissimum ex libro naturae, frequenti nempe cadaverum sectione, *Heisterum* nostrum anatomiam didicisse. De quo indefesso ejusdem labore, scientiam anatomicam locupletandi, publicum perhibent testimonium *Ephemerides N. C. academiae Caesareo-Leopoldinae-Carolinae* Cent. III. IV. V. & VI. in quibus plane eximiae novae detectiones occurrunt; Cujus generis est nova & accuratior tonsillarum descriptio & delineatio. Observaverat nempe *auctor*, exactam tonsillarum descriptionem in demonstrationibus anatomicis vel omitti vel negligentius ostendi; Imo *Valsalvam* quoque, qui novam earundem delineationem in tractatu de aure humana suppeditasse videri voluit, veram omnino neglexisse, ejusque loco talem, quae nunquam extiterit vel inventa fuerit, substituisse: Hinc de meliori non tantum descriptione sed & delineatione dudum cogitavit, eamque ob causam multis in cadaveribus humanis in earum accuratiorem anatomen inquisivit, varias ton-

 sillas

fillas collegit easque partim in ſpiritu balſamico conſervavit, partim tantum delineavit & varietates annotavit. Commoda novas haſce detectiones cum publico communicandi occaſio ſe obtulit, cum D. *Weidmannus*, honores Doctorales ambiens, hoc prae multis aliis argumentum de tonſillis pro themate inaugurali, phyſiologice, pathologice ac practice elaborandum ſibi elegiſſet earumque in cadavere virili, quod tunc publice diſſecabat *Heiſterus*, accuratiorem praeparationem pro apta delineatione ab ipſo expetiiſſet. Sicuti vero deſcriptio & explicatio tonſillarum ex dicta diſputatione D D *Weidmanni* petenda eſt: Ita figuras jubet conferri cum delineationibus *Valſalvae*, & ingentem inter utramque differentiam lectorem non modo deprehenſurum ſed & clare cogniturum pollicetur, delineationes tonſillarum *Valſalvae*, omnia earum orificia unius ejusdemque fere magnitudinis ac figurae aequalique ordine diſpoſita repraeſentantes, in tractatu de aure humana Tab. V. fig. 1. cum natura ipſa haud convenire.

§. DCCCXXXIII.

Non minus quoque egregia *Heiſteri* obſervatio de admiranda cerebelli ſtructura huc transferri meretur. Largitur equidem, plures alios inſignes anatomicos circa finem ſuperioris ſeculi ſtructuram cerebri atque cerebelli perveſtigaſſe, nominatim *Willifium*, Anglum, in tractatu de cerebro, *Vieuſſenium*, Gallum, in *nevrographia* & *Ridlejum*, pariter *Anglum* in anatomia cerebri; Id tamen non impedire exiſtimat, quo minus ſuas ipſe vires quoque periclitetur, idque tanto magis, quo certius ſit, praedictos celeberrimos Viros, quovis etiam labore ac diligentia adhibita, non omnia miranda atque curioſa detexiſſe, ſed poſteris adhuc aliquid tum inveniendum tum emendandum reliquiſſe. Neque dubitat adſerere,

mira-

mirabilem praecipue fabricam cerebelli tam leviter ab ipsis pertractatam ac descriptam esse, ut videatur, eos in hoc designando aliud quid egisse, aut reliquis cerebri partibus adeo intentos fuisse, ut hanc quasi neglexerint.

§. DCCCXXXIV.

Quae posteaquam ita generatim praelibavit *Heisterus*, specialius deinde hunc in modum perstringit: Et primum quidem ostendit, nullam figurarum, à praedictis *Auctoribus* de cerebello communicatarum, convenientiam esse cum ipsa natura; Speciatim vero in toto *Willisii* tractatu de cerebro, ne unicam quidem exhiberi existimat figuram cerebelli humani, qua facies ejus interior repraesentetur, nisi forte figuram IV. quis excipiat, quae, cum ex adolescente fatuo desumpta sit, quam longissime à structura hominis sani recedat. Caeterum reliqua cerebella fig. VII. & VIII. in eodem tractatu exhibita, non humana, sed ovilla esse, & ita quidem delineata, ac si ex irregulari & confusa substantiae cineritiae ac medullaris massa essent composita: Cum tamen tam humana quam bestiarum cerebella ex structura constent pulcherrime & sapientissime ordinata, artificiosa & quam maxime regulari. Et quando idem *Willisius* in *tractatu de anima brutorum* Tab. VIII. novam sibi visus est repraesentare cerebri humani anatomen; *Noster* potius credit, in ea cerebellum à vera cerebelli humani structura usque adeo recedere, ut firmiter persuasus sit, nunquam illud ita, prout delineatum exhibetur, ab illo vel ullo alio anatomicorum visum esse: Tam rudes enim, tam crassos & à natura diversos sisti tractus medullares, tam paucam adesse substantiam cineritiam, ut se nunquam ista ita offendisse, cum veritate rei adfirmare queat.

§. DCCCXXXV.

§. DCCCXXXV.

Nec minus in magna *Vieussenii nevrographia*, arduo licet labore concinnata, desiderat *Noster*, adcurate delineatam non esse veram cerebelli structuram, imo ne unicam quidem reperiri figuram, quae naturae aemula sit: Sed praeter rudiorem delineationem, aliosque defectus (quanquam forte pictoris vel sculptoris culpa illos irrepsisse existimat) semper & ubique ita exhiberi, ac si corticalis ejus substantia ubique esset & chäos quasi confusum.

§. DCCCXXXVI.

Idem plane judicium de figuris *Ridleyi*, sagacissimi alias cerebri perscrutatoris, ferre non dubitat, eodemque censu habet *Bidloum*, *Verheyenum*, aliosque, quos evolvit, autores, in quorum omnium scriptis nihil melius, quam in praedictis autoribus reperire ipsi licuit: Unico forte *Ruyschio*, quem anatomicorum omnium principem vocat, excepto, qui quidem vestigium verae cerebelli structurae reliquerit, totam tamen mirabilem cerebelli structuram non patefecerit, multo minus enchiresin fabricam istam extricandi descripserit, cum alium plane ob finem figura, qua cerebelli structura delineatur, exhibita esset.

§. DCCCXXXVII.

Ob has potissimum rationes *nostro* commodum visum est, alias & adcuratiores quidem atque perfectiores figuras delineare, ab omnibus equidem hactenus visis diversas, attamen cum cerebello humano optime convenientes, quas proinde una cum praeparandi artificio & exacta descriptione Obs. LXXXII. Ephem. N. C. Ann. V. & VI. Acad. Caesareo-Leopoldino-Carolinae communicare nullus dubitavit.

§. DCCCXXXVIII.

Eodem modo allegato loco ſiſtit quoque novam eamque elegantem pylori ventriculi delineationem ac deſcriptionem. Cum enim, anatomicorum celebriorum ſcripta pervolvendo, obſervaſſet *Heiſterus*, pylorum ſeu dextrum ventriculi orificium nec recte delineari, nec, prout in corpore humano ſeſe habet, deſcribi, è re eſſe judicavit eorum, quos accurata corporis humani cognitio delectat, veram hujus partis conſtitutionem ob oculos ponere. Hunc in finem exhibuit partem dextram ventriculi flatu exſiccati & partem inteſtini duodeni aperti & reclinati, ut pylorus cum ſua valvula in naturali ſitu conſpici poſſet. Atque ita deprehendit valvulam pylori poſituram non habere horizontalem, ſicuti in *Williſii*, *Verheyeni* aliorumque tabulis anatomicis exhibetur, ſed obliquam & ita quidem conſtitutam, ut à latere dextro oblique deorſum verſus latus ſiniſtrum deſcenderet.

§. DCCCXXXIX.

Injurius eſſem in rem anatomicam, ſi elegantem tunicae allantoidis vaſorumque per eam diſperſorum novam delineationem, quam eodem *Ephemeridum* N. C. anno exhibuit *Heiſterus*, ſilentio praetermitterem, idque ideo, quod earundem *Ephemeridum centuria ſecunda obſervatione* 198. ipſemet quondam dubitaverat imo aperte negaverat, tunicam, allantoidem dictam, in foetu humano reperiri, quia urachus utrinque pervius nunquam ab ullo anatomicorum inventus fuerat. Cujus tamen negationis nulla alia ratio fuit, quam quia neque ab illis, quos ſecari vidit, ipſi unquam unquam demonſtrata fuit, nec illi ipſi, magna licet diligentia adhibita, tanta contigit felicitas, ut eam detegere ad illud usque tempus potuerit. Cum vero interea in re tam dubia

non desisteret à labore, allantoidem ulterius inquirendi, factum tandem est, ut praesentibus multis spectatoribus in vacca primum voti sui compos evaderet autor, tunicamque allantoidem, quae multorum diligentiam diu jam eluserat, farciminis magni crassique figura, cum uracho & vesica manifestissime communicantem, foetum non obvolventem, sed thoracis & abdominis parti subjectam & ad utrumque uteri cornu exporrectam atque caeteroquin revera ita constitutam, sicuti à *Fabricio ab Aquapendente* in tractatu de foetu formato, à *Needhamo* in observationibus anatomicis & à *Verheyeno* delineata sistitur, invenerit. Quibus in homine visis, tanto minus jam de existentia *allantoidis* in pullo vaccino & ovillo dubitabat, eoque ipso dubitationem suam, quam olim de ejusdem existentia foverat, solemniter revocat, quod etiam virum cordatum atque sincerum eximie decebat. Et quis bonus hoc vitio ipsi verteret? Cum paria in eo fata habuerit cum *Guilielmo Harveo*, veterano illo atque exercitatissimo anatomico, qui licet hisce in partibus, ad foetum pertinentibus, vitam quasi contriverit, nunquam tamen reperire allantoidem, quantacunque etiam adhibita industria, potuit.

§. DCCCXXXX.

Ex hac interim detectione has enatas esse utilitates *noster* lectori suo persuadet: 1.) Quod aliis eo minus dubitandi ansa de allantoidis in bestiis existentia relinquatur; 2.) Quod eo ipso simul occasionem nactus fuerit, *vasa sanguifera copiosissima & pulcherrima*, subtilia quidem, attamen satis conspicua in illa & inveniendi & delineandi, quae ab aliis anatomicis, quantum ipse novit, nondum delineata, imo à quibusdam plane negata fuerant.

§. DCCCXXXXI.

§. DCCCXXXXI.

Huic detectioni jungo aliam non multum disparis argumenti, nempe veram venae umbilicalis in foetu insertionem & canalis venosi accuratiorem descriptionem, errorumque, quos autores circa haec commiserunt, emendationem. *Heisterus* pro sua, quam in secando sibi adquisiverat, dexteritate plus simplici vice animadverterat, tubum hunc venosum ab autoribus non satis accurate imo potius perverse & delineatum & descriptum esse, quare officio suo non indignum esse judicavit, illum una cum insertione venae umbilicalis in hepate, perspicacius exhibere ac describere. Idque ut tanto praestaret solidius, *Verheyeni* descriptionem in utraque anatomiae suae editione examinavit, illamque partim inconstantia partim incertitudine laborare prolixe ostendit, tandemque genuinam methodum, qua omnia, sicuti revera in homine aeque ac vitulis sese habent, inveniri facile queant, subjungit.

§. DCCCXXXXII.

Nec denique omittenda est observatio, quae priori paulo post subjuncta est, quâque ossa sesamoidea in femore minimoque digito manus describuntur. Inquirens nempe *Heisterus* in numerum *ossium sesamoideorum* (cum autores de eo non convenire, probe recordaretur) deprehendit una cum laborum socio, L. *Christophoro Jacobo Trew*, quaedam illorum ossium, de quibus apud autores vel nihil vel saltem non accurate dictum reperitur; Multa autem alia constanter in homine abesse observavit, quae à magnis anatomicis homini tribuuntur, & tamen in canibus tantum aliisque bestiis inveniuntur. Primum antea nondum cognitum ossiculum sedulis hisce indagatoribus sese obtulit in femoris parte inferiore condyloque ejus exteriori; Ubi in fovea quadam

deprehenderunt osſiculum rotundum, ſatis magnum, figura & magnitudine, quam in ipſa figura delineari curarunt, quod parvae patellae inſtar inſidebat in utroque femore. Etiamſi autem tunc temporis extraordinarium id fuiſſe putarent; Aliter tamen & maxime quidem naturali & ordinario ſemper in ſtatu ſic ſeſe habere deprehenderunt, cum alia in ſceletis femora perluſtrarent, in quibus quippe ſingularis ſemper fovea eo in loco femorum conſpiciendam ſeſe praebuit, cui antea osſiculum illud inſidere repererant: Unde facile commoveri ſeſe pasſi ſunt, ut crederent, non fruſtra aut fortuito foveam iſtam ibi exiſtere.

§. DCCCXXXXIII.

Alterum, quod ab aliis non deſcriptum noverat, osſiculum, minimo digito manus inſidere, in medio articulationis deprehendit, ubi os metacarpi jungitur cum prima phalange minimi digiti. Neque fortuitum quid fuiſſe, iteratae ſectiones comprobarunt, in quibus toties, quoties volupe fuit, invenit dictum oſſiculum. Atque hinc occaſionem arripit, *Veſalium*, *Spigelium* aliosque notandi, quod oſſicula duo ſeſamoidea omnibus digitis attribuant & appingant, atque ita ultra quadraginta numerent, quibus tamen αὐτοψία contradicat; Siquidem, quotquot *noſter* aliique adcuratiores cum ipſo cadavera examinarunt, nulla in ullo digito invenire potuit, praeterquam duo in quovis pollice manus ac pedis, unumque ibi in quolibet pede, ubi ſub tarſo os cuboides cum cuneiformi jungitur; Atque ita decem in univerſum, plura nullo ullo in digito reperire ipſi licuit: Niſi quod quaternis nunc vicibus illud unicum ſolum in minimo digito & quidem in medio articuli conſtanter obſervare ipſi contigerit, cum alii autores lateribus ea apponere conſueverint.

DCCCXXXXIV.

§. DCCCXXXXIV.

Non est silentio hic omnino praetermittenda ejusdem *Heisteri* dissertatio anatomica de valvula coli, quam clar. *Bianchi*, anatomici *Taurinensis* dissertationi de supposita hactenus intestinorum valvula opposuit. Scilicet cum à *Tulpii* & *Bauhini* temporibus anatomici tantum non omnes unanimi consensu statuissent, ad ingressum intestinorum tenuium in crassa valvulam quandam reperiri, impedientem, ne, quod crassa semel ingressum est, versus tenuia regredi posset: Hinc *Bianchus* de existentia illius valvulae non dubitare modo coepit, sed & plane valvulam ipsam vel quodcunque aliud ad valvulae ministerium accedens, ad ingressum ilei in colon & coecum, falsum ac mere supposititium esse pronunciavit, acriter contendens, anatomicos omnes circa hanc partem devios fuisse, illorumque neminem instituisse rei veritatem attentius indagare, sed omnes ab accuratiori hujus partis examine ob foetorem & sorditiem deterritos fuisse & lubenter in sententia *Bauhini* semel recepta, qui impune super hoc concursu dixisset, quicquid primum in mentem obvenerit, acquievisse, ne sordidam & foetidam partem uberius pervestigare obligarentur; Se vero, *Bianchum*, comperisse, nullam valvulam, nil valvulosi eo loco existere, sed solummodo annulum sive circulum musculosum adesse, qui faecum à crassis intestinis ad tenuia regressum impediret, sicuti etiam sub hac annuli forma valvulam vulgo sic dictam & delineavit & descripsit.

§. DCCCXXXXV.

Verum cum odiosum quodammodo visum fuerit *Heistero*, quod toti anatomicorum ordini istam sive simplicitatem sive credulitatem imputaverit *Bianchus*, quasi nempe sola fide

Tulpii vel *Bauhini* existentiam hujus valvulae adstruxerint, omni interea autopsia destituti: Hinc operae pretium esse duxit, in veritatem ipsius rei studiosius inquirere, quem in finem etiam varia cadavera humana aperuit atque seria tali indagine instituta deprehendit, non temere valulam istam ab anatomicorum choro hactenus adsertam, fuisse creditam, sed eam revera existere, atque adeo cum *Biancho* pro solo annulo musculoso haberi neque posse neque debere. Cui suo adserto ut tanto majorem fidem conciliet *Heisterus*, ex cadaveribus humanis recentibus veram, ejus figuram naturalemque magnitudinem delineavit atque proinde ex autopsia demonstravit, non rotundam eam esse, quod vult *Bianchus* sed *longitudinalem*, fere *transversam* sive *horizontalem*, atque sic à parte superiore & inferiore eminere, ut, si quid ex crassis ad ileum remeare vellet, eminentes partes tanquam valvulae introrsum versus ileum premerentur illudque hoc modo occluderetur. Meretur etiam expendi experimentum ab *Heistero* institutum, ut membranas istas veras valvulas esse, tanto luculentius pateret, nimirum hoc: Finis intestini ilei & principium coli ad pedis circiter longitudinem utrinque à reliquis intestinis resecentur, atque aqua à sordibus purgentur; Deinde filo constringatur finis coli & flatu per ileum immisso intestina haec repleantur; Denique finis ilei filo claudatur, atque sic inflata in aëre sicco suspendantur; Tunc, postquam exsiccata sunt, si pars coli, ingressui ilei opposita aperiatur, valvulam illam coli admodum perspicue in conspectum prodituram existimat: Ita quidem, ut duplices potius sint valvulae, quam unica, semilunares, sibi invicem oppositae, superior nempe & inferior. Cumque insuper *Bianchus* sustinuisset, ileum ad angulum rectum intestina crassa ingredi & quidem parietem ejus dextrum perforare: Hinc senten-

ſententiam illam *noſter* non ſolum obſervationibus & delineationibus omnium anatomicorum, verum etiam quotidianae experientiae repugnare docet, ileumque ſiniſtrum craſſorum parietem penetrare, & quidem plerumque non ad angulum rectum, ſed ita, ut inferius angulus acutus, ſuperius vero obtuſus fiat.

§. DCCCXXXXVI.

Denique tanquam ſingulare quippiam & ab aliis nondum animadverſum adnotat *Heiſterus*, nempe has coli valvulas non ab ingreſſu ilei in colon ejusque coarctatione oriri, ut vulgo ſcribitur, ſed à tunicis coli & coeci formari: Et provocat hic iterum ad autopſiam ſpondetque, ſe in inteſtinis exſiccatis cuilibet facile oſtenſurum fibrarum curſum cum fibris coli & coeci, minime vero cum fibris ilei convenire, illumque in externis parietibus coli & coeci deſinere; Coli vero & coeci tunicas intus ita reflecti, ut coecum valvulam inferiorem, colum vero valvulam ſuperiorem conficiat; Caeterum monet adhuc *Heiſterus*, controverſiam hanc non eſſe novam, ſed jam ab *Hildano*, *Pavio*, *Falcoburgio*, *Schellhammero* & *anonymo* Gallo dudum motam.

§. DCCCXXXXVII.

Veniamus nunc ad compendium anatomicum *Johannis Chriſtophori Sproegelii*, med. D. & practici *Hamburgenſis*, vernaculo idiomate conſcriptum, ſicuti illud in collegio ſuo anatomico ſtudioſis chirurgiae explicare aliisque curioſis ſpectatoribus in *theatro anatomico* publice demonſtrare ſolet. In praefatione diſertis verbis fatetur *autor*, ſe pleraque *Heiſtero* celebri, quem artis anatomicae reſtauratorem in Germania vocat, in acceptis referre, niſi quod quaedam noviter detecta addide-

addiderit, quorum ille mentionem non fecerit, uti sunt, quod musculis labiorum addiderit musculum *depressorem* labii superioris proprium, quem quippe tali etiam nomine indigitet *Cowperus*, eumque *constrictorem* simul narium esse judicet. Circa lienem ductus cujusdam excretorii, cujus inventionem *Marchetti* (vid. diar. Erud. Gall. anno 1682. mens. Jan.) sibi tribuit, mentionem facit. In venis valvulas, hinc inde occurrentes, diligenter notavit, v. g. in venis spermaticis, eam praecipue, quae ductui praeposita est ex ovario in venam cavam adscendentem sive inferiorem, quam *Venlou* detexit, illamque in pene, quam *Collinus* & *Verbeyenius* descripserunt. In pudendis mulierum existentiam hymenis nova *Heisteri* observatione & in ovario glandulas, vasa lymphatica &c. à *Collino* jam clare descripta, demonstravit. Glandulae thymi vias novas usumque singularem, quas DD. *Bellingerus* (vid. *Lipsiensium* novellas de rebus eruditionem concernentibus Anno 1717. pag. 634.) publico exhibuit, itidem indicavit. Circa anatomiam pericardii vasorum nervo-lymphaticorum ex arteriis coronariis cordis, quae ab *Hovio* detecta sunt, mentionem injecit, à quibus nempe pericardii liquor suam derivet originem. Ex *Collino* membranarum mediam cartilaginosam asperae arteriae notavit; Neque reticuit vasa lymphatica *oesophagi*, quae *Bartholinus* vasa lactea esse perperam sibi persuasit; Circa fabricam oculi adnotavit tunicam tendineam *Ruyschii* & vasa nevro-lymphatica *Hovii* in humoribus ejusdem. In cerebri anatome addidit glandulas in plexibus choroideis & in cerebello, nervos itidem seu processus medullares in glandula pineali &c.

§. DCCCXXXXVIII.

Universum opusculum exhibet quasi ichnographiam operis anatomico-chirurgici majoris, quod suo tempore

auctor

auctor editurus eſt dividiturque in *iſchomenologiam*, *iſchontologiam*, *oſteologiam*, *myologiam* & *ſplanchnologiam*.

§. DCCCXXXXIX.

In *iſchomenologia* agitur de humoribus ſeu partibus fluidis corporis humani, quae ad tres *ſpecies* reducuntur; In quarum *prima* ſunt humores utiles, nempe lympha, humores, oculorum, bilis, ſuccus pancreaticus, ſaliva, liquor glandularum oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum, liquor cerebri, thoracis, pericardii, abdominis, tunicae vaginalis teſtium, mucus articulorum, vaginae uteri, pingvedo & medulla oſſium. Ad *ſecundam* claſſem referuntur humores, qui extra corpus uſum ſuum exerunt, uti ſunt ſemen, lac & liquidum proſtatarum. *Tertia* vero claſſis eorum eſt, qui tanquam inutiles & excrementitii, e corpore proſcribuntur, uti ſunt urina, ſudor & effluvia inſenſibilia, lachrymae & lemae, mucus narium, tonſillarum, glandularum aſperae arteriae & bronchiorum pulmonalium, cerumen aurium &c.

§. DCCCL.

In *iſchontologia* partes omnes diſtingvuntur in *ſimpliciores* & *compoſitas* ſeu *organicas*, ſeu veterum loquendi more, in *ſimilares* & *diſſimilares*. Ad *illas* pertinent nervi, venae, arteriae, vaſa lactea & lymphatica, vaſa nevro-lymphatica ſeu aquaeductus, ductus & cellulae adipoſae ac medulloſae, complicationes ſeu contorſiones arteriarum, glandulae earumque ductus excretorii, muſculi, tendines, tunicae, membranae, ligamenta, cartilagines, oſſa, ungves & pili; Ad has vero ſpectant viſcera, nempe cor, pulmones, hepar, lien, ventriculus cum inteſtinis &c. Sicuti vero *priores* iſtae in *iſchontologia*, ſic *poſteriores* in *ſplanchnologia* ſatis adcurate deſcribuntur.

§. DCCCLI.

Osteologia, quae est *tertia* compendii hujus anatomici pars, sistit descriptionem omnium totius corporis, quibus constat, ossium, adeo ut in capite septuaginta, in trunco quinquaginta tria & in artubus tam superioribus quam inferioribus centum & triginta octo, atque adeo ducenta sexaginta & unum in universum juxta *nostrum*, secundum *Heisterum* vero centum & sexaginta tantum numerentur.

§. DCCCLII.

Denique uti *myologia* cum omnibus integumentis communibus in *quarta parte* exhibetur: Ita in *postrema* agitur tribus distinctis capitibus de visceribus infimi, medii atque supremi ventris, in quorum omnium descriptione methodo adcurata utitur *auctor*, indicando visceris & partis nomen, situm, connexionem cum aliis partibus, colorem, magnitudinem, figuram, integumenta, substantiam atque structuram, vasa tam arteriosa & venosa quam nervosa & lymphatica una cum ductibus excretoriis, si quos habent. Estque proinde, ut paucis me expediam, compendium hocce *Sproegelianum* ita comparatum, ut tyronum artis anatomicae commodis eximie plane inservire queat; Tale nempe, quod nec superfluis luxuriet, nec in utilibus atque necessariis deficiat.

§. DCCCLIII.

Suum quoque hic locum sibi vindicat *Adami Christiani Thebesii*, medicinae Doctoris, dissertatio medica de circulo sanguinis in corde, quo nomine intelligit auctor *rivulum sangvinis, ab oceano abeuntem & peractis in cordis substantia muniis redeuntem;* Circulum nempe sangvinis, qui in usus cordis privatos adornatur.

§. DCCCLIV.

§. DCCCLIV.

Id quod ut tanto rectius intelligeretur, praemittit *auctor* descriptionem vasorum sangvineorum, cordi propriorum. Nimirum duae plerumque arteriae ex ipso exitu sub valvulis sigmoideis cordi implantantur, quae in oppositum latus abeuntes, sibi statim unitae circulum constituunt & coronae instar basin amplectuntur; Emissisque deorsum tanquam radiis, multis ramis, varie sibimet intextis & junctis spectaculo jucundo cor circumcingunt, ut ea propter cum venis sociis vasorum coronariorum nomen obtinuerint. Quandoque tamen singularis hic naturae lusus observatur, & arteriae istae coronariae duobus ab arteria osculis oriuntur, sed rarius unus isque major sub valvula truncus emergere observatur, qui in duos statim ramos dispescitur, hisque in opposito latere obviam sibi factis eodem modo circulus absolvitur. Atque hoc ipsum arteriosum cordis systema, secundum majores minoresque ramos, tum exterius tum interius secundum fibrarum varios ductus decurrentes, millenis anastomosibus implicatur, & externam aeque ac internam pulcherrime superficiem ipsasque columnas & tendines tenuissimis ac copiosis ramulis exornat; Id quod omne, cera immissa, eleganter exhibuit *Ruyschius*.

§. DCCCLV.

Neque aliter ac arteriarum, pergit *noster*, venarum quoque coronariarum se habet amplexus mutuus, elegans situs atque decursus. Hae enim arteriis sociae & proxime ad earum latera flexuosis pariter viis omnem cordis contextum, potissimum vero, qua minores ramos, internam, & qua majores minoresque, externam superficiem spectaculo eleganti percurrentes, eodem modo ut arteriae, tantum non ubique mutuis anastomosibus sibi junguntur.

§. DCCCLVI.

Quibus omnibus ſic ſeſe habentibus, conſequitur, cum veritate ſatis convenire adſertum auctoris, multas nempe venas eſſe & inter ſe & cum aliis venae coronariae ramis, ad canalem communem commeantibus, copioſis anaſtomoſibus connexas, ſangvinem in auricularum ſinuumque cordis foveas deducentes; Atque adeo dari revera in corde ſingularem, privato cordis uſui deſtinatam, ſangvinis circulationem. Q. E. D.

§. DCCCLVII.

Anno 1732. menſe martio p.177. retulerunt *auctores novellarum litterariarum Lipſienſium*, D D. *Johannem Chriſtophorum Boblium* publice promiſiſſe *galaxiam corporis animalis occaſione experimenti Gedani de ductu thoracico capti*: Quo in ſcripto auctorem novas ſimul detectiones de *villis inteſtinalibus & ipſa adminiſtratione anatomica variis in partibus dubia* ſubminiſtraturum eſſe, fidem fecit. Adjecit quoque non paucorum problematum phyſiologicorum adcuratam, ut illi ſua in relatione loquntur, ſolutionem tandemque completam hujus detectionis hiſtoriam ab Arabum temporibus usque ad haec noſtra exhibuit. Comparebit ſimul *rari ductus thoracici* figura, quam Dantiſci, ubi tunc temporis commorabatur, exſculpi juſſit una cum univerſo lymphaticorum ſyſtemate, facta ſil. liquoris colorati injectione omni eo ſucceſſu, qui talibus in caſibus vel optari vel ſperari poterat.

§. DCCCLVIII.

Hoc ipſo anno 1737. quod ſuperius, cum de ſcriptoribus anatomicis gallis ſermo eſſet, commemorari debuiſſet, in academia regia *Monſpelienſi Johannes Honoratus Petiot*, Sabulonenſis,

lonensis, dioecesis *Lucionensis* apud *Pictones*, AA. LL. M. jam dudum medicinae alumnus, universitatis consiliarius & publicus anatomiae demonstrator, praeside D. *Ant. Fizes*, regis consiliario & medico &c. pro prima apollinari laurea impetranda disputandum proposuit universum physiologiae *conspectum anatomico-mechanicum*, in quo partes primum solidas & primigenias, deinde vero etiam fluidas considerationi suae subjecit, motusque ex utrisque ortos functionesque secundum consvetam trium ventrium divisionem exhibuit.

§. DCCCLIX.

Inter germanos inferiores prae aliis eminuit *Fridericus Ruyschius*, professor anatomiae, chirurgiae & botanices *Amstelodamensis*, qui, cum viveret, *plerosque* temporis nostri anatomicos & diligentia & secandi dexteritate longissimis intervallis post sese reliquit. Dico *plerosque*; Eoque ipso nihil detractum volo laudibus illorum, qui & in *Germania*, & *Italia* & *Gallia* & *Anglia* ab aliquo usque tempore in hoc studiorum genere non vulgarem celebritatem nacti sunt. Musaeum *Ruyschianum* tot olim nitidissimis praeparatis ubique instructum erat, ut, quorsum prius oculos tuos verteres, varietate objectorum fere obstupefactus nescires. Jam vero, quasi tantum thesaurum fata nobis invidissent, cuncta ista tam naturae quam artis mirabilia PETRUS Magnus, *Russorum* Imperator, magno pretio redemit inque Russiam transportari curavit. Nos interim ex magno numero eorum, quae noviter ab ipso detecta sunt, pauca commemorabimus.

§. DCCCLX.

Ex centuria observationum anatomico-chirurgicarum meretur huc transferri observatio *quadragesima quinta*, quae

sistit

ſiſtit varia obſervata in cadavere hydropicae, inter quae hepatis glandulas admodum tumefactas fuiſſe conſpectas commemorat, additque, ſe glandulas hepatis magnitudine auctas & aliquoties conſpexiſſe & publice quoque demonſtraſſe, nunquam tamen adeo copioſas, quam in praedictae hydropicae hepate; Unde totum hepar e meris glandulis magnis conſtare ipſi viſum eſt. Quod ſi ita crude accipiatur, vix conciliari poſſe videtur cum aliis *Ruyſchii* noſtri adſertis, quando ſubſtantiam hepatis vaſculoſam eſſe, ſeu ex minimorum vaſorum congerie conſtare dixit: Niſi forte contradictionis vitandae gratia in ſubſidium vocetur obſervatio *quinquageſima prima*, in qua non hepar tantum ſed & lienem, renes ſuccenturiatos &c. pro *glandulis ſanguineis* diſerte habuit.

§. DCCCLXI.

Obſervatione *ſexageſima nona* enarrat *auctor*, quomodo in cadavere mercatoris cujusdam, qui à longo jam tempore de aſthmate & dyſpnoea conqueſtus fuerat, valvulas cordis ſemilunares dictas deformes, in oſſeam ſubſtantiam degeneratas & ita coalitas deprehenderit, ut nulla viſibilis via aut exitus ſangvini e corde amplius ſupereſſet.

§. DCCCLXII.

Neque reticuit *noſter* varios naturae luſus, inter ſecandum obſervatos hinc inde adnotare. Arterias renales ſeu emulgentes, quae ut plurimum ſimplices oriuntur, non raro tamen duplicatas imo triplicatas ex arteria magna vidit emergere. Antequam vero renes intrant, diverſimode ramificantur, nunc bifurcantur, nunc trifurcantur, nunc magis ac minus multiplicantur rami. Ureteres & pelvim, quod utrumque ſimplex utplurimum eſt, aliter ſubinde deprehendit, nempe pelvim

non

non raro bifurcatam imo trifurcatam invenit; Et quanquam ſimplices communiter ſint ureteres, contrarium tamen in rene ſiniſtro, duobus ureteribus inſtructo reperit, quorum unus ex ſuperiore, alter ex inferiore renis parte erupit; Quos dum ulterius denudavit, utrumque ante ſuam in veſicam inſertionem coire reperit, ita ut unico tantum canali veſicam intrarent. Diſſecuit quoque cadaver, in quo duos ureteres uno ex rene prodire obſervavit, quorum uterque veſicam ſeparatim intravit.

§. DCCCLXIII.

Centeſima & *ultima* obſervatione vera glandis in pene ſtructura noviter detecta monſtratur. Prius vero, quam hoc praeſtet *auctor*, variorum non infimi ſubſellii anatomicorum, *Johannis van Horne*, *Veslingii*, *Blaſii*, *Bartholomaei Cabrolii*, *Thomae Bartholini*, *Veſalii*, *Adriani Spigelii*, *Realdi Columbi*, ne ipſo quidem *Regnero de Graeff* excepto, ſententias refert, quos tamen omnes rem acu non tetigiſſe audacter adſeverat. Ac proinde experimentis aliquot inſtitutis deprehendiſſe credit, glandem penis reipſa nihil eſſe aliud, quam continuationem omnium corporum nerveo-ſpongioſorum, & quidem ſine ulla ſubſtantiae mutatione: Ad quod credendum ſequens ipſum experimentum commoviſſe profitetur: Per tubulum nempe aeneum circa penis radicem, ubi ad oſſa pubis proxime accedit inſertum corpus nerveo-ſpongioſum majus & craſſius flatu extendit, & poſt repletionem digitis tamdiu penem detinuit, donec eodem tubulo, e dicto corpore extracto & corpori nerveo-ſpongioſo minori & tenuiori indito, idem corpus flatu quoque repleviſſet; Quo facto totum deinde penem ligavit & exſiccavit. Poſt exſiccationem penem ejusque glandem in lamellas diſſecuit, &, ut modo relatum

latum eſt, penis glandem nihil aliud fuiſſe deprehendit, quam veram continuationem tam corporis nerveo-ſpongioſi majoris & craſſioris, maximam penis partem conſtituentis, quam minoris & tenuioris urethrae, maximam & praeſertim inferiorem ejus partem ambientis, ſine ulla ſubſtantiae mutatione.

§. DCCCLXIV.

Perluſtratis obſervationibus, breviter nunc etiam percurramus *epiſtolas problematicas*, quasve contineant novas in anatomicis detectiones, videamus. Prima eſt *Johannis Gaubii*, agitque *de pilis, pingvedine ſeptoque ſcroti, nec non de papillis pyramidalibus, ut & de corpore reticulari, ſub cuticula ſito.* Ad ſingulas haſce propoſitiones ſuccincte quidem reſpondet *Ruyſchius*, praecipuum tamen in demonſtratione ſepti ſcroti conſiſtit, cujus quippe beneficio in duas illud partes dividitur, alio tamen artificio realis ejus exiſtentia vix demonſtrari poteſt, quam inflatione & exſiccatione, ubi poſt exſiccationem demum eſt aperiendum ſcrotum, quo ipſo non ſolummodo videndum ſeſe exhibebit ſeptum, ſed & vaſis ſangviferis innumeris idem perfuſum eſſe, eadem opera demonſtrabitur.

§. DCCCLXV.

Eundem agnoſcit *auctorem* altera epiſtola, quae *de artificioſa ſcroti humani induratione, ejusque vaſorum ſangviferorum curſu ac copia, uti & de arteriis per coſtarum perioſtium, ſpatia coſtarum intercartilaginea, pericardium &c. disſeminata* tractat. Equidem quod primum attinet, artificioſam nempe ſcroti humani praeparationem, qua lapidis inſtar induretur, lubens fatetur *Ruyſchius*, artificio tam ſingulari iſtam adornari praeparationem, ut in ea perficienda ultra triginta & quatuor annos deſudaverit; Verum induci vix potuit, ut artificium

iſtud

istud praeparandi notum faceret, ne aliis, alienis pennis superbiendi, occasionem subministraret. Delineationem vero arteriarum anterioris partis scroti, nec non per costarum periostium, quod à pleura diversum est, per spatia itidem intercartilaginea & pericardium disseminatarum lubens adjecit.

§. DCCCLXVI.

Neque in eo petitis atque desiderio *Gaubii* defuit *Ruyschius*, quod arterias per cordis substantiam ejusque auriculas dispersas delineaverit, deque egressu arteriae aörtae e sinistro cordis thalamo veriora, quam ab aliis anatomicis ad ea usque tempora factum fuerat, ipsum edocuerit. Occasione prioris postulati fuse exponit *Ruyschius* requisita, quae ad vasa sanguinea subtilissima materia ceracea adimplenda necessaria sunt, solemniterque protestatur, artificium istud praeter se ac filium suum nemini alii innotuisse. Caeterum delineavit non modo arterias, cordis substantiam pervagantes, quibus coronariarum nomen imposuerunt auctores, quaeque trunculis suis ex aörtae radice supra valvulas semilunares oriundae cordis basin ambiunt; Sed & numerosam earum prolem & divaricationes, nec non arterias, per cordis auriculas innumeris ramulis superbientes, quae ab arteria coronaria in utroque latere prodeuntes per cordis auriculas quaquaversum disseminantur & à *Ruyschio* arteriae cordis *auriculares* dicuntur, quibus hunc adsignat usum, ut nempe debitam quantitatem sangvinis arteriosi auriculis tum ad nutritionem tum ad concalefactionem largiantur. Quod vero divisionem aörtae in truncum ascendentem ac descendentem attinet, ita rem omnem in subjectis adnotavit *noster*: *Aörtae* nempe truncum e sinistro cordis sinu prodeuntem, sursum

quidem vergere, ſtatim vero arcuatum deorſum reflecti, nomenque mutando truncum aörtae deſcendentem dici; In ea autem incurvatione ramos aliquot elargiri partibus ſupra cor ſitis & praeſertim ſubclavios carotidesque, &, quod notandum, in dextro latere utplurimum, ſi non ſemper, arteriam carotidem&ſubclaviam ſibi invicem aliquanto ſpatio ad exortum in unum coälitas eſſe, ſecus ac in latere ſiniſtro, ubi ſeorſim ex aörta utplurimum prodeunt. Adeo ut, ſecundum *Ruyſchii* noſtri obſervationem, äorta proprie in duos truncos à natura diviſa non ſit, ſed truncus aſcendens ac deſcendens ſit unus idemque. Non multum tamen repugnat, ſi quis hanc äortam, quatenus aſcendit, aſcendentem, & quatenus deſcendit, deſcendentem nominare velit, dummodo non credat, aörtam in duas partes ita ſeparatam atque diviſam offendi in homine, ut altera pars aſcendat, quemadmodum in figuris variorum auctorum ita repraeſentari ſolet.

§. DCCCLXVII.

Problematicà *quarta* auctorem agnoſcit *Johannem Jacobum Compdomereum*, in qua ex *Ruyſchio* ſcire deſiderat, quae ſit conditio glandularum lienalium usque adeo ab auctoribus decantatarum, quidve de faſciculis filamentorum per lienis ſubſtantiam diſperſis nec non de cellulis à *Malphigio* deſcriptis ſentiendum? Quae problemata cuncta ſic ſolvit *noſter:* Eſſe quidem famoſum admodum adſertum apud neotericos, lienes exiguis ſcatere glandulis easque à *Malpighio* eſſe detectas: Verum oeconomia lienis adcuratius perluſtrata, vaſis nempe ſangvineis nova ſua methodo infarctis, iisque in totum turgidis, integrum lienis humani corpus nihil aliud eſſe deprehendit, quam congeriem quandam arteriarum, venarum,

lymphae-

lymphaeductuum & nervorum, quae membranis ambientibus coërceantur. Cum vero extremae & protractae arteriarum venarumque propagines aliam videantur acquirere naturam, nempe & fasciculatim dispositae sint & in corpuscula molliora, succosiora atque rotunda redactae esse videantur: Hinc id auctoribus imposuisse videtur, ut corpuscula illa pro glandulis lienaribus habuerint, quae tamen à veris glandulis maxime sint distinctae: Quandoquidem nulla peculiari membranula sint obductae, nec per se consistant; Id quod tamen in vera glandula requiratur. Cumque insuper dictae propagines sibi invicem proxime sint adsitae, nulla intercapedine visibili superstite, consequitur sponte, fictas esse cellulas *Malpighii*, nisi forte à digitorum frictione, fasciculorum ruptione aut alia quavis tractatione violenta procedant, vel flatu praeter naturam excitentur. Sincere quoque confestatur *Ruyschius*, sese fibras, quales ab auctoribus describuntur, nullas in liene humano offendisse; *In liene, inquam, humano:* Quo ipso lubens concedit, in liene vitulino rem sic sese utique habere, & in eo praeter arterias fasciculosque arteriosos in conspectum prodire innumeras fibras, varia serie & situ inordinato dispositas, ramosas, & inter se textas, quarum intercapedine vasorum extrema, dictos fasciculos repraesentantia recondantur.

§. DCCCLXVIII.

Verum transitum facimus ad *epistolam problematicam quintam*, quae DD. *Gerardum Frentzium* auctorem habet. Petit is à *Ruyschio*, non modo ut vasa periostium percurrentia adcuratiori penicillo delineet, verum etiam ut viam bilis ad vesiculam felleam ipsi demonstret? Utrum videlicet per radices cystidis, in ejus fundo existentes id fiat, an vero per glandulosam

veſicae ſubſtantiam? An forſan per ductum cyſticum, uti *Arniſaeus* & alii exiſtimarunt? Cui petito ſatisfacturus *noſter*, tantum abeſſe putat, partes membranoſas vaſis ſanguineis deſtitui, ut potius per perioſtium anticnemii tibiae, ut & per involucrum patellae tendinoſum copioſorum vaſorum reptatus arterioſus oculis uſurpandus fuerit exhibitus, ut prae vaſorum, ſive ſanguine ſive materia ceracea repletorum multitudine totum perioſtium ſumma rubedine fuerit perfuſum.

§. DCCCLXIX.

Quod vero ad vias attinet, per quas bilis ad veſiculam felleam deducitur, nullus dubitat *noſter*, tot quippe experimentis convictus, quin veſiculae contentum maximam partem per ductum cyſticum adveniat, idque tanto magis, cum nullae radices e veſiculae felleae fundo emergant. Hiſce tamen non obſtantibus largitur quoque, minorem portionem humoris, in veſicula fellea contenti, prodire ê glandulis tunicae interioris veſiculae ut & ductus cyſtici impactis.

§. DCCCLXX.

Epiſtola *ſexta* ab *Johanne Henrico Graezio*, induſtrio *Ruyſchii* quondam auditore ac diſcipulo ad praeceptorem ſuum exarata eſt agitque *de arteria & vena bronchialibus nec non de polypis bronchiorum ejectis, venae & arteriae pulmonalis ramos mentientibus.* Sancte teſtatur *Ruyſchius*, ſe arteriam bronchialem proprio marte primum in corpore vitulino, deinde vero etiam in humano adinveniſſe, nihil obſtantibus rationibus illorum, qui vel *Eraſiſtrato* vel *Galeno* vel *Marchetto* priman ejus inventionem vindicare non erubuerunt. Arteriam bronchialem vocare placuit *Ruyſchio*; Quia per bronchia pulmonum ad extremum usque prodiret. Obſervat vero inſuper,

natu-

naturam circa hujus arteriae exortum in homine saepius ludere, cum aliquando immediate illa ex arteriae magnae trunco descendente, idque ad latera arteriarum intercostalium orta fuerit, saepissime ex infima parte arteriae intercostalis superioris trunculo, nonnunquam vero simul cum arteria intercostali dextri lateris, tertia, ex aortae trunco descendente exorsa, semunciae intervallo ab exortu à dicta arteria intercostali recedat, bronchiisque pulmonum annexa, ad extremum usque ea concomitetur. Deprehendit denique, variis locis hanc arteriam bronchialem anastomosibus associari ramusculis minutissimis arteriae pulmonalis: Repleta siquidem arteria pulmonali materia ceracea, illico quoque repletos conspexit ramulos arteriae bronchialis. De arteriae vero bronchialis comite vena anceps hucusque ac dubius haesit, saltem nullo adhuc in subjecto eandem reperire unquam ipsi licuit.

§. DCCCLXXI.

Ejusdem auctoris est *epistola problematica septima*, qua rogatur *Ruyschius*, ut veram demum piae meningis tam cerebri quam cerebelli interstitia intrantis, superficiem internam ejusque faciem & constitutionem delineatam & explicatam exhiberet: Cui etiam petitioni lubens adsurrexit, modumque, quo tenuis meninx inter cerebri atque cerebelli interstitia sese insinuat, sic describit: Piam nempe meningem in omnes sulcos & anfractus processus quosdam demittere, similem fere in modum, ac ex durae matris duplicatura processus falciformis sinui longitudinali subjectus emergit, ita nempe, ut tot pia mater processus producat, quot reperiantur anfractus, eosque figura non quidem falciformes, sed serpentino ductu repentes. Pari etiam modo, animadvertit

noster, in cerebelli interstitia piam matrem immergi, & tot quidem processibus falciformibus, quot extant sulci seu anfractus, ablataque illa & separata jucundo prorsus spectaculo capitis papaveris albi loculamenta exhibere.

§. DCCCLXXII.

Problematica octava eundem *Graetzium* auctorem sibi vindicat, agitque *de structura nasi cartilaginea, vasis sanguiferis arteriosis membranae & cavitatis tympani nec non ossiculorum auditus eorundemque periostio.* In omnium harum partium descriptione ab usitata ita recedit *Ruyschius*, ut non solum longe plures enumeret cartilagines, eam nasi partem constituentes, sed & pinnarum substantiam non cartilagineam sed mere membranaceam esse, quamvis satis crassam edisserat. Membranam tympani duabus ex lamellis, imo, si adcuratius totum negotium rimari fas sit, tribus constare, publice demonstravit, simulque ostendit, vascula sanguinea non per extimam, sed per mediam disseminari, ita ut conjicere fas sit, haec vascula peculiari prospicere provinciae, & raro, si unquam, communicare cum vasis capsam perreptantibus. Et quanquam haud incelebres quidam anatomici adseruerint, auditus ossicula periostio carere imo eodem ne quidem indigere; *Noster* tamen ex autopsia confirmavit, dicta ossicula aeque ac alia majora membrana ista investiri.

§. DCCCLXXIII.

Epistola *nona* mea est, quam anno 1697. ad *Ruyschium* dedi; Cum enim meningem mediam, medio nempe loco positam inter duram atque piam matrem & cerebrum cum cerebello & medulla oblongata investientem, quam ipse *arachnoideam* vocat, in sectione quadam publica flatu distentam inque

inque publico *Amstelaedamensium* theatro anatomico à *Ruyschio* demonstratam vidissem, arripui inde occasionem, epistola quadam eundem rogitandi, ut in philiatrorum commodum & usum publicum adcuratius eandem describeret & iconismo illustraret; Id quod etiam sua in *responsoria* ad meam *problematicam*, quae inter epistolas *Ruyschianas* ordine *nona* est, dexterrime praestitit, eoque nomine non vulgariter se mihi devinxit, Confer, si placet, disputationem meam de *meninge arachnoidea*, anno 1737. hic locorum habitam.

§. DCCCLXXIV.

Decimam ad illustrem nostrum anatomicum perscripsit DD. *Bartholomaeus Keerwolff*, atque *de auricularum cordis earumque fibrarum motricium structura* tractat. *Undecimae* auctor est *Johannes Christianus Wolffius*, med. Lic. qua de tunicarum intestinalium structura earundemque glandulis sententiam *Ruyschii* in commune artis anatomicae emolumentum sibi expetit. Is vero pro suo, quo in philiatros natura fertur, studio inserviendique promptitudine respondit: Se quoad numerum tunicarum intestinalium quaternarium adstipulari *Willisio*, *Verheyenio* aliisque; Valvulas, quae *conniventes* audiunt Kerckringio, rugas nempe seu juga per intestinum jejunum distributa maximam partem à tunicae villosae, non nerveae, duplicatura ortum suum trahere; Tunicam *villosam* à quibusdam *glandulosam* esse vocatam, quae tamen denominatio illi haud competat, saltem intuitu originis ita dictarum glandularum, cum illam potius debeant tunicae nerveae, aut, si mavis, vasis sanguifluis, e quorum quippe extremis protractionibus succosis mollibusque ortum deducunt. Interim *spurias* tantum, non *veras* esse glandulas existimat *noster*; Infarctis enim omnibus arteriolis per intestina disseminatis, totum constitutum dictarum

glandularum infarcitur, & ex meris protractionibus vasorum succosioribus & mollioribus constare reperitur; Quia vero interea non sunt corpuscula per se subsistentia, ad quae vascula alluunt, non propria membrana involvuntur, ideo pro veris glandulis haberi neque possunt neque debent; Glandulas intestinorum spurias per totum illorum tractum reperiri, & in tenuibus quidem intestinis non solum solitarias sed & congregatim dispositas esse, in crassis autem solitarias tantum inveniri; In jejuno solitarias glandulas spurias non solum spatia, inter *valvulas conniventes* seu rugas posita occupare, verum etiam ex illis *rugis* seu *valvulis conniventibus* emergere: Quae autem in agmen congregatae sunt, dictas rugas haud supergredi, jam observavit *Peyerus*. Quoad numerum denique ac situm earum solitariarum per valvulae *Bauhini* limbum dispersarum glandularum, haud solum in ejus limbo consitas esse comperit, verum etiam per integrum ejus planum, nullo superstite loco inani.

§. DCCCLXXV.

Duodecimae epistolae auctor est *Michael Ernestus Ettmüllerus*, med. D. & in *academia Lipsiensi* posthac prof. publicus, qua rogitat *Ruyschium*, ut, cum de corticali cerebri substantia tot diversas foveant sententias anatomici, veram demum corticis hujus substantiam atque texturam patefacere, faciem ejus exhibere usumque determinare non dedignaretur. Fecit id pro ea, qua hisce in rebus pollet, dexteritate *Ruyschius*, &, postquam vasa sanguifera usque adeo replevit, ut minutissimi ramusculi infarcti, tomenti instar obvenirent, perspicue vidit, corticalem cerebri substantiam ex meris vasis sanguiferis diversimode combinatis, constare, & arterias minutissimas e piae matris facie interiore prodeuntes, musci speciem prae

se

ſe ferre. Ut adeo hoc modo demonſtret, corticalem cerebri ſubſtantiam muſci & tomenti ſpeciem repraeſentare, illudque tomentoſum nihil aliud eſſe, quam protractas vaſculorum ſanguineorum extremitates, quae tamen ſui in extremo aliam videantur induere naturam ac diſpoſitionem, cum adeo molliuſculae & ſuccoſae exiſtant, ut, niſi liquori inditae, ſine diſſolutionis periculo vix ac ne vix quidem tractari queant; Hae autem protractae vaſorum ſanguineorum extremitates ſuccoſae reſpondere videntur fibris aut tractibus cerebri medullaribus.

§. DCCCLXXVI.

Atque hoc modo patuit *noſtro*, corticalem cerebri ſubſtantiam glanduloſam non eſſe; Quod ii maximopere dolebunt, qui hucusque dictis in glandulis verum ſpirituum animalium organon ſecretorium quaeſiverunt. Quod *plexum choroideum* ſic vocatum attinet, ejus genuinam pariter conſtructionem ſua methodo examinavit, & glandulis pariter omnino deſtitutum eſſe deprehendit: Contra vero ex meris conſtare vaſculis ſanguineis, praeſertim arterioſis motu ſerpentino repentibus, glandulasqve mentientibus propter gyrulos anfractuoſos & piae matris portione cohaerentibus, monſtravit.

§. DCCCLXXVII.

Nunc ad *tertiam* & *decimam* epiſtolam nos convertamus, quam *Chriſtianus Wedelius* ad *Ruyſchium* noſtrum de tunicis oculorum exaravit, ab eoque petiit atque contendit, ut pro ea, qua hiſce in rebus polleret, ſolida eruditione, accuratiorem tunicarum oculi numerum (cum ſententiae anatomicorum mirifice hac in re variarent) ipſum edoceret, earum veriorem conſtitutionem & uſum explicaret, quaeque tum circa has, tum

tum ipſos etiam humores ſingularia, rariora praeprimis notanda ipſi viſa eſſent, benevole communicaret. Id quod etiam quam dexterrime fecit *Ruyſchius*, ac proinde tunicas oculi viſibiles ad octonarium numerum reduxit, quarum *prima* adnata ſeu conjunctiva, *ſecunda* tendinea, *tertia* ſclerotica, *quarta* choroidea, *quinta* Ruyſchiana, *ſexta* retina, *ſeptima* vitrea & *octava* cryſtallina audit.

§. DCCCLXXVIII.

Adnatam vult eſſe continuationem perioſtii ſeu potius pericranii, quae uti ſenſibilis, ita innumeris quoque vaſis ſanguineis eſt perfuſa. Huic ex mente *Ruyſchii* ſubjecta eſt *tendinea*, quam alii innominatam vocant, atque ex tendinibus muſculorum oculos moventium enata, tamque firmiter ſcleroticae conjuncta eſt, ut nullo facile artificio ab illa in totum ſeparari poſſit. Sub hac interim expanſione videnda exhibetur tertia, quae eſt *ſclerotica*, admodum dura, craſſa & opaca, cujusque pars anterior ob pelluciditatem *cornea* audit, eſtque in aliquibus aliquanto convexior, quanquam non in omnibus. Singularia, quae de hac tunica obſervavit *Ruyſchius*, haec ſunt: Se artificio ſuo vaſa ſanguiflua, per eam diſperſa, tam numeroſa detegere nunquam potuiſſe, quam quidem in tunicis *adnata*, *Ruyſchiana* & *retina*. Deinde, ductum à *Nuckio* detectum longe peculiarem fuiſſe, cum vena in totum haud convenientem. Denique viſum ſibi eſſe videre ſe, plurima vaſcula nova, ſecundum longitudinem decurrentia, quae neque ſanguiflua neque lymphatica eſſe ratus eſt, quamvis lymphaticorum aemula ſint, quia in totum cum illis non conveniunt. Itaque ſuſpicatus eſt, per vaſa illa reduci humorem aqueum, qui per ductum *Nuckianum* vel alium ignotum antea adlatus fuerat; Cum credibile non ſit, humorem aqueum ſine

ſine renovatione ſemper remanere. Atque haec ipſa *Ruyſchii* obſervatio controverſiae acri inter ipſum & *Hovium*, qui motum humorum oculi circularem primus in brutis, deinde vero ipſis quoque in hominibus demonſtraverat, originem & fomitem ſubminiſtravit.

§. DCCCLXXIX.

Intuitu *choroides*, quam tunicarum oculi quartam eſſe dicit, diverſitatem ſtatuit inter *choroideam* & *uveam*, cum uvea ligamentum ciliare ejusque proceſſum, ut & iridem conſtituat. Interim in parte hujus tunicae poſtica, quae proprie *choroides* adpellatur, ſequentia obſervat *Ruyſchius* noſter: Hancce ex duplici lamella ſeu membrana conſtare, quarum exterior totius nomen retinens ipſi eſt *choroidea*, interior vero ab inventoris nomine *Ruyſchiana* dicta. Arterias per choroidem diſperſas tam numeroſas eſſe, ut plures ea recipere haud posſit. Reptatum arteriarum eſſe peculiarem, cum ramuſculi varii e trunculis oriundi in orbem ſint diſpoſiti.

§. DCCCLXXX.

Quintae oculorum tunicae nomen *Ruyſchianae* imponit, quam *choroideae* tam firmiter connatam eſſe demonſtrat *Ruyſchius*, ut vulgari ſectione anatomica haud incurrat in oculos ac propterea manſerit obſcura & incognita. Cum vero *choroideae* tunicae arterias artificioſe infarſiſſet cera, exiguam *Ruyſchianae* tunicae portionem à *choroidea* recedere vidit, per quam aeque bene ac per choroideam arterias peculiares, diverſo reptatu percurrentes, eſſe diſperſas obſervavit. Quapropter diſtinctam eſſe tunicam, ex hiſce potisſimum conjecit: Quod peculiaribus arteriis ſit donata; De venis enim nihil adhucdum pronunciare audet. Quod arteriae

per *Ruyſchianam* tunicam obambulantes eundem cum *choroidea* reptatum haud ſervent, cum & variis in locis crucis in modum ſibi invicem incumbant & ortu quoque varient. Quod tunica *Ruyſchiana* à *choroidea* ſeparari haud valeat, niſi arteriarum repletio materia ceracea facta praeceſſerit: Cum inſuper in iis, qui *choroidem* juſto habent tenuiorem, *Ruyſchiana* ſeparationem haud ſemper admittat, quantumvis omni in oculo ſit viſibilis, deſtinata quippe non ſolum ad robur *choroideae*, verum etiam, ut, ratiocinante ſic *Ruyſchio*, à ſanguinis arterioſi majori copia requiſitus calor tribus humoribus, natura frigidis conciliaretur.

§. DCCCLXXXI.

Retinae ſubjungit tandem *vitream* atque *cryſtallinam*, quam utramque revera exiſtere, certior factus eſt continua exploratione, ſuntque membranulae ſubtilisſimae, diaphanae, nullis vaſculis ſanguineis viſibilibus ditatae, humoremque vitreum & cryſtallinum coërcentes.

§. DCCCLXXXII.

Veniendum quidem nunc eſſet ad epiſtolam *quartam & decimam*, quae *Mauritium a Reverhorſt*, medicinae Doctorem & anatomes profeſſorem agnoſcit auctorem: Verum illam lubens hic mitto, quia argumentum non tam anatomicum quam chirurgicum tractat, de nova nempe artuum decurtandorum ratione. Atque adeo ad *quintam & decimam* progredior, quam *Albertus Henricus Graetzius, Johannis Henrici germanus & natu major* frater, genuinus pariter *Ruyſchii* diſcipulus, ad ipſum perſcripſerat, quaeque de vaſorum ſanguineorum extremitatibus, placentae uterinae mammarumque ſtructura agit.

§. DCCCLXXXIII.

§. DCCCLXXXIII.

Quibus argumentis cunctis hunc in modum *Ruyschius* in sua responsoria satisfacit: Et quidem, quod substantiam mammarum primum attinet, unanimiter quidem crediderunt hactenus anatomici, fabricam istam ex glandulis vel glandulosis corporibus compaginatam esse, integumentis nempe ac vasis exceptis: Verum id *Ruyschio* aliter visum est, qui proinde exquisitius mammarum substantiam examinando deprehendit, eam non *glandulosam*, sed *vasculosam* esse, quaeque insuper nusquam in glandulas subdivisa sed ubique conjuncta sit. Si quaeratur, ubinam loci lac conficiatur, & quo ex fonte hauriatur materia in lac convertenda? Respondet *noster:* Se quidem propter substantiae tenacitatem inosculationes extremitatum arteriolarum cum ductibus lactiferis demonstrare nondum valuisse; Interea tamen earundem conjunctiones valde consentaneas esse contendit, lactisque rudimentum in extremis arteriolis ex serositate sanguinis confici, & in extremis ductibus lactiferis perfici, tandemque in ramulis capacioribus ad tempus reservari, donec sugendo, comprimendo aut sua sponte prae copia exitum sibi quaerat.

§. DCCCLXXXIV.

Postremam ad *Ruyschium* nostrum epistolam problematicam dedit *Michael Ernestus Ettmüllerus*, phil. ac med. D. inque academia Lipsiensi anat. & chir. P. P. extraordinarius, quae de ovario novo, nempe *Nabotiano* agit. Optaveram diu, ut res controversa (alteris quippe eandem adfirmantibus, alteris vero negantibus) communi judici, sufficienti peritia anatomica instructo committeretur, & ecce, expectatione citius voti istius compotem me fecit praelaudatus *Ettmüllerus*, qui,

expoſita prius hiſtoria facti & enarrato modo, quo ovarium *Nabotianum* fuerit à medicis exceptum, in commune Reipublicae medicae commodum judicium *Ruyſchianum* ſibi expetit, quid de dicto ovario *Nabotiano* ſecundum obſervationes in cadaveribus à ſe factas ſentiendum ſit, ne in ambiguo amplius ordo medicus relinqueretur?

§. DCCCLXXXV.

Petitis ejus prompte quoque adſurrexit *Ruyſchius*, non quidem, quod olim fecerat, epiſtolam reſponſoriam adornando, ſed ad imitationem Clar. *Morgagni* adverſaria anatomico-chirurgica concinnando, quorum in primo ſtatim articulo de conceptu foecundo, ſeminisque recepti hoſpitio & via, in ſecundo vero de ovario, ut habetur, novo, deque hydatidibus tractationem inſtituit. De receptaculo ſeminis ejusque via certior factus fuit ſectione corporis meretricis, cui, peracta impura cohabitatione, jugulum lethaliter à Juvene fuerat praeſciſſum: Aperto enim ſecundum longitudinem utero, vidit cavum ejus albo, naturali atque bono ſemine maſculino repletum, imo utramque tubam Fallopianam eodem ſemine plenam. Idemque jam olim animadvertit in cadavere mulieris cum adultero in illicito actu venereo deprehenſae ſtatimque à marito deprehenſore interfectae: Quae binae obſervationes hanc ei ſuſpicionem ingenerarunt, ad foecundum conceptum ipſum craſſum ſemen in interiora uteri tubarumque Fallopianarum recipi, non ſolum orgaſticum principium, quod ſpirituum exhalantium ſpecie eo pervadere autumant, qui huic hypotheſi favent.

§. DCCCLXXXVI.

Quibus praemisſis, nunc demum ad ſolutionem proble-

problematis *Ettmülleriani* de ovario novo *Nabotiano* accedit atque palam profitetur; plurima quidem cadavera foeminina, eaque variae aetatis sese incidisse, atque intento & animo & oculo perlustravisse, neque tamen unquam in cavo uteri aliquid vidisse, quod ulla omnino specie verum ovarium referret. Deprehendit equidem interius in utero circa ejus collum fabricam talem, qualem eruditissimus atque elegantissimus *Morgagnius* descripsit, rugis nempe, fibris ac valvulis contextum; Quo locorum sic satis etiam frequens sit cernere hydatides vario ut numero & situ, ita & magnitudine conspicuas: Sed has ipsas vel ovarium vel aliquam illius partem constituere, nunquam cogitandum est. Unde potius universum negotium sic concludit: Fuisse tantum ovarium illud fictum *Nabotianum* hydatidum, inter rugas valvulosas, os uteri internum obsidentes natarum, congeriem.

§. DCCCLXXXVII.

Tertium adversariorum *Ruyschianorum*, ad quae occasione ovarii *Nabotiani* devoluti sumus, articulum sibi vindicat disquisitio de glandulis cutis humanae ejusdemque papillis nervosis. Quoad priores, mirum videri alicui posset, quod licet lyncaeus sit anatomicus *Ruyschius* noster, & ipsemet harum glandularum existentiam olim asseruerit, candide tamen profiteatur, se post tot molimina glandulas cutis detegere, imo videre vix unquam potuisse, licet magna licentia ab aliis non describantur tantum, sed & delineentur & iconismis exhibeantur. Imo haud leviter illi sese devinctum judicat, qui illas ibidem existentes oculis suis exhibuerit. Circa organon vero nervosum cutis, tactui exercendo idoneum atque dicatum mitius sentire videtur, dum toto utique cutis tractu plurimas partes albicantes, turgidulas tamen, atque in obtusum

elevatas

elevatas apicem, pilis denique enatis originem clare praebentes detexit, quas nervoſas haſce papillas eſſe, illico autumavit.

§. DCCCLXXXVIII.

Articulo *quarto* & *quinto* de glandulis aliarum partium, inprimis membranoſarum ſuam exponit ſententiam, v. g. de glandulis interiorem pleurae ambitum, pericardium, peritonei cavitatem tunicamque teſtium vaginalem dictam obſidentibus. Non diſſimulat *Ruyſchius*, ſe de harum glandularum *Stenonianarum* & *Malpighianarum*, quas egregii hi viri membranas dictas ab lubricandum ubique obſidere dixerint, exiſtentia diu dubitaſſe imo adhucdum dubitare, cum ad hunc ſcopum nec opus ſit glandulis imo nec ibidem in ſtatu ſecundum naturam reperiantur: Unde, quotiescunque adſunt ejuſmodi corpuſcula, quae glandulas mentiuntur, cogitandum eſſe innuit, extremitates arteriarum obſtructas abire in tumores praeternaturales, mutata penitus nativa forma. Ex quo eodem fundamento ulterius infert, corpuſcula, quae in averſa parte coronae glandis penis virilis ſita ſunt, glandulas haud eſſe, licet ſubtiliſſimus *Morgagnius* ſuis in adverſariis una cum aliis anatomicis pro glandulis talia habuerit & agnoverit. Unde potius, ſalva alioquin egregii viri auctoritate, pro papillis nervoſis, ultra ſuperficiem in limbo coronae glandis aſſurgentibus habendas eſſe judicat, quae, ſi orgaſmo venereo tenſae atque molli frictu preſſae fuerint, ſummam in hoc opere delectationem excitent.

§. DCCCLXXXIX.

Sextus isque ultimus argumenti anatomici articulus de corde agit, in quo diluit primum ſententiam vulgo receptam;

Omnem

Omnem omnino ſanguinem, qui per arterias coronarias ipſi cordi datus fuerat, nulla guttula excepta, per ſolam venam coronariam venae cavae reddi, imo & illum, qui lege circulationis ab utraque cordis auricula redibat, unica etiam hacce via reverti. Id vero ſic ſeſe non habere, publice demonſtravit, dum ramos quosdam venoſos ita in auriculas patere oſtendit, ut partem venoſi ſanguinis exceptam ab arteriis directo itinere inſtillarent auriculae dextrae, nunquam attacta vena cava ejusque magno ſitu. At vero inventum *Thebeſii*, qui ex ipſa cordis ſubſtantia venulas quasdam oriri oſtenderat, quae ſanguinem cordis ab arteriae coronariae ramis ſuppeditatum patulis orificiis ipſi cordis cavo infunderent, absque ullo in ſinu cavae auriculaeve diverticulo, id ſuo utique calculo, tanquam ſaepius quoque à ſe demonſtratum, probat.

§. DCCCXC.

Denique, ne quod ſcriptorum *Ruyſchianorum* intactum maneat, commemorandum adhuc reſtat, quod peculiari tractatulo, nempe dilucidatione valvularum, in vaſis lymphaticis & lacteis demonſtraverit, omnes ductus lymphaticos quam plurimas obtinere valvulas, liberum lymphae chylique progreſſum ad vaſa lymphatica atque chylifera permittentes, regreſſum vero impedientes, & quidem geminatas, inſtar creſcentis lunae vaſorum lateribus adfixas ſibique mutuo oppoſitas, & haſce valvulas etiam ſine vaſculorum apertione ſatis diſtincta animadverti poſſe, inde oſtendit, quod, cum lympha contenta digito promovetur, ductu contrario à valvulis iſtis mox ubique ſiſtatur. Huic vero valvularum adſertioni *Ruyſchianae* pertinacisſime ſeſe ſemper oppoſuit *Ludovicus de Bils*, donec tandem victas dare cogeretur manus, poſtquam

illae *Hagae Comitis* ipsi clare non solum delineatae, sed & ocu-lariter demonstratae fuerunt.

§. DCCCXCI.

Neque id reticendum est, quod cum DD. *Godofredo Bidloo*, professore anatomiae & chirurgiae *Leydensi* fervidam habuerit controversiam, quae exinde potissimum exarsit, quod *Ruyschius* subinde in *epistolis* suis *responsoriis* ad *problematicas* ad ipsum exaratas, *Bidloi* tabulas anatomicas censurae suae submiserit, quod *hic* usque adeo graviter tulit, ut refutatione epistolarum suscepta, adversarium suum crudelissimis quidem injuriis adfecerit, rem vero ipsam, communi disputantium vitio & scandalo, frigide satis defenderit.

§. DCCCXCII.

Hermannus Boerhaave, in academia *Lugduno-Batava* Prof. medicinae celeberrimus, anatomica quidem ex professo non edidit, interea tamen permulta, hanc artem concernentia institutionibus medicis à se editis inserta reperiuntur: Praeterea vero neminem latet, quod hypothesi *Malpighianae*, qua omnibus propemodum visceribus structuram glandulosam adseruit, admodum faverit, à qua tamen, cum *Fridericus Ruyschius*, anatomes & chirurgiae Prof. *Amstelraedamensis* sententiam plane alienam foveret: Hinc privatos intra parietes saepius *ille* ab *hoc* monitus est, ut, si quas alicujus momenti rationes haberet, quae defendendae *Malpighii* opinioni inservirent, eas cum ipso communicaret, ut in tanto clariori luce omnia collocarentur. Satis fecit *Boerhavius* petitis *Ruyschianis*; Unde opusculum *anatomicum* de *fabrica glandularum* in C. H. enatum est, quod duas comprehendit epistolas, quarum prior à Cl. *Boerhavio* ad Cl. *Fridericum Ruyschium* data

est,

est, posterior vero *Ruyschii* responsoria est, super eodem hoc argumento ad *Boerhaavium* exarata. Cujus utriusque rationes pro & contra adlatas prolixius hic examinare non vacat.

§. DCCCXCIII.

Arent Cant, M. D. quem *Heisterus* in oratione & adjuncto programmate inaugurali, quam de *incrementis anatomiae* in seculo XVIII. publice declamavit, cum in regia atque ducali Julia, anatomiae, chirurgiae ac physiologiae professionem susciperet, omisit, non certe infimum hic locum promeretur; Non enim solummodo *ductum thoracicum* in dissertatione sua inaugurali, quam *Lugduni Batavorum* habuit, delineavit ac descripsit, sed & alias C. H. partes figuris expressas cum *anatomes* cultoribus communicavit: Unde opusculum hujus inscriptionis enatum est: *Impetus primi anatomici, ex lustratis cadaveribus nati, quos propria consignavit manu* Arent Cant. Comprehensum vero est VI. tabulis, quarum *prima* faciem ejusque musculos, arterias carotides, nervum vertebralem & septimi paris ramum duriorem repraesentat. *Altera* partem cranii interiorem, dura matre investitam, itidemque exitum nervorum ex cranio, nec non musculos & nervos oculorum offert. *Tertia* musculos, ad pharyngem & uvulam spectantes sistit. *Quarta* & *quinta* cor & ventriculum ejusque situm, quem flatibus vel cibis distentum exhibet, oculis conspiciendum subjicit, simulque articulationem cubiti cum brachio, & tibiae cum osse femoris, ossiculum auris, cui mallei nomen est, & os palati delineat. *Sexta* denique *ductus thoracici* situm, addita ejusdem icone, repraesentat. In toto vero opusculo non pauca comprehenduntur, quae citra contradictionem vel plane nova sunt, vel correcta saltem & melius explicata, quae ab aliis minus recte vel descripta vel delineata

 fuerant;

fuerant; Id quod tamen summa ubique modestia citra ullius alterius scriptoris injuriam, exequitur.

§. DCCCXCIV.

Qui curiosis in *anatome*, quam nonnulli *subtilem* sive *sublimem* vocant, delectantur, in *Antonii Leuwenhoeckii* scriptis abunde reperient, unde curiositati suae satisfaciant. An vero ars medica solida quaedam emolumenta inde sit reportatura, admodum dubitaverim. Prodiit interim hoc auctore *anatomia*, seu *interiora rerum cum animatarum tum inanimatarum, ope & beneficio exquisitissimorum microscopiorum detecta, variisque experimentis demonstrata, epistolis quibusdam ad celeberrimam societatem regiam Londinensem datis, comprehensa.*

§. DCCCXCV.

Ut vero dictis pleniorem conciliemus fidem, aliqua tantum talium curiositatum & inutilium speculationum exempla sistemus, uti sunt: Oculi balaenae tunicam corneam ex sedecim vel octodecim membranulis componi; Quamlibet fibram, ex qua tendo constructus est, capillo esse centuplo tenuiorem; Pulsum non arteriis, sed venis esse tribuendum; In semine animalium, ne ipso quidem homine excepto, reperiri animalcula viva; Ejusmodi animalcula in canum & cuniculorum matricibus à se reperta esse; In squamis piscium quotannis novas sub prioribus succrescere; In nervis cavitates imo & res illis inclusas distincte à se visas esse; Omnes praeterea nervos, imo & fibrillas tendineas ex vasculis compositas esse; Fibrillas quoque cerebri aselli majoris omnes cavas esse; Et quae sunt ejus farinae plura, quae, sive scias sive ignores, parum interest.

§. DCCCXCVI.

Has itaque *Antonii Leeuwenhoeckii* curiosas, at saepe parum utiles

utiles ſpeculationes lubens ſuo loco relinquerem, niſi metuendum mihi foret, *anatomes ſublimioris* amatores mihi indignaturos, quod eas publico invideam. Itaque ut illorum deſiderio quodammodo ſatisfaciam, noſſe oportet, ipſum quidem de variis animalium partibus, v. g. *nervis*, *tendinibus*, *ventriculo*, *epidydimidibus*, *vaſis deferentibus* atque *teſticulis* diſſeruiſſe, ſed, quod pace aliorum dixerim, ſuo modo, i. e. ut curioſitatem magis quam utilitatem veram, in ipſam artem medicam redundantem, prae oculis habuerit. Taceo, ipſum hinc inde graviter lapſum eſſe, dum v. g. pulſum non arteriis ſed venis tribuendum eſſe exiſtimavit, & quae ſunt ejus generis plura. Verum ejusmodi hallucinationes eo facilius ipſi condonamus, quo certius conſtat, ipſum in anatomicis penitus ignarum ac rudem fuiſſe. Si in fabricandis microſcopiis ſubſiſtere nec cum ſutore ultra crepidam ſapere voluiſſet, laude ſua, quam hoc nomine promeruit, minime privandus eſſet.

§. DCCCXCVII.

Johannes Verbrug, chirurgus & examinator *Mediolanenſis*, profesſioni quidem chirurgicae addictus tantum fuit, attamen in *examine*, quod edidit, *chirurgico* ſive *praxi chirurgico-medica* omnium trium ventrium C. H. ſuccinctam deſcriptionem ita praemiſit, ut praeliminari hac ſcientia imbuti chirurgiae alumni eo feliciores ſua in arte progreſſus facere poſſent. Anno 1731. in vernaculam noſtram hoc *examen* translatum & à *Martino Schurigio*, medico & *phyſico Dresdenſi* novis accesſionibus locupletatum prodiit.

§. DCCCXCVIII.

Studio & opera *Bernardi Siegfried Albini*, anat. & chirur. in acad. Batava, quae *Leidae* eſt, P. P. O. cujus jam ſuperius

 perho-

perhonorificam fecimus mentionem, prodierunt *icones osſium foetus humani*, quibus *oſteogeniae* brevis accesſit hiſtoria. Sicuti vero haec anatomes pars magna hucusque imperfectione laboravit: Ita tanto major cl. auctori habenda eſt gratia, quanto plus lucis hac ſua commentatione eidem accendere adlaboravit. Ut taceam, opus ſuſcepiſſe *Albinum*, ingentibus difficultatibus circumſeptum, ſive ſummam osſium tenelli foetus teneritudinem, ſive arctam cum aliis partibus connexionem ſpectes: Cum priori intuitu promtae corruptioni, poſteriori vero laeſioni facile expoſita eſſent: Quae utraque cauſſa permultos ſine dubio deterruit, quo minus negotium, tantis difficultatibus implicitum, ſuſciperent.

§. DCCCXCIX.

Nec minus cl. *Albinus* in eo ſibi devinxit artis anatomicae cultores, quod novam operum *Guilielmi Harvei* editionem curaverit iisdemque praefationem praemiſerit. Diſtinctum eſt opus hocce *Harveanum* duos in tomos, in quorum *priore* exercitatio anatomica de motu cordis & ſanguinis in animalibus una cum duabus diſſertationibus ad *Riolanum*, juniorem, de circulatione ſanguinis, in *poſteriore* vero exercitationes de generatione animalium continentur, quibus tamen etiam quaedam de partu, de membranis ac humoribus uteri, ut & de conceptione accedunt.

§. DCCCC.

Tranſitum tandem facimus ad integras eruditorum ſocietates, quae in locupletando anatomes ſtudio certatim hoc ſeculo laborarunt. Has inter primum concedimus locum auctoribus *actorum phyſico-medicorum*, quae ſub auſpiciis invictisſimi imperatoris Romanorum, hodie ſceptra in imperio *Romano-*

Germa-

Germanico tenentis feliciter continuata ſunt & quorum quatuor jam volumina lucem adſpexerunt publicam. In *primo* praeter ſectionem & exenterati hydrodipo-tympanitici, rachitici, haemoptyici, empyematici, hectici aliorumque aliis morbis defunctorum, notatu inprimis dignae ſunt duae obſervationes *Heiſteri*, nempe CLXXVII. & VIII. quarum illa glandulas labri ſuperioris (nam glandulas labri inferioris jam delinearunt *Cowperus* & *Mangetus*) exhibet: Haec vero de lingua humana ejusqve glandulis in ſuperficie agit. Qua tamen occaſione ſimul de *ductibus ſalivalibus novis* quaedam diſſeruit.

§. DCCCCI.

Eodem volumine obſ. CCXXIV. *Schultzius* novam facilemque, ut ſibi perſuadet, encheireſin ductum thoracicum inveniendi propoſuit, quam tamen facilitatem alii, qui ſecundum praeſcriptam methodum operati ſunt, deprehendere non potuerunt. In *ſelectis Francofurtenſibus* tomo III. deſcripta eſt methodus univerſalis, famoſum hunc ductum tam in brutis animantibus quam ipſis in hominibus ſemper & infallibiliter detegendi. Huic obſervationi adjunxit ille aliam de cavitatibus ſeu ſinibus oſſium capitis.

§. DCCCCII.

In volumine *ſecundo* pauca anatomen concernentia occurrunt, niſi quod *Chriſtophorus Jacobus Trew* univerſam mammarum muliebrium maſſam pro unico glanduloſo corpore una cum tubulis lactiferis maximis habeat, cum alii anatomicorum cum *Bartholino*, *Nuckio* & *Verheyenio* pro multiplici potius corpore habuerint. Idem eodem volumine tegumentum peculiare, membranae tympani foetuum inſerviens, & val-

& valvulas conniventes in tractu inteſtini ilei ſecundum naturam obvias deſcripſit.

§. DCCCCIII.

In volumine *tertio* auctore *Johanne Hartmanno Degnero* apoſtema & oſſeſcentia arteriae magnae ſiſtitur, & *Johannes Hieronymus Kniphofius* organorum auditus praeparationem anatomicam exhibuit. Alias praeter ſectiones cadaverum, his vel illis morbis denatorum, judiciorumque medicorum deſuper latorum nihil reperitur, quod forum anatomicum directe reſpiciat.

§. DCCCCIV.

In *quarto* denique pari modo res ſeſe habet, niſi quod DD. *Johannes Sebaſtianus Albrechtus* obſerv. XIII. ſingularis naturae luſus in effingendis cranii oſſibus mentionem faciat: Inter rariora enim naturae adſervat ille cranium humanum viri adulti, ubi in concurſu ſuturarum lamdoideae & ſagittalis non oſſiculum, ſed os ſatis magnum à reliqua oſſis occipitis parte, per genuinam ſuturam tranſverſalem, ab uno lamdoideae ad alterius crus extenſam, ita diſtinctum eſt, ut triangulum referat exacte aequicrurum, non deficientibus interim in reliquo utriusque lateris ſuturae lamdoideae tractu oſſiculis *Wormianis*, eo inprimis loco copioſius & diſtinctius conſpicuis, ubi occipitale hoc os circa proceſſum maſtoideum cum petroſo jungitur. Ut vero omnia eo vividius phantaſiae offerantur, ſchemate quodam fig. 7. tab. I. adumbrantur.

§. DCCCCV.

Laudabili quoque ſtudio *anatomicae rei* incrementa promovere adlaboravit academia ſcientiarum imperialis *Petro-*

Petropolitana; Tomo enim *primo* a 1726. *Johannes Georgius du Vernoi* obſervationem academicis exhibuit, qua plenior & adcuratior *vaſorum chyliferorum deſcriptio* continetur. Quod ſi cui forte dubium ſuboriretur, laborem hunc ideo ſuperfluum fuiſſe, quod hoc à *Pecquetto*, *Aſellio* aliisque abunde jam praeſtitum ſit; Statim eidem occurrit celeb. auctor, graviter enunciando, *veras vaſorum chyliferorum origines* ſive *locum*, *quo enaſcuntur*, *neminem adhuc adſecutum eſſe;* Id quod tamen non ſimpliciter adſerit, ſed ſolidis rationibus evincit, ſic & non aliter rem ſeſe habere.

§. DCCCCVI.

Intelligit autem per locum, *partem* illam *inteſtini determinatam, in qua radices ſeu oſcula ductuum chyliferorum implantantur;* Proinde jure poſtulat, ut locus ille certus aſſignetur, ex quo vera eorundem origo derivari poſſit. Refutatis itaque aliorum placitis, quae pro meris tantum conjecturis habet, ipſe potius confitetur, ſingulari artificio hunc ſibi *locum ſeparatum* in inteſtini cavo revelatum eſſe, cui radices chyliferorum ſint implantatae, *reliqua tota ſuperficie excluſa;* Cujus rei teſtem vocat non ſolum *Gliſſonium*, ſed & autopſia probat, *valvulas inteſtinales* omnibus vaſis chyliferis originem praebere.

§. DCCCCVII.

Sunt & alia non modo admodum curioſa, ſed & plane nova, de quibus altum apud alios anatomicos ſilentium eſt. Ex multis paucula tantum ſiſtere mihi liceat. In ſuperficie inteſtinorum duplicem chyliferorum ordinem deambulare obſervavit, indicata ſimul ratione, quare ordinem iſtum duplicem eſſe oporteat? Inteſtina *craſſa*, id quod nonnulli in dubium vocarunt, aeque ac tenuia chyliferis gaudere,

chylo tamen rariſſime diſtendi eamque ob cauſſam inconſpicua manere: Eadem chylifera per meſenterium pariter incedere per paria; Receptaculum chyli commune una cum ductu thoracico facilius longe, quam ipſa vaſa chylifera inveſtigari. Et quamvis variae methodi hactenus excogitatae ſint, ductum hunc promte inveniendi; Ipſe tamen celeb. auctor novam in theatro anatomico *Petropolitano* uſitatam ſubminiſtrat, quam *univerſalem* adpellare ipſi placet, cujus beneficio in omnibus promiſcue ſubjectis non ciſterna tantum ſed & eidem continuus ductus uno conſpectu in apricum deduci queat. Addit inſuper, ſe tam in maſculino quam foeminino ſubjecto duplex receptaculum una cum duplici canali thoracico perſpicue obſervaſſe, aliisque t. t. praeſentibus demonſtraſſe.

§. DCCCCVIII.

Cum vero tam ciſterna lumbaris quam ductus thoracicus eidem continuus in variis animantibus mirifice diſcrepet à viis chyliferis, prout in homine reperiuntur: Hinc operae pretium eſſe duxit idem cel. auctor, hanc diverſitatem in cane, equo, lupo, leone, lynce, fele tam odorata quam non odorata, cuniculo, porco, erinaceo, vitulo, atque adeo undecim in animalibus, eo fine inciſis, ſummo ſtudio inveſtigare. Neque reticuit rationes hujus diverſae conformationis, nullumque dubium eſt, quin in pluribus aliis animalibus, ſectioni aptis, eandem illam diverſitatem ſint animadverſuri, qui manus operi, utut admodum laborioſo, admovere haud dedignabuntur.

§. DCCCCIX.

A *Petro Antonio Michelotto* variae, quas ille ſic adpellare amat, obſervationes anatomicae de *tumoribus veſiculoſis*, de

ruptione

ruptione lienis, haemorrhagia *omenti* ac *ſtomachi* communicatae ſunt.

§. DCCCCX.

In *ſecundo Actorum Petropolitanorum volumine* anteá laudatus *du Vernoi* non modo in anatome elephanti pericardium non obſervavit, ſed & tam exteriorem quam interiorem cordis, ſpeciatim membranae deſcriptionem exhibuit, cui hanc attribuit functionem, quod nempe omnem in ſubſtantia cordis diffuſum ſanguinem ſuo in ſinu colligat. Deinde exiguas quoque ad hanc membranam pertinentes detexit glandulas, quam proprietatem ideo inauditam dixit, quod disſectores tam brutorum quam hominum eam ſilentio penitus praetermiſerunt. Cur vero in aliis animalibus praeter elephantem, inconſpicuae manſerint haec glandulae, ſolam forte magnitudinis rationem ſubeſſe ſuſpicatur. Interim hanc illis functionem tribuere non veretur, quod ſcilicet ſangvinem purum ſecernant. Id quod an ſic ſeſe habeat vel habere ſaltem ſeſe posſit, penes alios eſto judicium.

§. DCCCCXI.

In *tertio volumine*, praeter obſervationes de duplici oſſis femoris luxatione oppido rara, nec non de ſtatu p. n. in duobus craniis, quorum alter alteri plane contrarius fuit, ex *Johannis Saltzmanni* litteris excerptas, nihil occurrit, quod anatomen ſpectet.

§. DCCCCXII.

Quartum vero volumen in ſubminiſtrandis obſervationibus anatomicis ditius eſt. Saepius jam laudatus *Duvernoi* adcuratius in ſinus cerebri inquiſivit graviterque conqueſtus eſt, ſe in ſinuum horum, qui *anteriores* Galeno, aliis *ſuperiores*,

Xxx 2 itidem-

itidemque *laterales* aliis vocantur, descriptione figurisque ex aliis addiscendis oleum & operam perdidisse: Quae ratio ipsum impulit, ut dictorum sinuum faciem structuramque integram rectius investigaret.

§. DCCCCXIII.

De fabrica lienis ejusque actione plane quidem alios, quam reliqui anatomici, conceptus subministrat, in eo tamen adstipulatur *Ruyschio*, quod ne umbra quidem vel vestigium glandularum tam in humano quam in aliorum sibi oblatorum animantium liene adpareat.

§. DCCCCXIV.

Idem quoque commentatiunculam de *ventriculo* & *intestinis* inseruit. In *illo* enim admirandae texturae faciem sibi detexisse visus est, nempe subtilissimorum, instar telae aranearum, visum pene effugientium filamentorum, niveo colore splendentium, ac denique retis in modum facta invicem implicatione summam cavitatis ventriculi superficiem lambentium congeriem; Quibus frequentissimae interjectae fuerint angustissimae intercapedines, seu alveoli aut spatia, profunditate ad visum carentia, quibus *Ruyschius* nomen intercapedinum quadrangularium adfinxerit, cum tamen plurimae irregulares, quaedam etiam rotundae ab ipso fuerint conspectae. In his vero experimentum instituit, qua ratione juga seu valvulae intestinales constanter sisti queant: Ex quo experimento didicit: 1) Sedem veram valvularum intestinalium in tunica nervea aut villosa perperam statui. 2) Tunicam nerveam praefatas valvulas haud efficere, sed solummodo investire, iisque ut vestimentum sese adcommodare. 3) Hinc etiam intelligi causam, cur, *Ruyschio* id adnotante,

valvu-

valvulae ſaepe concidant ac homine aegrotante obliterentur.

§. DCCCCXV.

Joſias Weitbrecht exhibuit deſcriptionem ligamenti clavicularum communis, quod inventum licet pro novo venditare non auſit, & à *Johanne Riolano* in *enchiridio anatomico* diu obſervatum eſſe, ultro fateatur, à ſe tamen in lucem protractum & uberiori explanatione illuſtratum eſſe, grato animo ut agnoſcant anatomici, merito mea ſententia praetendit.

§. DCCCCXVI.

Eidem *Weitbrechto* obſervationes aliquot anatomicae debentur, quas inter occurrit, quae par muſculorum in pectore extraordinarium, inſolitum quidem, attamen non contemnendae quoque magnitudinis exhibet. Is ipſe praeterea tubam Fallopianam utramque in extremitate fimbriata coälitam, arterias itidem umbilicales in truncum concretas, nec non ureteres duos una cum pelvi duplici, obliquum uteri ſitum ut & foraminis ovalis valvulam non penitus clauſam obſervavit.

§. DCCCCXVII.

Relictis *actis Petropolitanis* ad *commercium litterarium Norimbergenſe* nos convertimus, viſuri, an ejus ſubſidio quaedam in anatomicis vel noviter detecta vel ſaltem correcta & emendata fuerint? Spe noſtra non omnino ſruſtrabimur, ſi, quae ſucceſſive communicata fuerunt, attentiori oculo & animo perluſtraverimus. Inter ſpecimina itaque *ſemeſtris primi* anni nempe XXXI. praeſentis ſeculi corruſcant obſervationes anatomicae DD. *Albrechti*, circa duo cadavera maſculina, in perantiqua *Hierana* inſtitutae, in quibus tyrones ar-

tis anatomicae sincere hortatur, ne libris tabulisque anatomicis nimium fidant, cum in cadaverum ipsorum inspectionibus & sectionibus multa vel plane non, vel aliter observentur. In cujus rei confirmationem tunicas ventriculi & intestinorum allegat, & de tunica *Ruyschii cellulosa* seorsim agens candide enunciat, *sibi videri eam nihil esse aliud, quam fibras à membranacea ad musculosam tunicam oblique transmissas, & easque tunicas arctissime sibi invicem jungentes.* Reliqua, quae hisce in observationibus leguntur, prolixitatis vitandae caussa, silentio praetermitto.

§. DCCCCXVIII.

In eodem semestri D D. *Schultzio*, in anatome cadaveris foeminini occupato, occurrit *ossiculum sesamoideum*, ad vertebrae lumbaris primae processum lateralem, lateri ejus adhaerens & peculiari sinulo insidens. Tuberculum insuper *Loweri* in loco, ubi vena cava superior & inferior ad auriculam cordis dextram concurrunt, longe majus, quam unquam in homine observari licuit, & tale omnino, quale in vitulorum cordibus invenitur, extare animadvertit.

§. DCCCCXIX.

Similiter *Christophorus Jacobus Trew* novas, ut vocat, observationes circa ovarium *Nabothianum* communicavit. In secando namque corpore mulieris cujusdam liquidum quidem gelatinosum circa orificium uteri internum detexit, eodem tamen, caute deterso, nulla talia corpuscula, qualia *Nabothus* pro ovulis veris venditavit, observare potuit. Contrarium ejus rei in cingara à se secta videndum ipsi sese obtulit, in cujus quippe cervice uteri interna vesiculas tales, quales à *Nabotho* ejusque sequacibus pro ovulis veris habita fuerant, invenit;

Quod

Quod licet sic sese habere neutiquam inficiemur, pro hydatidibus tamen potius quam pro veris ovulis habendas esse existimamus, ceu superius jam animadversum est. Idem denique, in caussam coloris nigri in superficie corporis *Cingarorum* observandi, inquirens, corpori *Malpighii* reticulari eum inesse, probabile reddit.

§. DCCCCXX.

Ad semestre vero ejusdem hujus anni posterius observationes variae pertinent, *osteologiam*, *angiologiam* & *nevrologiam* illustrantes. Ad *istas* DD. *Mayeri* observatio de ossiculis, in durae matris processu falciformi ipsoque plane cerebro inventis spectat. Ad *illas* vero DD. *Nicolai* dissertatio pertinet, quam de *anomalia* venae cavae superioris in pulmones distributae ad illustrem societatem, sub protectione celsissimi principis *de Clermont* Parisiis institutam transmisit. Et ad *hanc* illustrandam DD. *Trew* symbolam suam contulit, qui non modo systemati nervorum generatim examinando cadaver, tali scrutinio commodum adhibuit, sed & nervo intercostali, ejusdemque ortui ac progressui, imo & gangliis, conjunctionibus & implexionibus adcuratius describendis singulari studio, cura atque exactitudine incubuit. Ut sectiones cadaverum his, illis, istis morbis denatorum hac vice silentio praeteream.

§. DCCCCXXI.

Anno 1732. inter nova litteraria, quae Hispaniae promulgata sunt, anatomia compendiosa, quae authore *Martino Martinez* hispanico idiomate prodiit, connumeranda est. Observata vero anatomica parcius hoc ut & sequenti anno communicata, &, quae adhuc hinc inde leguntur, jam supra, suis quaeque locis, commemorata sunt. In programmate quodam

dam Helmſtadienſi, de venarum valvulis harumque uſu agitur.

§. DCCCCXXII.

Anno MDCCXXXIV. hebdomade vigeſima ſecunda quaedam de tubulis lactiferis, prope papillam in circulum coëuntibus inter *Ge. Frid. Gutermannum* & D D. *Trevv* diſputantur. Praeterea *Joh. Ge. Henr. Kramerus* de ligamentis uteri & *Franciſc. Zieglerus* obſervationes circa muſculum temporalem laeſum itemque de cordis cum pericardio concretione peculiari communicarunt.

§. DCCCCXXIII.

Anno ſequente hebdomade quarta *Joh. Guil. Agricola* delineationem *valvulae ad finem ductus arterioſi in foetu ſitae* ſubminiſtravit; Ubi tamen libere fatetur, ſe duabus tantum vicibus in infantibus juſto citius excluſis, altero nempe *octimeſtri*, altero vero *ſeptimeſtri*, utrisque tamen poſt partum vivis, eam obſervaſſe, ſed dictam valvulam ſemper ſtylo, per arteriam pulmonalem immiſſo, hiatum verſus elevare debuiſſe. Quae omnia ut rectius intelligantur, quatuor figuris adjectis declarare conſultum duxit.

§. DCCCCXXIV.

Idem *Agricola* hiſtoriam *pericardii cum corde concreti* & obſervationem de vera cataractae ſeu ſuffuſionis ſede communicavit. *Albertus Hallerus* duo cadavera maſculina cultro anatomico ſubjecit, multaque notatu digna, quae inter ſecandum obſervaverat, litteris conſignavit, praemiſſa oratione ſolemni, qua de *utilitate anatomiae pro revelandis ſyſtematibus practicis falſis* diſputavit, idque occaſione *theatri anatomici*, Bernae Helvetorum erecti & ſolemniter inaugurati. D D.

Grapius,

Grapius, poliater atque physicus provincialis comitatus *Hoya* obſervationem de foetu cum mola duplicique placenta excluſo ſuppeditavit. DD. *Blockius*, medicus *Bremenſis*, conceptum tubarium omni modo poſſibilem eſſe, obſervatione nova confirmavit, & quidem, quod admiratione dignum eſt, eundem per XI. integros annos in *tuba Fallopiana* retentum, *quoad maximam vero partem in materiam fuſcam diſſolutum, relictis tamen quibusdam partibus ſolidis ſanis, ſcil. uno oſſe temporum, duobus vel quatuor potius dentibus molaribus & uno inciſorio, tubae Fallopianae accretis.*

§. DCCCCXXV.

Quae porro ante biennium edi coeperunt *ſelecta medica Francofurtenſia*, in illis *obſervationes anatomicae* primum ſemper locum ſibi vindicant. In *volumine* enim *primo* obſervatione *prima* ſiſtitur cartilago ξιφοειδὴς seu mucronata ſterni, in infanticida quadam noſtro in theatro anatomico publice ſecta, in qua dicta cartilago *bifurcata*, & tertium ejusdem os, quod pro *lamina pugionis*, cui *ſternum* comparatur, anatomici accipiunt, *foramine* exacte *ſphaerico* pertuſum eſt deprehenſum. Hac ipſa vero obſervatione refutatur ſententia illorum, qui hactenus falſo ſibi perſuaſerunt, toties perforatam eſſe hancce cartilaginem, quoties *integra*, non *bifida* conſpiceretur: Id quod noſtra in infanticida autopſia aliter nos edocuit. Caeterum eandem hanc *bifurcationem*, praeter *Palfinum*, etiam *Blancardus*, *Heiſterus*, *Verheyenius* aliique plures adnotarunt. *Foraminulum* vero, cartilagini enſiformi inſculptum etiam *Riolanus* vidit. Huic obſervationi juncta eſt alia, quae *dislocationem vertebrarum colli abſolute lethalem*, prout in corpore militis cujusdam, inter rixas trucidati, à me inventa eſt, exhibet atque deſcribit.

§. DCCCCXXVI.

In *volumine secundo* ductus thoracicus una cum receptaculo suo, prout in cane mediocris magnitudinis inventus est, descriptus atque ad juvandam phantasiam, delineatus repraesentatur; Quem laborem eum praecipue in finem in nos suscepimus, ut vel *convenientiam* vel *discrepantiam* ductus hujus, prout in hominibus aeque ac brutis sese habet, eo melius addisceremus. Adjecit DD. *Antonius Philippus Queitschius*, anatomicus exercitatissimus, *dissertationem epistolarem* ad *Andream Ottomarum Goelicke*, med. D. & in Viadrina nostra P. P. Ord. in qua de *praecipuis ductum thoracicum investigandi methodis* egit; Praemissa enim breviter historia primae demonstrationis ductus thoracici humani, peculiari methodo investigati atque detecti, exponit deinde singularem ejus speciem elegantissimamque formam; Progreditur hinc ad scopum, in publicanda hac methodo sibi propositum tandemque disquirit, an haec ab ipso adhibita methodus à quodam anatomicorum unquam hactenus in usum vocata sit?

§. DCCCCXXVII.

In *tertio* volumine praeter observationem, quae luxationem ossis brachii tempestive non restitutam sistit, quaeque foeminae cuidam rusticae 19. annorum exitialis fuit, dissertatio epistolaris DD. *Queitschii* continuatur, atque, praemissa diversitate constructionis positusque corporis humani & quadrupedum terrestrium multiplici, methodi *Pequetia-Bartholinianae* ad diversissimam illam constructionem positumq; quadrupedum terrestrium corporum & humani adplicatio instituitur, tandemque disquiritur, an *Bartholinus* more *Herophileo-Erasistratio* abominando, ductus thoracici humani investigandi gratia, homines vivos dissecuerit? Quae itidem genuina fuerit caussa, cur ductus thoracici in corporibus

humanis

humanis investigatio per dimidium fere seculum neglecta & impedita fuerit? Accedit eidem huic volumini DD. *Dithloff Benjamin Hückelii*, physici *Drosnensis* relatio, sectionem molitoris, qui, sumto cobalto, semetipsum nefarie interfecit, concernens.

§. DCCCCXXVIII.

In *quarto selectorum* horum *Francofurtensium* volumine, quod instantibus nundinis *Lipsiensibus* lucem adspiciet publicam, praeter singularem ductus thoracici constructionem delineationemque in *porco*, mediocris itidem magnitudinis, occurret ultima *dissertationis Queitschianae* de *praecipuis ductum thoracicum eruendi methodis* pars, ubi, postquam de reliquis hucusque usitatis modis suum interposuit judicium, suam sibi peculiarem ac vere *universalem* methodum proponet.

§. DCCCCXXIX.

Atque pauca haec sunt, quae pro promovendis rei anatomicae augmentis hucusque in *selectis* nostris praestita sunt. Videamus jam, quid pro eodem hoc scopo obtinendo *miscellaneorum Berolinensium* ad scientiarum incrementum editorum auctores contulerint? Missis vero duobus prioribus voluminibus, nihil quippe, quod anatomen concernit, continentibus, ad tertium depropero, in quo selectiores quaedam observationes anatomicae, à DD. *Augustino Buddeo* communicatae, leguntur: *Prima* illarum circa fabricam sinuum cranii, eorundemque aperturas in cava narium occupata est; *Altera* sectionem foeminae maniacae, & in ea repertum ovarium intus steatomatoso-pilosum exhibet; Ac *tertia* excrescentiam scirrhosam piriformem, externae superficiei fundi uterini adhaerentem sistit.

§. DCCCCXXX.

Ad *quartum* volumen symbolas suas contulerunt *Abra-*

bamus Vaterus & *Johannes Theodorus Eller*; *Ille* dissertationem epistolicam de ductuum lacrymalium subpalpebralium vera constitutione, nec non de viarum, lacrymas ad nares derivantium, dispositione inseri curavit: *Hic* vero calculi vesicae membrana cincti vel inclusi generationem, tam theoretice illustratam quam practice comprobatam benevole communicavit.

§. DCCCCXXXI.

In *quinto* denique volumine, quod anno proxime elapso lucem adspexit, antea laudati D.D. *Augustini Buddei* observationes miscellae circa ossa occurrunt, quarum *prima* de aequivoco ossificationis praeter naturalis sensu, *altera* de exfoliatione, & quousque ea in morbis ossium sit expectanda? Et postrema de carie ossium tarsi, utplurimum exitiali, agit.

§. DCCCCXXXII.

Acta *Edimburgensia* meas ad manus, quod doleo, nondum pervenerunt; *Novellae* tamen *litterariae Lipsienses* non pauca eximiarum observationum anatomicarum specimina exhibuerunt, quae credere nos jubent, fore, ut laudatissimi hi conatus multum quoque ad rei anatomicae incrementum sint collaturi.

§. DCCCCXXXIII.

Praecipue vero attentionem nostram meretur opus plane aureum, quod auspiciis Regis christianissimi Ludovici XIV. in Galliis prodiit, nempe historia academiae regiae scientiarum, cujus originem & progressum variasque dissertationes & observationes per 30. annos factas, quam plurima experimenta & inventa digessit & latio donavit *Johannes Baptista du Hamel*, ejusdem academiae socius & exsecretarius. Placuit ipsi quatuor in libros totum opus dividere; Ita quidem, ut in *primo*, quae ab exitu anni 1666. ad initium usque

anni

anni 1675. acta sunt, continerentur; *Secundus* ad annum usque 1684. ac *tertius* ad annum 1692. progrederetur. *Postremus* denique in annum 1696. desineret. De laboribus vero academicorum generatim judicat, quod pleraque ab illis in lucem edita tum saltem *nova* fuerint, cum ab illis proponerentur, licet nunc permulta illorum *novitatis* speciem exuerint.

§. DCCCCXXXIV.

Quod speciatim *librum primum* attinet, nihil in eo occurrit, quod scopum nostrum respiciat, nisi forte famosum illud experimentum, de *transfusione sangvinis*, quod D. *Perrault* inutile imo exitiosum, alii plane commentum inter ineptias vocant, excipias: Quam etiam ob causam *senatus Parisiensis* auctoritate prudentissime, ut ait *du Hamel*, cautum, *ne hoc remedii genere inusitato & plane inutili quisquam deinceps uteretur.* Praeterea historiae anatomicae leonis, leaenae, chamaleontis, cameli, ursi aliorumque animalium descriptae leguntur. Speciatim vero D. *Mariotte*, probaturus, non in *retina*, quae vulgaris est opinio, sed in membrana *choroide* dicta, quae interioris nervi optici propago est, rerum objectarum imagines depingi atque adeo proximum visionis organon esse, oculum ipsum ratione structurae suae describere necessarium duxit. Cumque vulgarem opinionem propagare occoepisset D. *Pecquet*, variaque argumenta novae isti *Mariotti* sententiae opponeret, ea diluere è re sua duxit.

§. DCCCCXXXV.

In libro *secundo* excerpta sistitur D. *Perrault* dissertatio, quae elegans & ingeniosa dicitur, ac de *motu peristaltico* agit, quae tamen *physiologiam* potius quam *anatomiam* illustrat, atque adeo hujus loci non est. Ad scopum nostrum propius spectant, quae idem de auditus organo disseruit.

§. DCCCCXXXVI.

Quae *tertio* & *quarto* libro continentur, anatomen variorum animalium potius quam hominum concernunt. Agitatur tamen inter D. *Meryum* & D. *Varignonem* quaeſtio de *uſu foramnis ovalis in foetu.* Quaedam etiam de ſtructura muſculorum eorundemque motu diſputantur. Si quae forte alia ſuperſunt, eorum jam ſupra conveniente loco facta eſt mentio.

§. DCCCCXXXVII.

Circa finem ſeculi praecedentis, anno ſcil. 1699 *Academia Regia ſcientiarum* a LUDOVICO XIV. Galliarum rege denuo excitata fuit, ut obſervationes ſuas, *chymiam*, *anatomen*, *ſcientiam naturalium*, *matheſin* omnesque ejus partes illuſtrantes novisque inventis augentes & exornantes gnaviter continuarent. Cujus nutui atque juſſibus obſequentisſimi, opus plane eximium lingua gallica concinnarunt, quod egregias quoque obſervationes & inventa nova anatomica, prioribus dignitate, curioſitate atque utilitate nihil cedentia complectitur: Optarem ſolummodo, inventum quempiam fuiſſe vel adhuc inveniri, qui opus tam egregium & uſibus eruditorum omnis generis apprime inſerviturum latio donaret. Mihi vero hac vice tot volumina perluſtrare & anatomica excerpere non licet: Urget me, nundinis Lipſienſibus inſtantibus, bibliopola, magiſtratus academici, quem jam gero, onus humeris meis incumbit, patientesque, quorum numerus ſingulis aequinoctiis ut plurimum augeſcit, opem meam implorat, &, quod praecipuo loco habendum, philiatri noſtri horas ſibi dicatas merito expoſtulant; Quare hic tractationis filum, ſive velim ſive nolim, abrumpendum eſt. Si qui tamen ſcriptores anatomici a me fuerint omisſi, eorum memoriam in ſupplementis, poſthâc edendis, recolere, & ſi qui novi interea lucem adſpexerint, eorum quoque hiſtoriam tradere, omni, quo decet, ſtudio adnitar.

INDEX
Scriptorum, qui anatomen operibus ſuis illuſtrarunt.

A.

B.

C.

INDEX
Rerum memorabiliorum.

A.

Ejus

Brissaeus

C.

Forstius

Adver-

Vita

I.

Karthan,

K.

L.

M.

Qua

Rolfincius

S.

Sceleton

Sproegelii

U. V.

W.

Iudicium

Monenda.

Cum duobus vel tribus in locis hujus *introductionis* unius ejusdemque personae bis mentio facta sit, rogatur B. L. ut alterutro in loco semel deleat. Hunc in finem conferantur invicem §. CCXIX. p. 161. cum §. CCLXVIII. p. 172. & §. CCLXXXII. p. 176. cum §. CCCCLIV. p. 276. Adde, si placet, §. CCXXVI. p. 160. cum §. CCCCLIX. p. 278. Errata typographica ipse velim corrigas.

